



CONTINUATIO HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

JOHANNIS MICRÆLII,

SECUNDA HAC EDITIONE

Emendata & plurimis locis aucta

à

DANIELE HARTNACCIO,

POMERANO.





LECTORI SALUTEM!

Fateor, benevole Lector, cum priorem continuationem adornarem, nondum me ita instructam supellectile librorum Bibliothecam possedisse, ut eorum omnium qui hanc in rem adducendi erant, inspiciendorum librorum copia fuerit. Illos vero cum eo temporis decursu studio non vulgari neque sumtibus exiguis paraverim, multo jam liquidius de rebus istis omnibus, præsertim Heterodoxias, capitibus judicare mihi licuit; Quamobrem tibi quoque gratum me facturum duxi, si pleriqua illa denuo ad incudem & examen revocarem, pluribus certaminum Historiam edissererem, sententias adversariorum ita exponerem, ut tibi ipsi & verbis illorum maxime perspicuis & plane consentientibus, de iisdem rectius porro judicare in proclivi atque in propatulo esset. Non ignoro (*verbis finio Joh. Wigandi in Epist. Dedicatoria Osiandrismo præfixa*) sciolos, ignavos, politica sapientia prægnantes & similis formæ homines obgannire, controversias potius sopiendas, quam resuscitandas esse, & malum bene conditum non movendum &c. Sed oppressione violenta aut oblivione otiosa controversias Ecclesiæ tolli & aboleri mera est stultitia & insania &c. Observat enim Diabolus occasiones omni astutia, ubi rursum possit erumpere, alio colore invento, ad serendas, resuscitandas & exasperandas priores controversias. Deinde vanitas ingeniorum humanorum ante ruinam hujus mundi non desinet, id quod ipsa rerum experientia quotidie demonstrat. Sunt igitur ejusmodi diligentes controversiarum consignationes perpetua arma & præsidia adversus Diabolorum & malorum hominum, in Ecclesia Dei machinationes & furores. *Tu, Lector, his in dijudicandis magno jam numero prodeuntibus erroribus utere, nostrisque conatibus fave. Quod si Deus vitam & otium concesserit, fortassis argumenta quoque adversariorum breviter aliquando discussa peculiari volumine dabimus. Vale.*

PARS



PARS PRIMA
DE SECTIS
E PAPISMO ET CALVINISMO
NATIS.

ARTICULUS I.

DE HÆRESI SOCINIANA IN POLONIA
OLIM ET POSTMODUM IN TRANSYLVANIA.



Uoniam præfationis ejus libri autor, quem Schlichtingius quædam scripturæ de Trinitate loca explicaturus A. 1649. edidit, originem hujus Hæreseos ad Ebionem usque, Arium, Sabellium & veteres alios Hæresiarchas refert; non incommode ab his quoque ejus certaminis Historia deducetur. Ebion in Ebræo ad paupertatem alludit; sic enim Ignatius in Epist. ad Philadelph. *Si quis dicat unum quidem Deum & confiteatur Christum Jesum, merum hominem, putans dominum esse, non Deum unigenitum, & sapientiam & verbum Dei, sed solum ex anima & corpore putet constare, ille serpens est &c. INOPS SENSU VOCATUS EBION.* Ebionæi enim *tantummodo*, ut refert Augustinus de hæresibus, *Christum hominem* dicebant *esse*. Idem docuerunt Cerinthiani, & eandem quoque hæresin disseminavit Artemo, de quo Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. ult. ubi libri meminit scripti *contra Artemonis hæresin, quam Paulus Samosatenus nostris temporibus renovare conatus est, quæ servatorem nudum esse hominem dicit.* Ille Paulus Samosata oriundus Episcopus Antiochenus, ut Tertullianus lib. de præscript. testatur, *Christum hominem tantummodo esse absque divinitate* contendebat; defendit vero potissimum hoc dogma in gratiam Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ, quæ, ut ait Athanasius, *Judæa* professione *erat, & protectrix Pauli Samosaten.*

Antiochena ergo Ecclesia eum, annitente potissimum Episcopo Alexandrino, ejecit, inque ejus locum Domnonem elegit. Seculo tertio recoxit illam Hæresin Arius, Ecclesiæ Alexandrinæ presbyter sive æmulatione extimulatus contra Episcopum, sive vana ostentatione ingenii; Illius asseclæ filium quidem Dei ante nativitatem ex Maria concedebant: creatum tamen asseverabant à Deo patre & per eundem velut instrumentum condita universa. Verum ex his postea alii aliter atque aliter hanc sententiam interpolabant, & diversas adeo edebant professionum formulas; quique Nicæno Concilio subscripserant, alio atque alio modo illius verba adulterabant; indeque etiam fidei professionem edebant in Synodo sua Sardicensi, aliam in Smyrnensi, aliam iterum in alia; unde Basilius Epist. 82. *Quoties fidem exponendo novarunt? Ancyræ dederunt aliam, aliam Constantinopoli divulgatam illam, & aliam in Lampsaco postea, & quam dederunt in Nicæa Thraciæ, & jam aliam in Cyzico.* Tandem successu temporis, & sub Constantio quidem apertius Synodum Nicæam oppugnare cœperunt, uti Socrates lib. 2. Hist. Eccl. cap. 2. & Epiphanius lib. 3. Hæresi 73. referunt. Alii porro similem, alii dissimilem Patri filium dixere: alii similis quidem substantiæ, sed non consubstantialem Patri: alii denique similem quidem patri esse filium professi sunt, sed voluntate, non substantia. Maxentius autem Mediolanensis Episcopus ap. Hilar. lib. cont. Arianos, *ante omne tempus filium natum ex Deo Deum esse, sed non ex substantia Dei.* Post Arium adversus Christi divinitatem surrexit Photinus Ancyranæ Ecclesiæ, deinde Smyrnii presbyter, Marcelli Episcopatu ejecti, Socr. lib. cit. cap. 14. discipulus; hic omnium indignissime de Christo loquebatur, sicut de eo Epiphan. hæresi 71. *similia his quæ Paulus Samosatenus docuit, de filio Dei sensit, & verba maledicentia, quæ neutiquam consistere possunt, evomuit.* Non erubescit vero illos ab Antiqua Ecclesia damnatos Hæreticos suæ inter heterodoxias Antesignanos profiteri Socinus sed eos etiam diserte laudat, quod ad eundem modum divinitatem Christi impugnarint. Sic enim in Respons. priore ad Parænes. Andreæ Volani pag. 48. *Paulum Samosatenum & Photinum & alios qui Jesum Christum ut nos facimus, antequam ex Maria nasceretur, revera non extitisse senserunt.* Vicissim in Resp. secunda ad eund. pag. 239. *Photinum* asserit *summum virum fuisse, eundemque ipsissimam nostram* (Socinianam sc.) *sententiam sermone & scriptis acriter defendisse.* Smalzius quoque contra Franzium disp. 1. pag. 11. *Quid est Photinus? quid alii? nisi servi Jesu Christi.* Egregii vero servi, qui Dominum

minum de divinæ majeſtatis ſuæ throno dejicere conantur, & acerrime oppugnare non deſiſtunt. Sed ut ad ipſum Socinum propius accedamus, prævit illi primus ſuperiori ſeculo Michaël Servetus, Tarraconenſis Hiſpanus, Medicus profeſſione, inde Theologus, de quo Theophilus Nicolaides lib. de Eccleſ. cap. 2. p. 22. *Servetus frater noſter & ſervus Meſſiæ eſt.* Hic libris ſeptem de Trinitatis erroribus A. 1531. ſcriptis, plus centum locis, prout ego Altonæ eoſdem (cum Auctione quadam vendendi eſſent) mutuo inde acceptos perluſtrando obſervavi, Trinitatem *tricipitem Cerberum, diabolicum phantaſma, Gergonis monſtrum & illuſionem Sathanæ*, appellare non veretur, & lib. 1. inſulſe atque ſtolide colligit: *debuiſſent ergo dicere* (qui ſcil. Trinitatem in unitate profitentur) *quod habebat* (Deus nempe Pater) *uxorem quandam ſpiritualem: vel quod ſolus ipſe maſculo-fæmineus aut hermaphroditus ſimul erat pater & mater, nam ratio vocabuli non patitur, ut quis dicatur ſine matre pater.* Viciſſim lib. 2. pag. 52. *Item ſi logos filius erat, natus ex patre ſine matre, dic mihi, quomodo peperit eum, per ventrem: an per latus?* de ſupplicio ergo ejus Philippus Melanchthon in Conſiliis part. 2. pag. 204. & in Epiſt. ad Bullengerum h. m. *Legi quæ de Serveti blaſphemiis reſpondiſtis, & pietatem ac judicia veſtra probo. Judico etiam Senatum Genevenſem recte feciſſe, quod hominem pertinacem & non omiſſurum blaſphemias ſuſtulit. At miratus ſum eſſe, qui ſeveritatem illam improbent.* Succeſſit in propaganda Hæreſi Serveto Valentinus Gentilis, Companus Conſentinus, qui Patrem unicam eſſe divinam eſſentiam aſſeverabat, Filium autem ab eo per eſſentiæ propagationem eſſentiatum & Deificatum, (barbaram ſc. ſententiam barbaris exponens verbis) non eſſe unius eſſentiæ plures perſonas, ſed diverſas eſſentias, easque gradibus deitatis differentes & quæ plura teterrimorum dogmatum portenta erant; Idem vero ab eodem Magiſtratu Genevenſi ob turbas Eccleſiæ & Reip. datas carceri mancipatus, cum pœnitentiam ſimularet, exutus ad induſium uſque veſtibus, nudis pedibus & capite aperto, facem accenſam manibus tenens genibus in terram flexis veniam precari & ſcripta ſua igni parato ſuis ipſe manibus comburere coactus eſt. Abiit inde ad ſocium ſuum Gribaldum, quocum ea tempeſtate erat Alciatus eadem infectus hæreſi, poſt Lugdunum, Gratianopolim & Cameracum commigravit; atque cum Italiam ſimul & Galliam peſtifero illo fœtore impleſſet, in Poloniam tandem à Blandrata atque Alciato (qui jam ante eo ſe receperant) evocatus, ultra biennium ibi hæſit. Sed cum inter eos ipſos de-

heterodoxia sua non omnino conveniret; siquidem Blandrata palam Arianismum profitebatur, Alciatus ad Muhammedanismum deficiebat, edicto Regio A. 1566. Polonia ejecti, & Valentinus quidem Gentilis in Moraviam se contulit, atque ibi cum Anabaptistis multa egit, inde in Austriam perrexit, mox vero in Sabaudiam & in Genevensium iterum viciniam delatus, perjurii aliorumque criminum queis Rempublicam turbaverat accusatus & ad supplicium capitis damnatus est, prout legitur apud Thuan lib. 38 Matthæus Gribaldus, de quo dixi, JCtus olim Patavinus, neque incelebris in illa Academia Professor, non monitus *grandi & admirabili divini judicii exemplo*, sicut ipse vocat in edita postmodum Historica narratione de obitu Francisci Spieræ, Hæreticorum jam memoratorum placitis constanter adhæsit; Intercedentibus autem pro eo ap. Principem Würtenbergicum Paulo Vergerio episcopo Justinopolitano, nec non Hieronymo Gerhardo, qui eidem Principi à secretioribus consiliis erat, publice etiam in Academia Tubingensi docuit. Sed quod disseminare quoque errores suos in rebus fidei passim tentasset, fuga sibi consuluit; Bernam vero repetens, cum & ibi vicissim propagare pestiferum dogma non intermitteret, ad carcerem raptus quidem: sed simulata abnegatione mox liberatus est; rediit vero nihilominus ad vomitum, atque super veniente mox aëris infectione pestilentiali morbo correptus paratum sibi supplicium morte prævenit. Georgius porro Blandrata Saluccensis, professione Medicus in Helvetiam primum, inde Germaniam, post in Transylvaniam, tandem in Poloniam commigravit, ibidemque Stephani Regis Poloniæ Archiater constitutus, plurimum ap. ejus fratrem Christophorum & Sigismundum filium Transylvaniæ Principem valuit; de eo Socinus in libro adv. Wieckum refert, quod *de Ecclesiis* Socinianis *præclare aliquando meritus fuerit*, eisdemque passim ibi terrarum hospitia præpararit. Cur vero *aliquando?* Nimirum eodem libro cap. 2. p. 43. de illo hæc quoque addit: *plurimum* eum postea *REMISISSE de studio suo in Ecclesiis Transylvanicis, & sociis juvandis; imo eo tandem devenisse, ut vix existimaretur priorem, quam tantopere foverat de Deo & Christo sententiam, retinere; sed potius Jesuitis, qui in ea provincia tunc temporis Stephani Regis & ejus fratris Christophori Principis, haud multo ante vita functi, ope & liberalitate non mediocriter florebant, jam adhærere, aut certe cum eis quodammodo colludere*, Socios *spernere*, & *contra promissa sua* eos *penitus deseruisse, solis pecuniis congerendis eum postea intentum fuisse, qua ei necem*

quoque

quoque ab eo, quem haeredem suum fecerat, conciliarint; etenim à fratris sui filio in lecto jacens suffocatus perhibebatur. Edidit is A. 1569. librum contra Georgium Majorem de Trinitate, cujus hic erat Titulus; *Refutatio scripti Georgii Majoris, in quo Deum trinum in personis & unum in essentia: unicum deinde ejus filium in persona, & duplicem in naturis ex lacunis Anti-Christi probare conatus est.* Nam in fronte libri sui Georgius Major verba 1. Joh. 2. posuerat: *Hic est Anti-Christus, qui negat Patrem & filium, quisquis negat filium, iste patrem quidem habet.* Atque ex hoc Blandratae libro observatu erat facile, quinam Autores fuerint scripti maledicentissimi, quod A. 1567. ministri Ecclesiarum consentientium in Sarmatia & Transylvania ediderunt, Albae Juliae *de falsa & vera unius Dei Patris, Filii & Spiritus S. cognitione;* nimirum hic Blandrata, Franciscus Davidis, ejusdemque commatis plures; Eodemq; fortassis respexit Socinus, quando in Fragmento disputationis cum eodem Francisco Davidis super adoratione Christi pag. 128. sic eum alloquitur: *quanquam tu ipse in iis scriptis, quae hactenus communiter cum aliis edidisti, satis aperte adversus Trinitarios defenderis, Spiritum S. non esse personam.* Franciscus autem Davidis Hungarus natione, Superintendens fuit Ecclesiarum, quae sub tutela Principis Johannis Sigismundi contra Trinitatem personarum in Deo insurgebant; postmodum vero in semijudaizantium dogmata delapsus, dum doctrinam de Christo Domino non invocando in vulgus spargit, tanquam innovator à Christophoro Bathoreo Transylvaniae Principe Devae in carcerem conjectus, in eodem A. 1579. die 15. Novembr. vitam finiit. Libri ejus de Dualitate Tractatus secundus continet theses quindecim: Quod unus solus Deus Israëlis Pater Christi & nullus alius invocandus sit, quas nempe in Synodo generali Thordana exhibuerat; Idem urget in libello quodam parvo Blandratae opposito, quo thesibus triginta evincere conatur, Jesum Christum non posse vocari Deum, nec invocari eum debere. Recusus est ille liber in defensione Francisci Davidis in negotio de non invocando Jesu Christo in precibus, opera Jacobi Palaeologi, Matthiae Glirii & Davidis Francisci Davidis filii A. 1580. in forma octava. Eandem invocationem Christi quoque impugnavit Johannes Somerus Pirnensis Misnicus, à Blandrata & hoc Francisco Davidis in Transylvaniam evocatus ad Graecae linguae Professionem in Gymnasio Claudiopolitano. Sed de illo Valentinus Smalzius Disp. 9. cont. Franz. pag. 290. init. *Tractatus quos à Glirio, Neusero, Somero editos esse* (Franzius) *ait, non vidi, nec valde*

valde istorum hominum opinionibus insisto. Nam tales fere omnes isti fuerunt, quos nostra Ecclesia indignos fraternitate sua censuit, ob blasphemas ipsorum de Christo JEsu sententias. & Disp. seq. pag. 314. *Somerum nunc defendere non est animus, tum quia librum ipsius ad manum non habeo, tum quia nostris Ecclesiis cum isto homine, & aliis ejus similibus non omnino convenit. Nimis enim spiritus ille, qui Somerum & alios agitabat, ad Enthusiasmum propendebat, & odio Domini JEsu Christi flagrans, elevabat ea, quæ in Christi Evangelio nova nobis commendantur & præcipiuntur.* Jacobus vero Palæologus Græcus ex Insula Chio oriundus erat, ex Imperatorum Constantinopolitanorum prosapia satus, post obitum Someri Rector primarius Scholæ Claudiopolitanæ, Senex Romæ ob impia dogmata sua A. 1585. 22. Martii combustus. Sed nec prætereundus inter præcursores Socini Bernhardinus Ochinus. monachus Senensis, evocatus principio Romam ob studium erga religionem protestantium, monitus autem ab amicis, fuga, in qua eum haud parum Ferrariæ Ducissa adjuvabat, Genevam primum, inde Tigurum delatus & ministerio primum admotus, ob Arianismum quem animo fovebat, & ore jam prodebat, defensam quoque polygamiam ejectus, Basileæ aliquandiu hæsit, & sub forma dialogorum callidè virus sparsit, in iis enim ita Trinitatis causam agendam suscepit, ut argumentis in contrarium diligenter instructis & orthodoxia frigide defensa, prodere potius veritatem quam defendere eam videatur; unde non abs re de eo Stanislaus Hosius in Judic. de adoranda Trinit. *Ochinum fidei & Ecclesiæ Christianæ fuisse simul inimicum & defensorem: neque ullo tempore magis inimicum, quam quo se maxime simulabat defensorem.* Libri quoq; de Polygamia dialogum 21. ad risum inscripsit h. m. *Omnibus maritis, qui de uxoribus, & uxoribus quæ de maritis conqueruntur, Bernhardinus Ochinus patientiam per JEsum Christum optat.* Gregorius Zarnovecius Polonus in præfat. ad lib. de Satisfactione Christi hunc Ochinum Magistrum fuisse tradit Fausti Socini: sed negat in Bibliotheca Sandius pag. 4. eo quod Lælii hic institutione usus fuerit; quasi vero unius rei non possent esse plures causæ? Quid? quod pag. 18. in fine in Lælii sociis vel discipulis diserte idem hunc Ochinum nominat atque numerat. Lælius enim Socinus ille Senensis Patricius Mariani Junioris filius fuit; Atavus vero ejusdem Marianus Senior, & hujus filius Bartholomæus Consiliis suis atque Responsis quæ in quatuor tomos digesta Hieronymus Magius A. 1569. Venetiis edidit, nominis sibi in Jurisprudentia apud posteros immortalitatem pepererunt. Marianus quoque Socinus Junior,

nior, Juris in Academia Bononiensi Antecessor distinctiones Bartholi composuit, easdemque Venetiis A. 1564. edidit Simon Schardius & Socino vindicavit. Lælius ergo Socinus cautius nefariæ hujus sectæ lolium sparsurus, in principium Evangelii Johannis explicationem quandam edidit; hanc vero in prima velut herba oppressit Hieronymus Zanchius evulgato libro de tribus Elohim, in cujus Præfatione sic inter cætera: *Quum refutarem Lælii Socini impiam interpretationem in primum caput Evangelii secundum Johannem, idcirco subticui ejus nomen, & nebulonem tantum vocavi; propterea quod neque certo sciebam, hunc fuisse illius commentarioli autorem, neque tum legebam illius nomen in libris adversariorum expressum. Nunc vero quia res est nimis manifesta, ego quoque id tibi Lector, notum facio.* Deinde de ipso Lælio, quo cum coram multa egerat, hæc addit: *Fuit Lælius nobili honestaque familia natus, bene Græce & Ebraice doctus, vitæque etiam externæ inculpatæ, quarum rerum causa mihi quoque intercesserat cum illo non vulgaris amicitia: sed homo fuit plenus diversarum hæresium, quas mihi tamen nunquam proponebat, nisi disputandi causa, & semper interrogans, quasi cuperet doceri &c. Pertraxit in eundem errorem non paucos, me quoque diversis ut dixi tentavit rationibus, si eodem posset errore simul & æterno exitio involvere.* Eques Polonus qui illius vitam describit, exhibet quoque Johannis Calvini ad eundem Epistolam A. 1552. exaratam, qua *non est,* scribit, *quod expectes, dum ad illa quæ objicis quæstionum portenta respondeam. Si tibi per aëreas illas speculationes volitare libet, sine me quæso humilem Christi discipulum ea meditari, quæ ad fidei meæ ædificationem faciunt. At ego quidem silentio meo id quod cupio consequar, ne tu mihi posthac sis molestus &c.* Idem postea imposuit quoque Philippo Melanchthoni, impetravitque ab eo, ut pro illo intercesserit tum apud Imperatorem Maximilianum II. tum Sigismundum Poloniæ Regem, ut horum nomine Legati vicem Venetiis obire, eaque ratione paternam hæreditatem, sibi ob conversationem cum Protestantibus in Germania interclusam, adire tutius liceret. Decessit tandem Tiguri A. 1562. d. 16. Maj. Inter reliqua scripta illius eminent Tractatus de resurrectione corporum, & alius adhuc de Hæreticis capitali supplicio non afficiendis, nec non dissertatio ejusdem de Sacramentis ad Theologos scripta Tigurinos & Genevenses. Vix eo anno quo diem obiit Lælius, adolescens XXVII. annorum Faustus Socinus erat, natus A. 1539. 15. Decembr. $2\frac{3}{4}$ hor. ante solis exortum ex Lælii fratre Alexandro, patritio Senensi & JCto non incelebri, matre Agnete Burgesii Petruccii, Se-

narum Principis filia; plurimis adeo Italiæ Principibus & magnatibus, immo Pontificibus Romanis Pio II. & III. nec non Paulo V. ſangvine junctus, florentiſſimos ætatis annos optimarum artium inde juris ſtudio impendit, reliquos deinde in aula & otio perdidit, prout ipſe de ſe refert in Epiſt. fol. 670. Anno 1559. viginti annos natus Lugdunum ex Italia ſe contulit, ibi cum fere triennium commoratus eſſet, audita morte Patrui celeriter Tigurum ſe contulit, non vero tam hæreditatis adeundæ, quam Bibliothecæ & ſcriptorum recondendorum cauſa; Rediens in Italiam primum in aula Florentini ducis per duodecim annos hæſit; unde A. 1574. Baſileam venit, manſitque ibi triennium, poſt in Tranſylvaniam à Blandrata evocatus, biennio elapſo in Poloniam ſeceſſit, ibidemque quadragenario jam major libros edere inſtituit. Prodiit ergo ejus nomine Liber de Chriſto Servatore adverſus Jacobum Covetum Miniſtrum Pariſienſem, qui apud ipſum forte, Francofurtum tendens, in eodem hoſpitio diverterat. Antequam vero id opus abſolveret, morbo & abſentia ab urbe, qua Lælii ſcrinia aſſervabantur, non nihil interrumpebatur. Inde Tiguri cum per tempus quoddam commoraretur, aliam edidit diſputationem, nempe de Statu primi hominis mortali an immortali adverſus Franciſcum Puccium, Florentinum, è nobili ejus loci proſapia ortum, qui relicto Papatu in Angliam ſe contulerat, & Oxonii primum, tum Londini Theologiæ operam dederat, Baſileam vero repetens nonnullam cum Socino de hac quæſtione Diſputationem habuit. Hinc profectus in Poloniam iis qui ibi jam in cœtum coaluerant divinitatis Chriſti hoſtibus adjungi petiit; ſed quod ab illis non nihil diſſentiret, ſatis acerbe repulſam initio paſſus eſt. Sic enim in Epiſt. ad nobilem fœminam Sophiam Siemichoviam: *Reſpondeo, me poſtquam in Poloniam veni, nihil antiquius habuiſſe, quam ut me quam maxime cum fratribus conjungerem, licet inveniſſem illos in non paucis religionis noſtræ capitibus à me diverſum ſentire, quemadmodum hodieque multi ſentiunt & Deus novit, quæ & quanta propter hanc cauſam ſim paſſus & adhuc patiar; nullos unquam interea labores etiam cum maximo meo periculo & damno conjunctos refugiens, quos vel fratres ipſi mihi impoſuerint, vel ego pro cætu noſtro ſubeundos mihi cenſuerim, id eſt, et utiles fore ſperaverim. Quod ſi nihilominus aquæ baptiſmum una cum illis non accipio &c.* Diſputationem vero ibi difficillimam habuit cum Sebaſtiano Franckio de adoratione JESU Chriſti, quæ ab ipſo edita eſt una cum Reſponſione prolixiore ad Franciſci Davidis ſuper eadem quæſtione ſcriptum; ſed cujus plurima pars periit;

periit; quemadmodum inter fragmenta ejusdem ejus generis plura occurrunt, sc. adversus Franciscum Davidis & Semi-judaizantes, nec non Martinum Seidelium. Scripsit quoque in Polonia adversus Andream Volanum responsionem unam & alteram ad ejus Paraenesin disputationem de JEsu Christi filii Dei nativitate, nec non de peccatorum per eundem expiatione. Inde sub nomine Prosperi Dysidaei scripsit in cap. 7. ad Romanos ad Joh. Niemojevium, ejusdemque postea defensionem suscepit atque inscripsit Nicolao Barnardo, Medico, Anno nimirum 1595. Porro adversus Palaeologum de Magistratu Politico pro Racoviensibus suis, quos Palaeologus impeterat: defensionem adversus Gabrielem Eutropium, Canonicum Posurniensem. Scripserat quoque antea Libellum sub nomine Dominici Lopez de Autoritate Scripturae primum lingva Italica Hispali editum, dein Racoviae recusum. Adversus Erasmum Johannis disputationem de unigeniti filii Dei existentia, nam eam asserebat Antagonista ejus ante quam is è virgine Maria nasceretur: Socinus autem negabat. Libellum pariter Jacobi Wieki Polonice editum de Divinitate filii Dei & Spiritus S. latino sermone refutavit A. 1592. sed Wieki causam postea egit Franciscus Junius. Rursus librum de officio hominis Christiani edidit in hodiernis de religione controversiis, nempe cui potissimum coetui inter omnes de religione dissidentes homo Christianus adhaerere debeat, urgens, quod regni Poloniae & magni Ducatus Lithuaniae homines, vulgo Evangelici dicti, qui verae pietatis studiosi essent, omnino se deberent illorum caetui adjungere, qui iisdem locis falso atque immerito Ariani atque Ebionitae vocarentur. Respondit ad hunc Librum Balthasar Meisnerus, Theologus Wittebergensis sane celeberrimus; sed Socini iterum causam adversus hunc postea in se suscepit Jonas Schlichtingius. Edidit quoque Praelectiones Theologicas de diversis Religionis capitibus, easdemque Academiae Heidelbergensi inscripsit. Lectiones ejus Sacras Valentinus Smalzius, in primum caput Johannis Hieron. Moscorovius explicationem illius publici juris fecit. Scripsit porro de baptismo aquae Tractatum, & alium perbrevem de coena Domini, qui editus est una cum defensione ejus adversus Niemojevium, de Justificatione & de Ecclesia. Extant plurima quoque operum illius fragmenta & Epistolae ad diversos; quibus operibus omnibus magnam sibi tandem apud suos autoritatem conciliavit, ut in ejus doctrinam plerique aut saltem praecipui consentirent, atque hoc pacto caput inter reliquos facile extolleret. Non

tamen diffitetur ipse in Disputatione cum Puccio pag. 49. quam rudis præ patruo fuerit in lingva Græca & Hebraica, sic enim: *Græcos fontes, ut egomet omnibus dico, leviter admodum degustavi. Hebræos vix dum attigi.* Quam rudis vero in Philosophia extiterit, fatetur libro de Baptismo aquæ cap. 10. pag. 101. *Pudet jam, dialecticas præceptiones ne primoribus quidem, quod ajunt, labris me degustasse ex ipsis fontibus: sed sola ferme (quod ad hanc partem attinet) natura ac ratione duce, de non minimis rebus disputare aliquando ausum fuisse.* Cæterum in omni vita mundana & corporis cultu mundum & aulam, cui in juventute erat adsvetus, præ se ferebat, in capitis & vestium cultu comtus ille semper & elegans, quemadmodum de veteribus Arianis Hilarius refert, quod Palatii potius, quam Ecclesiæ Episcopi extiterint; Obiit anno hujus seculi quarto die 1. Mart. in pago Luclaviecz qui situs est in Palatinatu Cracoviensi ibidemque terræ mandatus est. Eo adhuc vivo, & post illius è vita excessum, hæresin defenderunt magno numero plurimi, inter quos eminent Andreas Voidovius Polonus, pastor primum cœtus Lublinensis, post Racoviensis, qui nonnullos nobiles Polonos studiorum continuandorum gratia in Academiam Lugduno Batavam, comite Christophoro Osterodo deduxerat, librosque plurimos Arianam hæresin defendentes eo adduxerat; sed qui protinus combusti, atque ipse cum suis Belgio abire jussus est. Inter scripta ejus eminet Elenchus locorum Scripturæ Novi Testamenti, quæ pro asserenda SS. Trinitate & æterna filii Deitate in medium afferri solent. Christophorus Osterodus Goslariensis Saxo filius ibidem Pastoris Ecclesiæ Lutheranæ, Rector deinceps Scholæ Sluchoviensis in Pomerania nostra, ob hæresin ibi quam spirabat oppido ejectus Anno 1585. in Poloniam commigravit, primum Smiglæ, post Gedani Pastoris munere functus. Inter scripta ejus sane varia præcipua sunt Disputatio cum Povodowko Canonico Posnaniensi de unico Deo, quod is solus sit pater, de Christo Domino filio Dei, & de Baptismo, quod credentibus non autem infantibus competat. Tractatus de divinitate Christi & Spiritus S. contra Tradelium J. U. Doctorem & Syndicum Augustanum. Item Institutiones Christianæ religionis, quæ maximam partem & nonnunquam verbotenus è Socini scriptis compilatæ; eas vero summo studio refutavit celeberrimus in Academia Giessensi Professor Theologiæ Justus Feurbornius. Osterodo addo Georgium Enjedinum, Hungarum, Superintendentem Ecclesiarum Sectæ hujus in Transylvania & Rectorem Gymnasii Claudiopolitani, qui

Expli-

Explicationem edidit locorum Scripturæ, quibus Trinitatis dogma stabiliri solet, nec non Explicationem eorum Scripturæ locorum, quæ adducit Catechesis Racoviensis. Illam vero iterum solide refutavit modo laudatus Justus Feurbornius in Anti-Enjedino. Enjedinus autem obiit in flore adhuc ætatis anno nonagesimo septimo superioris seculi. Johannes Volkelius Grimmensis Misnicus, Ecclesiæ primum Philippoviensis, post Smiglensis pastor, dissolutionem Nodi Gordii edidit, quem nexuerat Matt. Smiglecius Jesuita, Philosophus certe insignis eamq; vindicavit in Responsione ad vanam refutationem dissolutionis illius. Præcipui inter reliqua ejus opuscula sunt libri quinque de vera religione, quibus præfixus est Johannis Crellii liber de Deo & Attributis divinis; volumen illud in Belgio Amstelodami & Roterodami impressum & A. 1642. publice jussu Magistratus Vulcano immolatum. Extat vero hodie cum Refutatione Samuelis Maresii, Theologi Groningensis sat celebris, sub titulo: Hydra Socinismi expugnata tribus voluminibus A. 1651. Eodem fere tempore Valentinus Smalzius, Gotha Thuringus Catechesin Racovianam concinnavit, & Facultati Theologicæ Academiæ Wittebergensis inscripsit. Fuit ille primum Rector ludi Literarii Smiglæ, deinde pastor Ecclesiæ Racoviensis, postea Lublinensis. Edita illa Catechesis lingva Polonica, mox quoque Germanica & tandem Latina; opposuit ei non tantum Academia Wittebergensis Refutationem Germanicam, sed Latinam quoque Wolffgangus Franzius Theologus celebris Thesibus in Augustanam Confessionem editis, quibus passim Socinianam hæresin & solide quidem confutavit; & earundem vicissim Thesium cum Refutationem adornasset Smalzius, mox Franzius non tantum vindiciis doctissimis illam discussit, sed opposuit iisdem Hæreticis Scholam quoque Sacrificiorum, librum sane ob summam utilitatem sæpius recusum, & dignum qui ab omnibus studiose legatur. Cæterum illam Catechesin è Reformatis quoque eruditissimis scriptis confutarunt Nicolaus Arnoldus in Franequerana Academia Theologiæ Professor, cujus opus sub titulo Religionis Socinianæ editum Franequeræ A. 1654. & Matthias Wren, Episcopus Eliensis, qui in solitudine sua carceraria Increpationem Bar JESU, ut vocat, sive Polemicam Assertionem locorum Scripturæ ab imposturis perversionum in Catechesi Racoviana molitus est, cujus insignem laborem ab interitu vindicavit filius, editque Londini A. 1660. Idem quoque Arnoldus in lucem emisit Atheismum Socinianum, occasione sc. confutationis Johannis Budellii Angli natione, qui duas ibidem Catecheses in vulgus spargere & cætum quen-

dam cogere non dubitavit. Sed ut ad Racovianam Catechesin redeamus, ea A. 1680. multis locis aucta & interpolata prodiit hoc titulo: *Catechesis Ecclesiarum Polonicarum unum Deum patrem illiusque filium unigenitum JEsum Christum una cum Spiritu S. ex Sacra Scriptura confitentium, Primum A. 1609. in lucem emissa, & post earundem Ecclesiarum jussu correcta ac dimidia parte amplius aucta, atque per viros in his cœtibus inclytos Johannem Crellium Francum, hinc Jonam Schlichtingium à Bukowick, ut & Martinum Ruarum, ac tandem Andream Wissowatium recognita & emendata, notisque cum horum tum aliorum illustrata Stauropoli* (f. potius Amstelodami) *per Eulogetum Philalethem.* Ipse vero suo nomine Smalzius non tantum de divinitate & incarnatione JESU Christi plurima; sed præcipue etiam contra Smiglecii librum, quem is vocavit: *Nova Monstra Arianismi*, Refutationem quoque Thesium Alberti Graueri Theologi Jenensis, sane doctissimi & in disputando acutissimi, de Incarnatione & de Spiritu Sancto, thesium quoque Schopperi de unitate essentiæ divinæ; Refutationem porro librorum duorum Smiglecii, quos de erroribus novorum Arianorum inscripsit: Examen etiam 157. errorum, quos idem Jesuita Socinianis objecerat, aliaque sane plurima quæ patrum memoria passim extabant, nunc vero rarius venduntur edidit. De obitu ejus, qui incidit in Annum 1622. ita Johannes Crellius Francus in Epist. ad Martinum Ruarum Krempa Holsatum data A. 1623. d. 28. Jan. *Credo te ex itinere reversum, etiam antequam has accepisses literas, de morte Reverendi viri Dn. Valentini Smalzii audivisse, itemque de obitu Dn. Benedicti Wissowatii, quorum hic è vivis excessit 4. Decembr. anni superioris, ille octava, h. e. post ridie ejus, qua à nobis discessistis. Cras summo mane Deo volente ego cum Statorio nostro ad sepulturam D. Wissowatii p. m. proficiscor. Constitutum erat à fratribus, uti una D. Smalzii p. m. corpus humo mandaretur; sed uxor ipsius vidua, ad primam qua Racoviæ fit habenda congregationem, rem distulit.* Smalzii vero in condenda quam diximus Catechesi socius fuit Hieronymus Moscorovius Eques Polonus, antiqua & illustri Ducum Silesiorum de Swidna, Comitum de Dobczyce prosapia oriundus, Andreæ Dudicii ab Horccowiza Sbardellati Cæsaris Consiliarii & ad Regem Poloniæ legati gener, ipse sæpe ad comitia Regni ex equestri ordine delegatus, Ecclesiæ Czarcovianæ fundator & patronus, cui Faustus Socinus A. 1595. librum contra Erasmum Johannis inscripserat. Hic præfationem præmisit Catechesi, quam in latinum traductam Sociniana cohors Jacobo Magnæ Britanniæ Regi consecrare non dubitavit,

quæ

quæ tamen mox Parlamenti decreto igni adjudicata est. Idem inter alia scripta bene multa Refutationem edidit Appendicis, quam Smiglecius novis Arianismi monstris addidit, nec non alius ejusdem libri de Baptismo. Ex eadem stirpe oportet fuisse Stanislaum Casimirum Moscorovium, cujus sub manu librum possideo Fausti Socini de Christo Servatore, quem is in pignus amicitiæ non nemini A. 1600. 12. Augusti, donavit, qui tamen è subscriptione illa nomen suum postea delevit. Obiit vero Hieronymus ille A. 1619. die 19. Julii. Moscorovio addimus Adamum Goslavium de Bebelno, pariter Equitem Polonum, qui refutationem adornavit illius partis Systematis Theologiæ Bartholomæi Keckermanni, qua ille disputat adversus eos, qui filium DEI ante nativitatem ex Maria virgine extitisse negant, & quia Keckermannus in Gymnasio Dantiscano docuit, eidem quoque Senatui Refutationem illam inscripsit. Disputationem quoque edidit de Persona, in quo sc. ratio ejusdem formalis consistat: sed eam contra Jacobum Martini, celeberrimum Theologiæ in Academia Wittebergensi Professorem propositam, cum ipse Martinus tum Balthasar Meisnerus dignis modis ad examen vocarunt. Seqvuntur Catecheseos illius interpolatores Martinus Ruarus & Johannes Crellius, qui Scholæ primum Racoviensis Rector fuit, & postea Pastoris ibidem munere functus est, cujus vitam descripsit Joachimus Pastorius, quæ & ejus operibus postmodum præfixa legitur in Bibliotheca fratrum Polonorum; Quemadmodum vero supra jam dixi, ejus librum de DEO & attributis divinis à Samuele Maresio: ita jam addo alium ejus librum de uno Deo Patre à B. Botsacco nec non Calovio p.m. confutatum esse. Scripsit & Ethicam Christianam, cui affixa solet esse novissima Catecheseos Racovianæ editio. Reliqua ejus opera exegetica sunt, in plurimos scil. Novi Testamenti libros scripta. Obiit A. 1633. 11. Jun Racoviæ. Ruarus autem Straffini ad Gedanum Pastorem Sociniani ibidem cœtus egit, ejusque saltem extat Epistolarum selectarum centuria. Decessit vero A. 1657. fere Septuagenarius. Tandem & in polienda Catechesi Racoviensi operam aliquam collocavit Jonas Schlichtingius Eques, Polonus, Pastor itidem Racoviæ & postea Luclavicus, qui obeditam fidei confessionem infamia notatus; ea siquidem A. 1646. tempore comitiorum manu carnificis publice in foro Warsaviensi combusta est, in exilio deinceps, nempe Zelichoviæ in Marchia Brandeburgensi vitam finiit. Plurimis dudum innotuit libris, qui fere omnes habentur in Bibliotheca fratrum Polonorum, plurima vero

adhuc

adhuc inedita refert Sandius in Bibliotheca p. 130. & seqq. Inter opera eristica eminent disputatio de Trinitate, deque sacris Eucharistiæ & Baptismi ritibus contra Balthasarum Meisnerum instituta. Epistolæ ad Georgium Calixtum Theologiæ Professorem & alios. Quæstiones de Magistratu, bello, defensione, privata &c. Argumentis vero illius quæ congessit adversus Trinitatem, solide respondit celebris in Academia Altorffina Philosophus Joh. Paulus Felwingerus. Inter eos autem porro qui nostros suis scriptis lacessivere, præcipui hac tempestate fuerunt Joachimus Stegmannus è Marchia Brandeburgica oriundus, Rector itidem Scholæ Racoviensis, in quo munere Martino Ruaro successit, deinde pastor Ecclesiæ Claudiopolitanæ; qui controversiam hujus temporis de Ecclesia, nec non Breve Examen Admonitionis Botsacci de cavenda Heterodoxia Neophotinianorum: Notas veræ falsæque doctrinæ & libros duos de Judice & norma controversiarum fidei edidit. Andreas Wissowatius Eques Polonus, Fausti Socini è filia nepos, Joachimi Rapnovii gener, Pastor primum in Ukraina & Volynia, postea vero Lublinensis, hinc Racoviensis, & tandem Robkoviensis in Cracoviensi Palatinatu. Innotuit parvulo libro, cui titulus Religio Rationalis s. de rationis judicio in controversiis fidei, quem miror, cur Dn. Heinr. Ludolph. Benthenius in descriptione Status Ecclesiastici & Scholastici in Batavia p. 898. nondum editum recordari non possit, cum ipse dudum possideam librum editum A. 1685. in Batavia, quanquam nomine loci & typographi suppresso; quin eodem ipso anno idem refutatus sit disputatione quadam inaugurali in illustri Kiloniensi habita sub præsidio olim primarii ibidem Theologi Christiani Kortholdi, à Respondente Bartholdo Kempio Superintendente Parchimensi in Ducatu Megapolitano. Idem Wissowatius Stimulos quoque virtutum & fræna peccatorum edidit, opusculum quod ob speciosum titulum iis placet, qui in eo virus Pelagianum non observant. Idem autor quoque fuit adornandæ Bibliothecæ Unitariorum, opus sola quantitate molis, haud quaquam virtutis æstimandum, nisi quod satis care emitur, cum tamen vix decima pars Scriptorum in illa volumina congesta sit, quæ frequenter in Controversiis cum hujus generis adversariis solent adduci; obiit vero Wissowatius in exilio Amstelodami A. 1678. d. 29. Julii. Notus quoq; mihi cum Berolini agerem, Jeremias Felbingerus, natione Silesius, Scholæ quondam Coslinensis in Pomerania Rector, is epistola ad certamen provocare ausus est nostrum Micrælium, Georgium quoque Calixtum,

tum, Pelargum & Christianum Grossium ulterioris Pomeraniæ Superintendentem. Idem postea edidit Demonstrationes aliquot, quas vocat invictissimas, nimirum quod solus Pater Domini nostri JESU Christi sit Deus altissimus: quod solus homo JESUS Mariæ filius sit unigenitus ac proprius Dei filius: quod Spiritus S. sit virtus Dei: quodque gratia divina per fidem justificati teneantur vitam suam instituere secundum mandata JESU Christi. Interpretationes quoq; Paradoxas quatuor Evangeliorum. Tractatum de Origine animæ, Confessionem de Deo Patre Filio & Spiritu S. secundum scripturas. Problema Paradoxon de Spiritu S. annon per illum Sanctorum Angelorum genus intelligi possit. De hoc Felbingero supra citatus Benthemius p. 905. Als ich ihn A. 1687. zu Amsterdam vor der Leydenschen porte antraff/war er in armseligen Zustand/ und hielt sein Leben mit informiren der Kinder kümmerlich hin. Hätte er wollen zu denen Socinianern treten/ würde es ihm an gutem Unterhalt nicht gefehlet haben. Allein er blieb beständig bey der Lehre des Arii. Auff die Lutheraner/ von welchen er ausgegangen/ war er sehr übel zu sprechen/und klagte/ daß sie ihn in Teutschland verfolget hätten/ woraus er schliessen wolte/ daß er müste einer der rechtschaffenen Christen seyn/ welche doch Verfolgung leiden müsten. Insonderheit beschwerte er sich/daß zu Helmstädt ihm gebothen worden/vor der Sonnen Untergang aus der Stadt zu weichen/ dieweil er einigen Studiosen seine Schrifften gegeben hatte/ ꝛc. Debuissem hoc loco adducere quoque eos, qui præter à nobis sparsim hic citatos hæresin hanc pestilentissimam impugnarint: quos inter Nostrates eminent Thummius in Impietate Photiniana: Stegmannus in Photinianismo: Calovius in Socinismo profligato: Scherzerus in Collegio Anti-Sociniano: è Reformatis, Hornbekius in Socinismo confutato &c. Sed quia id jam præstitum pluribus est in Bibliothecario Studiosi Theologiæ pag. 303. & sequentibus, benevolum Lectorem eo remitto, & quæso ne eos meos conatus ob nuperum vere sinistrum Lynckeri JCti Jenensis judicium despiciat. Non comparandus quidem mole iste libellus meus cum magni illius viri per tabellas divisionumque divisiones in longum satis atque latum, sed minus in profundum extenso volumine; Sed nonnunquam de libris obtinet illud Callimachi: Magnus liber, magnum malum. Instruit ille Bibliothecarius meus tantum Theologiæ Studiosos, hi si eos modo, quos adduco libros, possideant, credo eos facile posse Lynckeriana illa manuductione carere.

DOGMATA SOCINIANORUM.

I. DE PRINCIPIO ET ARTICULIS FIDEI.

1. *Unusquisque homo sine Spiritus S. illuminatione salutariter scripturas potest intelligere.*

Smalz. Refut. lib. de Error. Arian. cap. 1. pag. 6. Dicimus bonam & potissimam partem scriptorum Apostolicorum ita esse comparatam, ut ipsa verba sint ipse sensus, & absque ulla explicatione à quovis rationis non plane experte intelligi possint. Talia autem sunt omnia, quæ ad salutem necessario pertinent, & si quis ista confiteatur, & secundum ea vivat, jam salutis æternæ particeps esse potest. Reliqua vero quæ per se absque interprete intelligi non possunt, ita sunt comparata, ut absque sensu vel intelligentia illorum servari aliquis possit, & ita sensu nullius hominis necessario opus est. *Ostorodus Instit. Christ. relig. cap. 1. §. 3. p. 3.* Eos omnes periculose errare arbitramur, qui non quemvis Scripturas assequi posse existimant, sed quosdam tantum certos homines, qui hoc donum præ cæteris à Deo habent, vel quod Scriptura S. sine præcedente illuminatione interna & peculiari revelatione Spiritus S. nullo modo fidem & obedientiam in homine operari possit.

2. *Textus Scripturæ Originarius corruptionem nonnunquam passus videtur.*

Catech. Racov. cap. 2. quæst. 10. Non omnino illam opinionem rejicit, quod quædam in Scripturis depravata sint, in rebus scil. minoris momenti. *Faustus Socinus libro de S. Scriptura autoritate cap. 1. pag. 6. distinguit inter* depravationem totius historiæ aut doctrinæ in universum & singularium aliquot locorum, *ex quibus ipsa historia aut doctrina non immutetur, & addit;* Quod si depravatio est aliquot locorum singularium, ex quibus nec doctrina, nec historia immutetur, quidnam hoc momenti habet? *Autor disputationis contra Judæos respons. ad quæst. XXIV. pag. 115. scribit:* Cum V. T. tot vulnera sive per incuriam, sive per inscitiam Librariorum acceperit, mirum non fore, si idem Scriptoribus Evangelii acciderit.

3. *In*

3. *In rebus levioribus, præcipue Historicis, Scriptores Sacri nonnunquam errarunt.*

Socin. de Autor. Script. cap. 1. pag. 14. Dico igitur, quod attinet ad repugnantias aut diversitates, quæ in Novo Testamento sint, aut non in re sint parvi, seu potius nullius momenti. *& cap. 4. p. 71.* Quodque huc attinet, fieri posset, ut verissima ea omnia essent, quæ de ipsis historia affirmat, & tamen ipsi nonnunquam hac in parte leviter errassent. *Volkelius lib. 5. de Relig. Christ. cap. 5. pag. 375.* Si vera aliqua diversitas in Scriptura esse statuatur, eam aut in re magna & quæ caput aliquod sit disciplinæ Christianæ consistere volumus: aut in ea, quæ nullum ad vitam beatam aut certe perexiguum habeat momentum. Illud quidem demonstrari nullo modo potest. Hoc vero tantum abest ut fidem illis minuat ac infirmet, ut potius mirum in modum augeat atque confirmet. Cum enim dissensio ista quæ statuitur, non nisi Historicis rebus contineatur: annon apertissimum est, eos de rebus quas literarum monumentis consignarunt, neutiquam consiliis inter se collatis ad circumveniendos homines scripsisse.

4. *Minor in rebus fidei Veteris quam Novi Testamenti autoritas est.*

Socin. lib. de autor. Script. cap. 4. p. 37. Qui enim novum Testamentum recipit, habet in ipso quidquid sibi est opus, quod attinet ad doctrinam. Quod si tamen interdum in rebus ad doctrinam spectantibus, est quod vetere quoque testamento utatur, ea doctrinæ pars tunc aliud nihil nisi historia censenda est, qualia sunt præcepta, quæ Deus per Mosem dedit. *Et Epist. 3. ad Dudith. p. 65.* Sane quidem sub novo fœdere & illa quæ in veteri tradita sunt, creduntur, non quod ea nobis creditu necessaria sint, sed quod fide iis adhibita, quæ novo fœdere continentur, quæque idoneis argumentis per se ipsa abunde nituntur, & illa, quæ veteri fœdere comprehenduntur, qualiacunque tandem sint, credi sine ullo alio argumento, saltem implicite atque involute, consectarium est; quamquam interea fieri possit, ut quis eorum, quæ novo fœdere tradita sunt, tantum & norit & persuasum sibi habeat, quantum ei ad salutem obtinendam sit satis, & tamen aut nesciat, aut non credat multa veteris, imo ne unum quidem eorum, quæ illi propria, ejusque generis sunt, de quo nobis est sermo.

Quin ausim dicere, ut quis vere Christianus audiat, ne ipsius quidem V.T. notitiam & ullam habere necessum esse. *Nicolaid. contra Miedziboz fol. 68.* Recipitur quidem testimonium Prophetæ; sed plus valuisset, si Apostolus dixisset, parum curandum est, quid dicat de cultu Dei Propheta V.T. Iis (N.T.) tantum nec ullis aliis libris Religionis Christianæ veritas est cognoscenda.

5. *In Veteri Testamento carnalia & temporalia bona proponuntur: in novo autem plenius planiusque spiritualia & æterna.*

Schmalz. de divin. Jesu Christi cap. 7. Persuasi sumus, nec in ipsis etiam Prophetarum scriptis ullum extare apertum promissum vitæ illius beatæ, atque immortalis, cujus toties repetita promissio in sacris litteris novi fœderis inculcatur. *Socinus in Comm. in 1. Epist. Joh. fol. 134.* Quamvis ii ipsi, qui sub V.Testam. fideles fuerunt, vitam æternam sint consecuti, non tamen sic proprie de illis dici potest, quod eas res divinas noverint, quæ ad salutem æternam consequendam sunt necessaria, ut de Christianis potest; cum illi perinde non atque isti vitæ æternæ cognitionem haberent, nec sibi à Deo illam promissam fuisse certo scirent, imo nihil sibi dictum ea de re adeo expresse fateri cogerentur. *Et 445.* Nemo negare potest sub V. Testam. nec vitam æternam promissam fuisse à Deo, nec modum illam consequendi fuisse patefactum, ita ut illud ab iis intelligeretur, qui illam consecuturi essent. *Ostorod. cap. 5. f. 21.* Promissiones V. Testamenti tantum corporales fuerunt, spiritualibus in novo demum Testamento promulgatis, & Christus post suum demum adventum in carnem & hunc mundum, promissiones Evangelicas ante nativitatem ipsius ex Maria Virgine omnibus ignotas revelavit, ac proinde promissiones illæ in V. Testamento temporales tantum, non autem spirituales ac æternæ fuerunt, & consequenter non accidentale tantum, sed substantiale discrimen inter Vetus & Novum Testamentum, si res promissas spectes, statuendum est.

6. *Fidei dogmata rationi consentanea esse oportet, quæque rationi non conveniunt, neque fidei dogmata haberi debent.*

Smalz. disp. 4. de justif. cont. Franz. fol. 137. Nulla est Religionis particula

ticula, quæ cum ratione non conveniat: & quæ cum ratione non convenit opinio, ea etiam in Theologia nullum locum habere poteſt &c. Summa enim & ipſa ratio Religio eſt. *Idem R. fut. lib.* de vero & naturali Dei filio *cap. 6. p. 46.* Certum autem eſt, quicquid rationi contrarium eſt, id nec in S. literis ſcriptum extare, nec ex illis colligi poſſe. *Socin. defenſ. animadv. cap. 3. p. 50.* Capere mente, quippiam eſſe non poſſe, ſeu aliquid negare, quia id eſſe non poſſe deprehendas, tantam vim habet, ut divina ipſa teſtimonia quantumvis prima facie aperta aliter interpretari permittat, & cogat, quam ipſa verba ſonent. *Oſtorod. Inſtit. cap. 4. p. 30.* So aber jemand ſagte / daß dieſe unſere ratio nicht gelte ꝛc. Hierauf geben wir zur Antwort / daß es höchlich zu beklagen ſey / daß die Menſchen in ſolch eine grobe Blindheit gerathen: Nachdem mal es unmüglich iſt / daß ein Ding zugleich könt falſch und warhafftig ſeyn. So denn nun die ratio, das iſt / Vernunfft oder Verſtand ausdrücklich beweiſet / die Dreyheit der Perſonen in GOtte falſch zu ſeyn / wie ſolt denn immermehr einem verſtändigem Menſchen in den Sinn kommen / daß dieſelbe gleichwol könne wahr ſeyn / und mit GOttes Wort bewieſen werden?

7. *Quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ea diſertis in Sacra Scriptura verbis extare oportet: non inde ſolum per conſequentiam deduci.*

Smalzius, de ſatisfactione Chriſti, contra Smiglecium, lib. 1. cap. 11. pag. 178. Principia fidei Chriſtianæ, inquit, prima non tantum quoad rem, ſed etiam quoad nomina in ſ. literis extare neceſſe eſt, utpote in quibus ſalus ipſa ſita eſt. Non negamus dogmata multa veriſſima eſſe, quorum expreſſa & diſerta mentio non extet in ſ. literis; ſed ad ſalutem æternam neceſſaria, vel principia fidei, ea eſſe, concedi non poteſt. Pro omnium enim captu ea eſſe oportet, quæ ad ſalutem neceſſaria, & quod magis eſt, quæ ſunt prima fidei principia. At conſequentiæ, quas vocant, non pro omnium ſunt captu, nempe ſimplicium, quorum ſemper maximus in Eccleſia Chriſti fuit numerus. Itaque aut expreſſe iſta dogmata ſatisfactionis & meriti Chriſti nominata eſſe in ſ. literis docendum eſt: aut confitendum, ea non eſſe ad ſalutem neceſſaria, vel prima fidei Chriſtianæ principia. *Idem*

cap.5. pag. 218. Si ex numero rerum ad ſalutem neceſſariarum quid cenſeatur, plane requiri videtur ut dogma illud expreſſe ſcriptum extet. Nam quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt prorſus & abſolute, ea ut omnes credere, ſic etiam intelligere neceſſe eſt. *Viciſſim in Refut. lib. de Error. Arian. 1. cap. 3. p. 24.* Confitemur eam rem, quæ collectione evidenti ex ſacris literis tantummodo deduci poteſt, ad ſalutem præciſe non pertinere, ſed ſolum ad eandem utiliſſimam eſſe. Ea enim ῥητῶς extare neceſſe eſt, ſine quibus ſalus non datur. *Iterum contr. Grawer. f. 4.* Principia fidei, prima non tantum quoad rem, ſed etiam quod nomina in S. literis extare neceſſe eſt. *Oſtorodus Inſtit. cap. 4. p. 28.* Ob wol die Theologi ſich bemühen mit mancherley collectionibus und conſequentiis, das iſt Folg-und Schluß-Reden ſolches zu beweiſen/ ſo iſt doch (vornemlich ſo viel unſer propoſitum betrifft) alle ihre Mühe und Arbeit vergebens und umſonſt: Denn ſolche eine groſſe Sach/ die ſie für den Haupt-Artickel ihres Glaubens/ und für das rechte heilſame Erkäntniß GOttes halten/ ohne welchs Erkäntniß man nicht könne ſelig werden/ muß nicht auf conſequentiis und Schluß-Reden/ ſondern auf dem hellen/ klaren und ausgedrückten Wort GOttes gegründet ſeyn.

8. Ea tantum dogmata ad ſalutem ſunt neceſſaria, quæ ſpectant ad fidem in Chriſtum & obſervationem mandatorum ejus.

Catech. Racov. de Script. Sacr. cap. 11. p. 14. Doceri amplius velim, an etiam ſcripta divinarum literarum ſint ita ſufficientia, ut in rebus ad ſalutem neceſſariis, iis ſolis acquieſcendum ſit. Prorſus ſufficientia ſunt ad eam rem: eo quod fides in Dominum Jeſum Chriſtum & obedientia mandatorum ejus, ſit in iis ſcriptis N. Fœderis ſufficientiſſime tradita & explicata, quam ex Dei promiſſo vita æterna conſequitur. *Socinus de ſtatu hom. ante Lapſum contra Puccium p. 50.* Omnia dogmata ſine quibus fides in Chriſtum & conſervatio mandatorum Dei conſtare nequit, ad ſalutem adipiſcendam cognitu ſunt neceſſaria. *Theoph. Nicolaides defenſ. Tract. de Eccleſia cap. 11. pag. 18.* Semel enim certum eſto, ea tantum dogmata, ſine quibus fides in Chriſtum & conſervatio mandatorum Dei conſtare nequit, ad ſalutem eſſe prorſus neceſſaria: & pauciſſima omnino eſſe, quæ ad ſalutem ſint prorſus neceſſaria, nempe ut Deus & Jeſus Chriſtus divino honore colatur, & vera pietas, præſertim vero Charitas erga proximum exerceatur.

9. Reli-

9. *Religio Christiana duabus modo continetur partibus, præceptis nimirum & promissis.*

Socinus de Autor. Script. pag. 2. Respondeo istas tot tamque diversas aut etiam contrarias opiniones, nihil impedire, quo minus de summa quadam constare possit ejus religionis: quæ summa sine dubio id est, in quo omnes, qui eam religionem profitentur, conveniunt; præcepta scilicet sanctissima quæ in ipsa dantur, promissaque admirabilia vereque Deo digna, quæ in ipsa continentur: quibus duabus rebus tanquam partibus, omnis religio potissimum constat. *Catech. Racov. de Sacra Script. cap. 1, pag. 13.* Quæso ostende mihi quoque ipsam Religionem divinam esse. Hoc ostenditur primum ex illis, ex quibus hæc religio consistit: quæ sunt præceptum & promissiones. *Ostorodus institutiones suas sic concludit:* Atque ita hunc librum concludimus, cujus finis principio respondet. In quo speramus lectorem nihil offensurum quod non eum in finem faciat, ut homo Dei promissionibus per Christum factis credat, eique ideo juxta ejusdem Christi præcepta obediat, atque ita beatam immortalitatem consequatur. *Volkelius, de religine Sociniana, lib. 5. cap. 5. p. 352.* Non solum enim infirmissimis eam inniti fundamentis, omnes facile perspexerunt; sed iis etiam tum præceptis tum promissis constitutam esse, cum quibus nulla aliarum Religionum mandata promissaque comparari possunt. *Crellius de Deo & attributis cap. XXXII. pag. 320.* Ad religionem enim præcepta imprimis & promissa, hisque oppositæ comminationes pertinent. *Jonas Schlichtingius, de artic. fundam. pag. 59.* Deinde negamus, ad fidem in Christum pertinere apprehensionem satisfactionis Christi. Hoc solum ad eam pertinet, eamque constituit, ut tum promissionibus Christi credamus, easque ab ipso expectemus, tum præceptis illius promissionum istarum spe ac desiderio inflammati, pareamus.

10. *Symbolum Apostolicum complectitur articulos fidei fundamentales omnes.*

Jonas Schlicht. adv. Balthasar. Meisner. de Artic. fundam. pag. 20. Fundamentales articuli sunt, credere quod sit Christus: quod sit remunerator eorum qui ipsum quærunt, id est, favorem ejus gratiamque omni studio ambiunt; quod talis sit remunerator, ut vitam æternam cultoribus suis etiam post obitum daturus sit. Huc perti-

pertinent ea omnia, quæcunque nobis ad hanc rem omnino spectantia, de Deo & Christo & Spiritu S. credenda scriptura diserte præcepit. De Deo quidem, quod is sit J. Christi Pater; quod sit perfecte bonus, sapiens, potens, beatus; quod omnium rerum conditor ac dominus. De Christo, quod is sit Jesus ille ex Virgine Maria natus sub Pontio Pilato crucifixus, quod mortuus fuerit pro peccatis nostris: quod resuscitatus sit à mortuis propter justificationem nostram: quod omnem in coëlo & in terra potestatem sit adeptus, judex vivorum ac mortuorum constitutus; quod sit ad judicium venturus, & cunctis secundum opera redditurus: illis quidem qui secundum tolerantiam boni operis gloriam & honorem & incorruptibilitatem quærunt, vitam æternam, illis vero qui ex contentione & inobedientibus quidem veritati, obedientibus autem injustitiæ, indignationem & iram. De Spiritu S. quod cœlitus in Apostolos fuerit immissus, & per eos Christi doctrinam ipsamque cœlestem veritatem ediderit ac confirmarit, nostræque sit religionis dux & magister, quod sit ipsius Dei & Christi afflatus seu vis & efficacia per varios sacros effectus se se in hominibus exerens; quod à Deo & Christo donetur credentibus. Denique ad Fundamentales articulos pertinet, Notitia omnium Christi præceptorum.

II. Conciliorum librorumque Symbolicorum in Ecclesia & rebus fidei nulla prorsus autoritas.

Socin. Resp. Andr. Volani p. 222. Nullis deinceps hominibus quantumvis doctrina & autoritate, adde etiam sanctitate pollentibus, nullis hominum conciliis, quamvis sancte in speciem ac legitime congregatis, nulla denique visibili Ecclesia, quantumvis perpetua atque universali vel constituta vel promissa vel indicata, cujus sententia & judicio in divinorum oraculorum interpretatione standum nobis sit. *Ostorod. cap. 1. n. 1. p. 1. & seq.* Wir halten es gäntzlich dafür / daß alles in denselben vollkömmlich verfasset sey / was / damit man das ewige Leben erlangen möge / zuwissen und zu thun nöthig ist: Also daß man nun gantz und gar keiner andern Bücher / Symbolis, Conciliis, oder irgend eines Menschen Gutdüncken / Autorität und Ansehen (er sey auch so gelehrt und heilig gewesen wie er immer wolle) bedarff / aus oder von welchen man noch etwas lernen uñ annehmen müsse / welches in geneñten Büchern nicht geschrieben / oder nicht deutlich gnug erkläret wäre. Gelten derhalben aller

aller Väter (wie man sie heist) scripta, Symbola, Concilia, &c. nicht mehr bey uns/ denn eines ieglichen andern Christlichen Menschen Scripta und Gutdüncken / welche dem examini oder Prüfung der Heil. Schrifft unterworffen werden/ rc.

12. Non obstat vel maximus in capitibus Religionis dissensus, quominus quasi membrum Ecclesiæ haberi & salutem æternam sperare possit, modo ad Christi præcepta vitam suam componat.

Socin. in Johan. 1. p. 4. Illud postremo scias, optime lector, me quidem valde cupere, ut omnes meæ opinioni adhæreant, quippe qui eam ut verissimam, sic etiam utilissimam esse judicem, non tamen protinus vel hæreticos appellaturum, vel fratres non agniturum eos, qui eam & respuerint, & perniciosissimam quoque esse clamaverint: Dummodo Christi unici legislatoris nostri præcepta pro viribus exequantur, & divinis testimoniis nos placide convincere conentur. *Et Epist. 3. ad Dudith. pag. 42.* Quod ad me attinet, nullum mihi est dubium, quin omnes illi sive Lutherani, sive Anabaptistæ, sive Arriani, qui se ad præscriptum Christi gesserint (nec enim dubito, ex singulis istorum ordinibus tales non paucos esse, aut esse saltem posse,) cœlestis vitæ hæreditatem assecuturi sint.

II.
DE DEO ET ATTRIBUTIS DIVINIS.

13. In statu hoc corrupto neque natura insita nec acquisita intuitu sui, creaturarum & totius universi cognitio DEI datur.

Socin. cap. 2. Prælect. Theol. Falsum est, quod homini naturaliter ejusque animo insita sit divinitatis alicujus cognitio. *& ad Hebr. cap. 11.* Quod autem homines de DEO aut Deitate aliquid norunt, illud non habent à natura, nec ex consideratione Creationis: sed ex auditu & relatu aliorum. *Ostorodus Instit. cap. 1. pag. 10.* Wir wollen der Wahrheit zum besten auch von dem etwas sagen / ob es auch wahr sey / daß der

Mensch von Natur so weise gewesen / und noch ietzt sey / daß er aus der blossen Betrachtung der Schöpffung GOtt und seinen Willen / ohne sonderliche Göttliche Offenbahrung/habe erkennen können. Wir halten es dafür/daß es falsch sey: und kan solches aus H. Schrifft nicht bewiesen werden. Und ob man wohl / was den ersten Menschen betrifft/ vermeynet solches zu beweisen aus dem/daß ihn GOtt nach seinen Bilde geschaffen hat/so thuts doch nichts zur Sachen/wie solches zu ersehen aus der Disputation vom freyen Willen/Cap. XXXIII. Daß aber die Menschen von GOtt oder von der Gottheit etwas wissen / das haben sie nicht von Natur noch aus der Betrachtung der Schöpffung / sondern von hören sagen: Sintemahl sich GOtt von Anfang den Menschen offenbahret hat. Zu welcher Gehör aber solches nicht gekommen ist / die haben leichtlich wohl gar keine opinion oder Gedancken von irgend einer Gottheit / wie zu ersehen an etlichen Völckern in Neu-India und anders wo mehr. Crellius tamen de DEO & Attrib. cap. 5. non tantum sociennorum suorum hoc dogma diserte negat; Sed pluribus quoque impugnat.

14. *Nomen Jehovah absolute positum etiam Creaturis in Sacra Scriptura tribuitur.*

Socin. cont. Wieck. f. 396. Jehovæ nomen non solum DEO Creatori, verum etiam multis rebus creatis, Angelis nimirum, Jehovæ personam sustinentibus, Arcæ, Judicibus, Hierosolymæ, Sacerdotibus competit. *Ostorod. Instit. cap. 10. pag. 70.* Man soll wissen / daß Christus an keinem Ort in H. Schrifft ausdrücklich ist Jehova genennet worden. Denn der einige Ort Jerem. 23. v. 6. welcher auch repetirt ist cap. 33. v. 16. kan/ ja soll nicht von Christo / sondern von Juda und Jerusalem verstanden werden / wie ein ieglicher / der den Ort beyderseits fleißig einsehen wird/ leichtlich verstehen kan. Darnach/ wenn Christus schon Jehova genennet wäre / thät es doch nichts zur Sachen: Sintemahl auch die Engel also sind genennet worden: wie unter andern klärlich beweiset / daß der/ welcher mit Mose redete im feurigen Pusch / wird Exod. 3 etliche mahl der Jehova genennet / so er doch der Jehova nicht selber / sondern nur sein Engel war/ wie in selben Capitel v. 2. ausdrücklich gesagt / und Act. 7. v. 30. bezeuget wird. *Crellius de DEO & attrib. cap. 11. pag. 78.* Observatum fuit à viris doctissimis, id nomen, ut cætera Dei propria, angelis tribui, ipsius personam aliqua ratione sustinentibus, idque absolute, ac sine ulla

positum

positum adjectione. Nam cum adjectione positum, seu integræ sententiæ insertum, quæ in unum veluti nomen coalescat, de aliis quoque rebus enunciatur. *& pag. 82.* Quapropter, etiamsi tandem obtineretur, iis in locis, ubi Angelum legimus Jehovam appellatum, Christum esse intelligendum; non esset tamen statuendum, eum ipsummet fuisse Jehovam: sed ex angelorum numero aliquem, qui Dei summi personam sustinens, nomen ejus usurparit, cum inter se pugnare videamus, Angelum esse, & quidem Jehovæ, qui unus tantum est, & esse ipsummet Jehovam.

15. *Vox quoque Deus appellativa est, & pluribus adeoque communis.*

Socin.contr.Wieck.ad cap.9.f.375. Quando θεὸς est subjectum, summus Deus: quando occupat prædicatum, non summus Deus intelligitur. *contra Volan.f.158.* Sciendum est, nomen Deus esse sua natura appellativum, & idcirco pluribus conveniens. *Crellius de Deo & attrib pag. 96.* Constat alios etiam præter Deum summum Deos proprie dici, secundum patrem quidem Christum: post hunc vero in cœlis angelos, in terris magistratus ac judices. Constat etiam, recte à nobis supra constitutam esse duplicem nominis Dei significationem, latiorem & strictiorem. Ea enim non minus hic, quam in loco paulo superius citato reperitur. Laxior, cum judices eo nomine appellantur: strictior, cum ad eos sermonem Dei esse factum. & Christum Dei filium esse dicitur. *Et vicissim in fine ejusd. p. & seq.* Atque hæc est causa, cur Deus simpliciter positus à Christo toties apertissimis verbis distingvatur. At cum eadem vox prædicati locum obtinet, articulo destituta, (interdum enim habet) *vid. 2. Sam. 7. 28. Psalm. 32. 12. 47. 98. 77. 15. Esa. 45. 22. 46. 9. Osee. 11. 9*) Supremam deitatem non denotat, nisi ex accidenti, id quod ex enunciationis subjecto, aut aliis locorum circumstantiis est colligendum. Alias enim non proprii, sed appellativi rationem habet.

16. *De DEO ea tantum credere necesse est, quæ ad obedientiam ei præstandam spectant, quod sc. sit justus sapiens atque potens.*

Socin. de Eccles. ex Epist. pag. 227. In sacris literis Deum & Christum cognoscere, non significat utriusque essentiam vel substantiam novisse, sed voluntatem, eique se obedientem præstare. *Et in Solut. Scrup. re-*

ſponſ. 1. pag. 27. Articulus cognitionis veri DEI & Filii ejus, non ipſorum naturam ſive eſſentiam, ſed voluntatem & voluntatis obedientiam potiſſimum reſpicit. *Catech. Racov. cap. 1. de cognit. Dei pag. 25. ſeq.* Quænam ſunt, quæ ad eſſentiam pertinent ad ſalutem prorſus neceſſaria? Sunt ea, quod Deus ſit: quod ſit unus tantum: quod æternus: quod perfectè juſtus; perfectè ſapiens & perfectè potens. *Socin. in inſtit. Chriſt. Relig. pag. 4. 6. 7. 13. 14.* Quid de Dei natura ſive eſſentia noſſe omnino nos debere ſtatuis? Hæc duo in ſumma, Quod ſit, & quod unus tantum ſit. An non de Dei eſſentia ſive natura noſſe etiam debemus quod ſit æternus? Neceſſe eſt ſine dubio &c. Sunt ne præterea res aliæ ad DEI naturam pertinentes, quæ ſimiliter iſto ipſo includantur, quod Deus ſolus ex ſe ipſo divinum imperium in nos habeat? Sunt. &c. Quænam ſunt iſtæ? Hæ tres: Juſtitia, ſapientia & potentia, eæque ſummæ & nullis limitibus circumſcriptæ. Eſtne quid amplius, quod nos de Dei eſſentia cognoſcere ſit neceſſe, præter illa quæ hactenus à te expoſita ſunt? An non Dei bonitas ad ipſius Dei eſſentiam pertinet? An non Deum bonum eſſe ut cognoſcamus neceſſe eſt?

17. Eſſentia DEI conſiſtit in eo, quod à ſe ipſo ſummam in nos poteſtatem habet: Spiritus verò tantum eſt prout anima & alia ejusmodi corpora ſpiritus dicuntur.

Catech. Racov. cap. 1. de cognit. Dei pag. 26. Quid eſt noſſe, quod Deus ſit tantum unus? Agnoſcere & certo credere, quod ipſe tantum ſit, qui ex ſe ipſo divinum in nos habeat imperium. Quid eſt quod ex ſe ipſo imperium habeat? Id eſt, quod à nemine prorſus illud acceperit. Quid eſt quod ipſe tantum? Non dixi ſimpliciter, quod ſolus tantum habeat: verum quod a ſe ipſo ſolus tantum habeat. *& pag. 27.* Quodnam hoc eſt divinum in nos imperium? Eſt jus atque poteſtas ſumma de nobis quicquid velit ſtatuendi, etiam in iis ad quæ nulla vis humana, nec alia quæcunque penetrare poteſt: ut ſunt cogitationes noſtræ etiam in intimis receſſibus cordis noſtri abditæ, quibus ille pro arbitrio leges ponere, & præmia & pœnas ſtatuere poteſt.

18. Æter-

18. *Æternitas Dei utique prius admittit & posterius. Decreta vero ejus libera æterna dici, non possunt; neque quicquid ante conditum mundum, eo ipso statim æternum putandum est.*

Socin. Prælect. cap. 8. pag. 15. Tempus æternum est, quicquid Theologi nostri contra disputent, semperque & fuit & futurum est, ut & præteritum aliquid & præsens & futurum sit. Neque vero in mundi creatione ut ipsi arbitrantur, tempus primum extitit; Sed tummodo temporis mensura quædam. &c. *mox concludit:* Quamobrem ipsius quoque Dei res, eâ ua aliquid præteritum, aliquid vero præsens, aliquid etiam futurum est. *Goslavius contra Kekerm. part. 2. cap. 8. pag. 10.* Quid ita, an æternitas tempus non est? At est duratio præsens, præterita & futura, ut & tempus. *Et vicissim:* Si igitur æternitas est tempus, & in tempore est prius & posterius: cur in æternitate non est prius & posterius? *Crell. de Deo & Attrib. cap. 17. p. 122.* Cum ergo pro diversa rei conditione, aut locorum circumstantiis, vox æterni aliter atque aliter accipiatur, & tum demum restringenda sit, cum illæ id postulant; si quis nomen æterni ad Deum ejusve potentiam relatum restringere vellet, necesse esse, eum vel ex locorum circumstantiis id colligere, vel ex rei ipsius natura. At ex neutris id colligi potest; imo natura Dei contrarium, ut vidimus, postulat. *Ibid.* Quare cum eximium aliquid istic notet divinus Spiritus, ac Deo supremo proprium, utpote quem, primo loco etiam non nominatum ita describit; apparet, eum voluisse omne, quod unquam vel fuit, vel porro futurum est, tempus complecti, quasi dixisset: Qui & nunc est, & antea fuit semper, & in posterum semper extiturus est. *& pag 126.* Ex dictis facile intelligitur, nos non arbitrari perinde esse dicere, aliquid ante conditum mundum extitisse, & ab omni æternitate extitisse, neque id censuisse apparet eos ex veteribus Ecclesiæ Doctoribus, qui angelos ante conditum mundum a Deo creatos fuisse statuerunt. *& mox ibid.* Itaque non est necesse, ut quicquid ante conditum mundum à Deo factum decretumve est, id protinus ab omni æternitate factum aut decretum esse statuatur; imo quod à libera Dei voluntate pendet, non potuit ab omni æternitate existere. Etenim quæ causam efficientem habent non necessario sed libere agentem, possuntque natura sua tam existere, quam non existere illa ab omni æternitate existere

non potuerunt. Tempore enim non antegressam oportuit liberam illam, à qua profecta sunt, causam. *vicissim pag. 127.* Non potest autem nobis eorum probari subtilitas, qui æternitatem Dei, omnia, quæ unquam extiterunt, temporum spacia complectentem in unius puncti seu momenti angustias cogunt. Indivisibilem enim eam esse statuunt; nihilque in ea prius, nihil esse posterius. Itaque quicquid Deus unquam egit, acturusve est, id eum simul agere. Omnia ipsi præsentia, nihil præteritum, nihil futurum. Quæ sententia & sacris literis repugnat, & sibi ipsi, omninoque contradictionem non unam involvit.

19. Non datur in DEO determinata futurorum contingentium scientia.

Socin. beym *Peltio pag. 27.* Etiamsi Deus non omnia noscat antequam sint, nihil tamen inde absurdi apparet, cui enim usui, obsecro, prænotio illa esset? an non satis est, Deum cuncta regere perpetuo ac gubernare, nec ipso plane nolente quidquam fieri posse? & certe prænotio ista, tantum abest, ut aliquid Deo tribuat, ut potius illi nonnihil adimat, id est curam perpetuam, quam rerum humanarum gerit, aliqua ex parte saltem tollat, atque obscuret, & otiosum quodam modo reddat. Nam quid attinet. Deum, quæ ab hominibus fiunt, perpetuo contemplari, atque animadvertere, si ea jam ante novit, quam fierent? quid item &c. *Ibidem:* Prænotione hac omnino labefactatur, & funditus evertitur, inspectio humanarum actionum & imperium Dei in homines. *Smalz. cont. Franz. pag. 427.* Non de malis actionibus nominatim, sed de omnibus futuris contingentibus, qua talia sunt, dicimus, ea ista esse comparata, ut sub nullam scientiam cadant. *pag. 436. & seq.* Quomodo vero verum esse potest, quod se ipsum destruit, & sacris literis repugnat, vel magnam illis vim affert? Dicere, Deum illa quæ nullo modo sunt, scire, qualia sunt futura contingentia, est sibi contradicere. Nam quod scibile est, illud contingens proprie non est: Quod contingens est proprie, sciri non potest. Porro si Deus scivit ista contingentia, ut contingentia, quomodo contristari potuit aut debuit, cum ea fieri videret, quæ futura semper præviderat? Quomodo aliud expectare potuit, quam futurum certo prævidit. *Crellius de Deo & attrib. cap. 24 pag. 202.* Diximus autem jam antea, omniscientiam Dei ad omnia scibilia extendi, quemadmodum omnipotentia ad omnia possibilia, & quemadmodum huic nihil detrahitur, cum ad imposibilia extendi negatur, ita nec omni-

omniſcentiæ, cum negatur ad ea extendi, quæ ſcibilia natura ſua non ſunt, ſeu ſub nullam ſcientiam cadunt. Talia autem ſunt futura contingentia determinate ſumta. *& mox:* Nam ſi omnia futura, qualiacunque ſint, Deo ab omni æternitate determinate cognita fuiſſe contendas; neceſſe eſt ſtatuere, omnia neceſſario fieri, ac futura eſſe. Unde ſequetur, nullam eſſe aut fuiſſe unquam humanæ voluntatis libertatem; ac porro nec religionem. *viciſſim pag. 207.* Ajunt deinde, Deo omnia, quæ unquam fuerunt, aut futura ſint, perpetuo eſſe præſentia, atque adeo jam ab omni æternitate præſentia fuiſſe. Itaque Deum res futuras non in cauſis tantum ſuis ab omni æternitate vidiſſe, ſed etiam in ſe ipſis. At ſi ita res habet, neceſſe erit, res omnes ab æterno jam extitiſſe. Nam ſi non fuerunt, Deo præſentes eſſe non potuerunt.

20. Sed decreta ejus ſunt mutabilia.

Pelt. pag. 36. Socin. Neceſſitas nulla ex Dei conſilio emanat & poteſt fieri, ut Deus ab initio aliquid velit, poſtmodum vero nolit, non quia Deus mutetur, aut mutari poſſet, ſed quia alia quædam extra Deum mutantur. *& cap. 11.* Deus infallibili ſcientia non ſcivit prorſus, quæ ab hominibus fiunt, & quomodo Deus illa certo prænoſſe poſſet, ſi ipſa incerta eſſent? *pag. 37.* Si Deus cuncta infallibili ſcientia ſcivit prorſus, quæ ab hominibus fiunt, nulli dubium eſſe poteſt, quin omnia antequam fiant, jam in ſe ipſis certa ſint. Quomodo autem illa Deus certo prænoſſe poſſet, ſi ipſa incerta ſint?

21. Decreta Dei libera ſunt accidentia in eo.

Crell. De Deo & Attrib. cap. 32. p. 348. Imo vero qui talia, qualia nos decreta Dei volumus, accidentia in Deum cadere poſſe negat, is, ſi vim ſententiæ ſpectes, eum eſſe Deum negat, quandoquidem liberam illi voluntatem, ac porro imperium quoq;, ob quod inprimis Deus dicitur, eripit. Si enim libera Deus voluntate præditus eſt, poteſt aliquid apud ſe ſtatuere, quod poterat etiam non ſtatuere. Actus ergo ille decernendi in ipſo exiſtens accidens erit. Siquidem accidens id omne eſt, quod ita alicui ineſt, ut poſſit etiam abeſſe citra ſubjecti corruptionem & viciſſim: Non cadunt quidem in Deum accidentia ejus generis, qualia in creaturas multa cadunt. Novas enim facultates non acquirit, nedum ut eas recipere poſſit qualitates, quæ ad imminuendam ipſius naturam ſummamque perfectionem ſpectare queant, quales creaturis etiam invitis accidunt multæ. Sed actus tamen liberæ voluntatis varios in ipſum ita cadere-

dere, ut ab eo possint abesse, ut porro etiam ab ejus natura atque essentia differant, tam ab omni absurditate abest, quam abest, eum voluntate libera esse prædìtum.

22. *Deus tantum secundum virtutem & potentiam, non vero secundum essentiam omnipræsens.*

Smalz. contr. disp. 12. Franz. p. 339. fin. Omnipræsentiam Dei statuimus & Christi etiam: sed talem qualem scriptura perhibet, nempe quoad ipsorum virtutem, favorem & auxilium. *Crellius de Deo & Attrib. cap. 27. pag. 278.* Hebræi veteres, & Philosophi plerique, certe præstantissimi, in cœlo Deum: quod istic dignissima Deo sit sedes, & locus incorruptibilitatis, quemadmodum viri quidam doctissimi testimoniis eorum prolatis docuerunt; qui iidem ex Christianorum quoque tum veterum, tum recentium scriptis ea collegerunt dicta, quæ vulgarem sententiam de diffusione essentiæ divinæ per res universas, vel penitus refellunt, vel non parum labefactant.

23. *Justitia vindicativa & misericordia non sunt essentialia Dei attributa, neque sibi extrinsecè opposita.*

Socin. de Servat. part. 1. cap. 1. pag. 7. Justitia Dei, qua justos diligit, injustos vero odit, ac punit, non est de natura Dei, sed Deo contingenter inest, ut effectum liberæ, ac vertibilis ipsius voluntatis, quod velle aut nolle posset, sicut potuit vel mundum creare, aut non creare, & sicut potest velle pluere vel non pluere. Nec est in Deo justitia ulla, quæ peccata omnino puniri jubeat, cui Deus renuntiare non posset. *pag. 8. fin. & seq.* Postremo notandum est, cum justitia, quatenus misericordiæ opponitur, vere, ut dictum est, justitia non sit, neque eo nomine in sacris literis decoretur, sed potius severitas, & vindicta dici debeat: eam in Deo vere non residere, nec Dei esse qualitatem, seu mavis, proprietatem aliquam, sed tantummodo effectum voluntatis ejus. Ea enim justitia, quæ in Deo vere residet, & qualitas seu proprietas ejus, adeo ut nihil ab eo fiat, quod ejus sit expers, illa est, quæ, ut dixi, hac appellatione in divinis monimentis insignitur, & rectitudo atque æquitas alio nomine dici potest. *& vicissim p. 9.* Neque enim ideo punit Deus perpetuo peccatores non resipiscentes, quia proprium sit ejus punire eos qui peccant (hoc namque illud est, quod vere misericordiæ opponitur, quæ per se nihil

hil aliud eſt, quam peccantibus veniam dare, nulla pœnitentiæ vel contumaciæ ratione habita)ſed quia non reſipiſcentibus veniam non concedere, id demum naturæ divinæ, & decretis ejus, & propterea rectitudini & æquitati debitum eſt ac conſentaneum. Eadem ferme conſideratio locum habet in ipſa quoque miſercordia, quatenus ſeveritati oppoſita eſt, atque vindictæ, ut ſcilicet Dei proprietas non ſit, ſed effectus tantum voluntatis ejus. *& in prælect. Theol. cap. 16. p. 87.* Deum jure potuiſſe nobis peccata noſtra condonare, nulla à quoquam pro ipſis ſatisfactione accepta; & hoc videtur manifeſte probare, quod peccata noſtra nihil aliud ſint, quam offenſæ majeſtatis divinæ, & debita quædam, quæ cum Deo contrahimus, atqui nemo eſt, qui injurias ſibi illatas, debitaque ſecum contracta ſummo jure condonare,&remittere non queat,nulla vera pro ipſis ſatisfactione accepta. Igitur niſi Deo velimus minus concedere, quam ipſis hominibus concedatur, confitendum omnino eſt, Deum jure potuiſſe nobis peccata noſtra ignoſcere, nulla vera pro ipſis ſatisfactione accepta. At objiciunt adverſarii, &ajunt Dei juſtitiam omnino requirere, & ut peccata puniantur, & pro ipſis ſatisfiat ſibi. Deumque nulla ratione, juſtum non eſſe poſſe,ſuæque juſtitiæ quodammodo renuntiare. Hæc ratio nullius eſt pretii; neq; enim in Deo ulla juſtitia eſt,quæ peccata omnino puniri jubeat,cui ipſe renuntiare non poſſit; eſt quidem in Deo juſtitia perpetua, ſed hæc nihil aliud eſt, quam æquitas & rectitudo. *Catech. Racov. cap. 8. quæſt. 19.* Ajunt in Deo Juſtitiam & miſericordiam eſſe naturalem. Ad quod quæſt. ſeq. ita reſpondet: Etſi fateamur, Deum eſſe miſericordem mirum in modum & juſtum, tamen eam miſericordiam & juſtitiam, qualem hic adverſarii noſtri volunt, negamus Deo ineſſe naturaliter. *Smalz. in refut. libri novi Arrian. reſp. c. 30. f. 280.* Juſtitiæ divinæ eſt proprium, ut quemadmodum quædam accidentaria bona in malis hominibus non curat, ſic etiam quædam non voluntaria mala in probis non puniat. *Crell. de Deo & Attrib. cap. 25. pag. 268.* Abutuntur autem divina juſtitia, vel potius ejus rationem non ſatis intelligunt, quicunque arbitrantur,ea impelli Deum ad quodvis delictum, ſive in eo ipſo, qui id commiſit, ſive in alio, qui vices ejus ſubeat, puniendum. Unde porro concludunt, neceſſe omnino fuiſſe, ut Chriſtus juſtitiæ divinæ, pœnas omnium peccatorum noſtrorum perſolvendo, pleniſſime ſatisfaceret. *& paucis interjectis:* Solent autem illi homines fere juſtitiam miſericordiæ opponere, & contrarios eis effectus tribuere; juſtitiæ quidem punire, miſericordiæ autem peccata condo-

nare. Cum sacræ literæ non tantum alteram alteri non opponunt, sed etiam remissionem peccatorum ac justificationem nostram, aliaque misericordiæ effecta justitiæ divinæ adscribant.

24. *Affectus in DEO sunt commotiones voluntatis ejus aliquando etiam vehementiores, ex cognitione rei gratæ vel ingratæ illam amplectentes hanc fugientes.*

Crell. de Deo & Attrib. cap. 29. p. 295. Actus illi voluntatis divini, de quibus hic nobis agendum est, duplicis sunt generis. Alii enim affectuum similitudinem inprimis referunt, eorumque nominibus in Sacris Literis præcipue designantur: alii decreta sunt. Illi sunt voluntatis divinæ, ut ita dicam, commotiones, præsertim vehementiores, seu actus ejusmodi, quibus voluntas vehementius vel in objectum suum fertur, vel ab eo refugit atque abhorret: utut forte res, ad quam affectus incitat, nondum sit firmiter conclusa. Decreta vero sunt sententiæ à voluntate firmiter conclusæ, & pleno quodam assensu comprobatæ. *Vicissim:* Non arbitramur autem, ita decreta ab affectuum ratione abhorrere, ut nullam plane cum illis similitudinem habeant, & interdum illorum nominibus non designentur aut comprehendantur. Siquidem & decreta quadam voluntatis inclinatione ac propensione constant. Omnis autem voluntatis propensio cum affectibus similitudinem habet; quamquam alia majorem alia minorem. Itaque non frustra antea illos voluntatis actus, quos decretis opposuimus, affectuum similitudinem inprimis referre diximus. *mox pag. seq.* Adde, quod decreta cum affectibus quibusdam veluti coalescunt; ut decretum puniendi cum ira; decretum juvandi cum misericordia. Ideo non mirum est, hujusmodi decreta eorum affectuum nomina sortiri, iisve comprehendi, quorum naturam ac rationem quodammodo æmulantur, aut cum quibus veluti coalescunt.

25. *Non est Deus unus in essentia, & trinus in personis: sed solus Pater summus Deus.*

Socin. lib. quod Regn. Polon. Evangelici debuissent addiscere ex ipsa, quam ipsimet statuunt fidei nostræ esse summam, ut vocant, & Symbolum Apostolicum vulgo appellatur, unum illum Deum Creatorem non esse alium, quam Patrem JEsu Christi: nec Christus, nec Spir.

Sanctus

Sanctus Deus dicitur, sed tantum JEsu Christi Pater. *Idem tract. de Deo, fol. 5.* Constat inter omnes, & Scriptura passim testatur, Patrem Christi esse ipsum Deum, sequiturque necessario nullum alium, quam Patrem Christi esse hunc unum Deum. *Catech. Racov. cap. 1. Quæst. 21. fol. 10.* Quoniam essentia divina tantum unica est numero, ideo nullatenus plures in ea possunt esse personæ. *Quæst. 22.* Unica illa persona & unicus ille Deus pater Domini nostri JEsu Christi. *Confer Duos Crellii libros*, de uno Deo Patre. *Ostorod. Instit. cap. 4. pag. 28.* Man hat für langen Zeiten dafür gehalten / als muß man auch wissen und gläuben / daß in demselbigen einigen GOtte mehr Personen denn eine wären / von welchen eine iegliche der einige GOTT selber sey / und auch wie viel / und wer die Personen sind. Welches / daß es nicht nöthig sey / daß man es wisse oder gläube / wird aus diesen beyden Ursachen offenbahr. *Smalz. contr. Franz. disp. 1. pag. 5.* Fatemur, Patrem esse personam divinam, eumque solum talem esse, qui à se ipso extiterit. Filium personam esse non diffitemur, eamque divinam: sed longe diversa ratione, quam qua Pater est persona divina. Christus enim quantus quantus est, à Deo Patre omnia habet, & quicquid eum divinum efficit, id totum beneficentiæ Patris attribuendum est. Spiritum vero sanctum personam esse, nullis unquam sacrarum literarum testimoniis, nullis ex iis desumtis rationibus, nulla denique rei verisimilitudine doceri potest. *Ibid.* Loci allegati nullo modo docent, personas esse in divinitate realiter distinctas, & tamen easdem essentia unum esse. Nam nec sola mentio Patris, Filii & Spiritus sancti docet, Filium & Spiritum Sanctum esse personas divinas realiter distinctas, ut supra demonstratum est. *pag. seq.* Hoc vero quis sanæ mentis crediderit, ideo Christum dixisse, quod ipse & Pater unum sint, quia unum sint essentia? Itane posito genere species ponitur affirmate? Ergo, cum dicitur, fideles unum esse, sicut unum sunt pater & filius, concludendum erit, eos unum esse essentia? Denique, quis unquam ex eo, quod Christus in Patre sit & Pater in Christo, colligat, personas divinitatis numero distinctas, & easdem tamen essentia unum esse? cum etiam de Christianis dicatur, eos in Deo esse, & Deum in illis, qui tamen nec personæ sint divinitatis, nec essentia cum Deo unum. *pag. quoq; 11. med.* Non solum istam ab illis confictam, à vobis vero hactenus defensam, Filii Dei æternitatem impugnamus, verum etiam id, quod in una Dei numero essentia statuitis tres personas, & quod Spiritum S. qui in Deo naturaliter inest, personam non esse minus imprudenter asseritis; & quod de-

nique duas in Christo naturas, miro & vano modo voce naturæ accepta confingitis. *Smalz. Respons. Refut. Smigl. ad no. Monstr. Arria. cap. 2. fol. 13. & cap. 4. fol. 39.* Deus Pater solus talis Deus est, & est unus tantum talis Deus. Pater est natura Deus.

26. Christus verus quidem Deus; sed non coessentialis Patri; magnus quoque, sed non summus DEUS est; quoniam non ex se Deus, sed beneficio tantum Patris.

Catech. Racov. de nat. Christ. fol. 48. 50. 57. & deinceps. Scriptura unum tantum, qui natura Deus est, nobis monstrat, nempe Patrem Domini nostri JEsu Christi; & illa testatur, Christum natura sua esse hominem, adeoque hoc ipso ipsi naturam divinam adimit; & repugnat sanæ rationi, & divinis testimoniis, JEsum habere naturam divinam: nam omnia quæ Christus habet, ex donatione patris possidere dicitur; imo frustra statuitur hæc divina natura in Christo, siquidem is, omnia sua opera divina, non sibi ipsi, aut alicui naturæ divinæ, sed soli Patri asscripsisse legatur. *Socin. Prælect. Theol. cap. 18. fol. 106. 107.* Quod persona Christi infinita sit, & Christus æternus, & ex se ipso, natura Deus statuatur, adversarii nostri numquam probabunt. Si Christus æternus & ex se ipso Deus esset, cum ejusmodi Deus unus tantum sit, tantum abest, ut propterea satisfactionem istam peragendi vim habiturus fuisset, ut potius ob hanc causam ea vi, plane destitutus fuisset. *Socin comment. in Epistol. Joan fol. 520.* JEsum Christum Dei filium, esse illum verum Deum, hoc est pervertere quod Apostolus dicit; imo ex his consequitur, Christum JEsum non esse illum verum Deum, nam quis potest sui ipsius esse filius? Facessant ergo hæ imperitæ, & absurdæ interpretationes; & miramur tales homines inveniri, licet eruditione præstantes, qui velint propter hæc verba, (Hic est iste verus Deus) quod de JEsu ipso hæc dicta sint *Volckel. lib. 5. de vera Relig. cap. 10. pag. 421.* Ex quo fit, ut si filium Dei Patri suo coëssentialem esse volumus, necessario statuendum sit, Filium eandem prorsus personam esse, quæ est Pater, quod absurdissimum falsissimumque esse omnes fatentur. *Vicissim:* Plane constat, nullum alium esse verum illum summumque Deum, præter Christi Patrem; qui Pater cum Christus non sit, quomodo, quæso, unus ille Deus, vel eidem coëssentialis esse potest? Adde, quod multis in locis ab uno summoque

moque Deo diſtingvitur. *pag. 423.* haud inviti fatemur, quia ſummo illi rerum omnium moderatori, iſta omnia Dei nominis ſignificata, primo atque omnium præſtantiſſima ratione conveniunt, utpote qui talis ex ſe ipſo eſt, & omnis divinitatis fons ac primus autor: ideo illum hoc nomine κατ' ἐξοχὴν, quod articulus ei in Græco præfixus ſæpiſſime indicare ſolet, haut aliter, ac ſi proprium ejus eſſet, appellari. *pag. ſeq.* Solere autem vocabulum Dei ſimpliciter abſoluteque poſitum, aliis etiam præter ſummum omnium rerum Dominum attribui, conſtat *ex Exod. 15, 1. 21. 6, 22. 26. &c. Et mox:* Quid igitur mirum, ſi etiam Chriſto tribuatur, nulla iſtius cum Patre coëſſentialitatis ratione habita; cum ei multo, quam reliquis, præſtantiore modo id nominis conveniat; utpote ſupra omnes exaltato, & nomine ſupra omne nomen donato. *pag. 425.* At dices, nos ipſos ultro fateri, Chriſtum verum Deum appellari poſſe. Reſpondemus igitur, id quod antea etiam indicavimus, hanc noſtram confeſſionem nihil ad coëſſentialitatem iſtam conſtituendam valere. Neque enim Chriſtum, illum verum Deum articulo ſignatum, nec æq; verum Deum, ac Patrem eſſe, dicimus. Nam Patrem quidem Chriſti Deum ſacræ literæ appellant: at contra Chriſtum Patris Deum eſſe nemo dixerit. Ut interim taceam, Chriſtum hoc ſummi illius Dei beneficio conſecutum eſſe, ut ſic appellari poſſet. *Paulo poſt:* Deinde falſum eſt, Chriſtum alicubi Deum magnum appellari: quamvis illum ea, qua hactenus diſputatum eſt, ratione, non Deum tantum, ſed etiam magnum Deum eſſe confiteamur. *pag. 426.* Jam quod Chriſtus ſuper omnia dicitur, (*Rom. 9. 5.*) nequaquam ſatis eſt ad eum ſummum Deum eſſe concludendum: ſed inſuper neceſſe eſt oſtendere, eum ex ſe ipſo ſuaque natura Deum ſuper omnia exiſtere. *Denique cap ſeq. p. 469.* Imo ex perpetua ſanctarum literarum analogia patet, Chriſtum non natura ſed ſummi illius Dei beneficio, Deum eſſe atque appellari, nec mirum, Chriſtum hic ſuper omnia, vel omnes, Deum benedictum dici: cum Deus Pater omnia ſub pedes ejus ſubjecerit, illumque nomine ſupra omne nomen donaverit. Unde ſane nec naturarum iſtarum in Chriſto diſtinctio, nec mirabilis illa incarnatio colligi poteſt: ſed potius, illum ipſum Chriſtum, qui ex Iſraelitis naſcendi principium duxit, eſſe ex ſummi optimique Patris liberalitate, ſuper omnes omniaque Deum benedictum in ſecula.

27. *Dicitur autem Deus tantum ratione Domini.*

Socin. Comment. in 1. Epistol. Joan. f. 411. Ipsa JESU exaltatio & in dextera collocatio, id est, datio supremæ, ac divinæ potestatis & imperii secundum Deum efficit, ut JEsus sit re vera Christus, id est, verus, solus, perpetuus populi Dei Rex, & similiter sit verus atque unicus ille, ac singularis Dei filius, & summa omnium atque excellentissima ratione similis ipsi DEO factus. *Idem contra Wiek. cap. 6. class. 14.* Si Angeli ipsi multo Christo inferiores, cum Jehovæ personam aliqua in re sustinent, Jehovæ nomine appellati inveniuntur, multo magis fieri potest, ut Christus, qui perpetuo in toto salutis negotio, Jehovæ Dei personam sustinuit, ipsiusque perpetuus in Ecclesia Vicarius est, Jehovæ nomine appelletur, nec tamen ipse sit revera Jehova, sive ejusdem cum ipso essentiæ. *Smalz. refut. lib. de veri. incarn. divin. nat. c. 4. f. 15. cap. 26. f. 141. 143. 144.* Deus est, quia divinum munus gerit, & Dei personam sustinet. Christus Deus est, ob divinum imperium, sed ita ut habeat aliuma se superiorem. *idem resp. refut. Smigl. nov. mon. Arian. cap. 8. f. 78.* Vox Deus non substantiæ vox est in Christo, sed muneris. *f. 92.* Quatenus Christus cum Patre regnat, eatenus est Deus, & vocatur Deus. *Cap. 16. f. 147.* Ob dignitatem tantum Deus Christus esse necessario consequitur. *Idem cent. error. f. 10.* Christus dignitate, non natura Deus est. *f. 13.* Quia Christus propter naturam divinam Deus esse non potest, restat eum propter potestatem vere divinam rerum Deum esse. *Moscorov. refut. append. f. 13. 61. 67.* Christi essentia, quatenus Christus est, divinum ipsius illud munus est à Patre ipsi injunctum; ob divinum imperium Deus sit necesse est. *Catech. Racov. de cognit. Dei cap. 1. fol. 34.* Nomen Dei in Scripturis duplicem habet significationem: 1. denotat eum, qui in cœlo & terra ita omnibus dominatur, & imperat, & rerum omnium creator est, ut neminem se habeat superiorem, nec ab alio dependeat. 2. Denotat illum, qui magnam habet ab illo uno Deo potentiam, vel alio quodam modo Deitatis unici illius Dei particeps est; ideo enim unicus ille verus Deus unus ille Jehova, vocatur Deus Deorum; in hac posteriori significatione Filius Dei dicitur in Scriptura Deus.

28. *Adorandus quoque tantum ratione autoritatis & muneris.*

Socin. comment. in 1. Epistol. Joan. f. 411. & de adorat. Christi adversf. Christ. Franken. f. 47. Ipsa JESU Christi exaltatio, & in dextera collocatio,

tio, ideſt, datio ſupremæ poteſtatis & imperii, efficit, ut Chriſtus ſit revera Chriſtus, & verus, ſolus, ac perpetuus populi Rex, ſimulque ſit Deus: ſunt autem aliæ cauſæ, veluti, imperium in nos, ac dominatio divina, una cum beneficentia ſumma, perpetuaque noſtrum omnium cura conjuncta, quas religioſæ adorationis cauſas cum Chriſto communicavit. Neque cauſa cur Chriſtus adoretur, eſt, quod ſit mediator, ſed quod habeat divinam illam poteſtatem, & alia, quibus adoratio debetur. *Idem inſtit. relig. Chriſt. fol. 17. Smalz. refut. lib. de error. Arian. 11. cap. 17. f. 332.* Nam præter naturam aliud eſſe poteſt, quod cauſa ſit cultus divini, nempe poteſtas divina. Hanc quia Chriſtus habet ita perfecte, ut vere divinos effectus producere poſſet, qualis imperium in animas & ſalutem humani generis, ideo divinum cultum meretur. *Smalz. Reſponſ. Refut. Smigl. ad nov. monſt. Aria. cap. 2. f. 11. 20. 27.* Quod divina poteſtas Chriſto data ſit, non poteſt non conſequi divinus honor. *Et cap. 8. f. 86. 88.* Deo & Meſſiæ cultus & adoratio debetur, ob maximam cum Deo conjunctionem, quam habiturus eſſet Chriſtus, &, ſi potentiam divinam non haberet, ei cultus divinus non deberetur. *f. 90. 91.* Poteſtas Chriſto conceſſa divinum cultum meretur. Et propter poteſtatem dependentem debetur ipſi honos divinus. *Idem refut. lib. de verb. incarn. divin. natur. cap. 10. f. 59.* Dico nos debere divinum honorem Chriſto, ob divinam ipſius autoritatem & poteſtatem. *Moſcorov. fol 63, 65.* Propter poteſtatem ſummam, & abſolutam, vere Deus agnoſci, & coli debet.

29. *Spiritus S. perſona divinitatis non eſt.*

Socin. inſtit. relig. Chriſt. f. 10. 11. & defenſ. tractat. de Eccleſ. cap. 11. f. 17. An Perſona ſit, nec ne, Spiritus Sanctus, hodie controvertitur inter Chriſtianos, & tuentur multi partem affirmantem, quamquam rectius ſentiant, qui contrariam ſeqvuntur. Multi ad ſalutem creditu neceſſarium eſſe ſtatuunt, Spiritum S. eſſe Perſonam, ſed nemo hactenus probavit, nec probabit unquam. *Socin. lib. quod regn. Polon.* In doctrina Evangelicorum, non pauci ſunt errores, ut articulus de Spiritus Sancti Deitate, & Perſonalitate. *Smalz. reſponſ. refut. Smigl. ad nov. mon. Aria. cap. 19. fol. 161.* Quomodo Spiritus Sanctus ſit perſona, cum ea illi tribuantur, quæ perſonæ competere nullo modo poſſunt? Quod enim datur multis ſimul, & adeo á multis petitur, abſque corruptione ſui dari nec peti poteſt; rem autem, non perſonam, ſibi dari nullus petet,

nec

nec Spiritus Sanctus ergo persona est. *Ostorod. contr. Tradel. cap. 12. fol. 22.* Ich will nichts davon disputiren / weil ich ohne das concedire / daß der Heilige Geist keine Creatur sey; sondern sage / daß / wenn gefraget wird: Ob der Heilige Geist GOTT sey? Fraget man nicht simpliciter, ob er aus dem Wesen oder Natur GOTTes sey / und also GOTT / wie alle das / so in GOTT ist / gemeiniglich für GOTT gehalten wird; sondern man fraget / ob Er also GOTT sey / daß Er seine eigne Person habe *Et instit. cap. 4. pag. 32.* Aus dieser unser Solution wird offenbahr / was wir vom Heiligen Geiste halten: Nehmlich / daß er keine Person sey / welche von dem einigen wahrhafftigen GOtte / dessen Geist er ist / unterschieden wäre / sondern nur allein seine Krafft / wiewohl nicht eine jegliche / sondern nur die / welche da irgend auff einerley Weise heilig machet. *Schlichting. contr. Meisn. de Trinit. fol. 605.* Spiritus Sanctus non est persona ulla divina seu summus Deus. *Crell. Instit. de Spir. Sanct. cap. 1. fol. 73. ait:* Suos hactenus satis ostendisse, Spiritum Sanctum divinam personam, quæ summus sit Deus, non esse. *libro quoque de uno Deo patre Sect. 3. hunc titulum fecit:* Ostenditur Spiritum Sanctum summum Deum non esse, ut pateat solum Patrem summum Deum esse. *libro quoque de Deo & Attrib. div. cap. 22. pag. 158.* Hæc virtus, præsertim in homines manans, Spiritus Dei appellari in sacris literis solet, qui pro effectuum ratione distingvitur &c. Et ille quidem, qui bonos, seu hominibus salutares, utiles ac gratos effectus parit, Spiritus Dei bonus appellatur, (*Psalm. 143. 10.*) & interdum Spiritus Dei simpliciter vocatur; cui opponitur in iisdem sacris literis Spiritus Dei malus, hoc est, talis, qui homines ita commeritos affligat ac cruciet, quali spiritu Saulum olim, ablato bono Dei Spiritu, vexatum atque agitatum fuisse legimus. (*1. Sam. 16. 14. 15. 16. 23: 18. 10. 19. 9.*) Ille autem, qui bonus Dei Spiritus dicitur, pro effectuum ratione, varia iterum nomina seu epitheta sortitur. Hinc Spiritus dicitur sapientiæ, intelligentiæ, consilii, timoris Domini, (*Esa. 11. 2.*) virtutis seu roboris charitatis, sobrietatis aut prudentiæ, & si quæ sunt his similia. (*2. Timoth. 1. 7. vid. etiam Exod. 28. 3. Zach. 12. 10.*) Quod si effectus ejus talis sit, ut eo homines Deo peculiari quadam ratione consecrentur, à reliquo hominum vulgo segregati, DEO quodammodo jungantur; Spiritus ille, qui eum effectum parit, sanctus appellatur. *Vicissim:* Est igitur Spiritus ille qualitas quædam inter potentiam illam, & effectus manifestiores, qui vel internis, vel etiam externis hominum sensibus percipiuntur, intermedia.

Et

Et quia eo primo Deus, &, qui eum à Deo accepit, Christus, (*Act. 2. 33.*) Deinde homines eo afflati atque repleti operantur; ideo cum per prosopopœiam, quæ quidem ex Metonymia oriatur, instar personæ, cujusdam agentis introducitur, nunc Dei ipsius aut Christi, (*Luc. 12. 12. Joh. 4. 26. 27. Act. 2. 4. 1. Cor. 12. 11.*) à quo promanat, nunc hominum in quos manat. (*Act. 7. 10. Rom. 8. 26. 27. 1. Corinth. 2. 10. 14.*) & quibus communicatur, actiones ei tribuntur, eæ nimirum, quæ illius vi interveniente perficiuntur.

30. *Vocatur autem Deus, quia donum Dei vel operatio divina.*

Socin. animad. ad assert. 14. Posna. Quid mirum Spiritum Sanctum eas res gerere, quæ proprie Dei sunt, cum Dei virtus atque potentia sit, cumque Dei operationes, Spiritus Sancti nomine nuncupentur, sed non propterea sit ipse Deus. *Idem Tract. de Deo Christ. & Spiritu Sancto & refut. Wiek.* Quoniam Spiritus Sanctus virtus Dei est, hinc fit, ut ea quæ Dei sunt, Spiritui Sancto attribuantur, Deo proprie, illi autem, quod Dei est, figurate: & certo modo concedi potest, quod Spiritus Sanctus Deus sit, qua virtus & operatio Dei in Deo, & qua scilicet omnia, quæ in Deo sunt naturaliter, Deus esse dici solent. *Idem comment. in 1. Epistola Joan. fol. 407. 427.* Est Spiritus Sanctus ille vis, & efficacia divina, per quam tot admiranda opera à JESU facta fuerunt, & ipse à mortuis excitatus, & ad dextram Dei collocatus est. *Idem fol. 410.* Spiritui Sancto tribuitur testimonium, ac si persona esset. *Smalz. refut. lib. de incarn. verb. divin. nat. fol. 155. cap. 27.* Potest intelligi, ut Spiritus Sanctus virtus sit Patri & Filio communis, & in utroque degens, in altero naturaliter, in altero Dei beneficio, & gratia, ut re ipsa degat, quod de persona divina dici non posse constat. *Idem Smalz. contr. Smigl. fol. 161. Ostorod. contra disput. Gedan. Tradel. part. 1. cap. 12. fol. 183.* Spiritus Sanctus ejusmodi donum est, quod petitur. Personam nemo sibi dari petit, sed rem; & qui virtus Dei est, is persona esse non potest, & ita est persona, quæ virtus Dei est.

31. *In veteri testamento Trinitatis nullum vestigium extat; quin nec in novo reperitur.*

Smalz. in Præfat. Refut. contra Franz. Quis ex veteri Testamento homini sensato dogma Trinitatis, qualem credit Franzius, quis Filii præternitatem, ut sic loquar, quis satisfactionis & meriti Christi commen-

 men-

mentum, & his similia ostendat? Certe Judæi antiquitus omnibus istis scripturis fidem adhibebant: & tamen ista portenta prorsus ignorabant. Quid? quod non pauci viri docti, iique insignes Theologi senserunt, dogma Trinitatis, & alia in Veteri Testamento nullo modo fuisse revelata, sed reservata ad tempora Novi Fœderis. *Idem Disp.1.pag.17.* Enjedinus locum *Gen.16.13.* examinans, ubi mentio fit apparationis angeli, & ex quo adversarii ostendere conantur, Christi ante virginem matrem existentiam, ita respondet primum generaliter: nullum in Veteri Testamento apparentem angelum fuisse Messiam, & ad id probandum duo affert argumenta. *pag. seq.* Frustra ex angelorum in Veteri Testamento apparitione, docetur Christi æternitas, quia probari potest ex sacris literis, nullum angelum in veteri fœdere fuisse Messiam. *Enjedinus in Explic. locor. fol.1. provocat ad Augustini testimon. lib.3. de confess. cap.5.* Quod antea persvasus Creatorem esse trinum Deum, cum ad Mosis lectionem accessit, sollicite quæsierit, & vix tandem invenerit Trinitatem, non inventurus, (*ut addit*) nisi opinionem præconceptam ad lectionem attulisset. *Vicissim.Smalz. in refut.Thes.Schopperi.fol.9.& 19.* Nihil falsius esse potest, quam doctrinam Trinitatis in Novo Testamento esse traditam. Non nego Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse, & hanc Triadem appellari posse, sed ad constituendum dogma Trinitatis, parum est, istorum trium exstare mentionem, necesse enim esset eas Personas esse, easque divinas, & in divinitate pares, necesse etiam foret, illas tres personas esse unam essentiam.

32. *Prædestinatio non est quorundam hominum determinate, sed tantum confuse.*

Catech. Rac ov. de Prophet. munere J. C. cap.10. fol.255. Quod Deus ab æterno certos quosdam nominatim homines, ex omni hominum, quotquot unquam futuri essent, genere sententia irrevocabili, & prorsus immutabili ad salutem elegerit, & designaverit, alios vero omnes æternæ damnationi subjecerit, sententia hæc prorsus fallax est. *Socin. de Offic. hom. Christ. cap.1.* Decretum Electionis communiter loquendo non ad certos, ac definitos homines nominatim hos vel illos, sed ad certum potius hominum genus sive ad homines generatim quidem acceptos omnino referri debet; & decretum reprobationis communiter loquendo, non ad certos, & definitos homines nominatim hos vel illos, sed ad certum potius hominum genus, sive ad homines generatim acceptos —— referri debet. *Idem in Prælect. cap.12. fol.56.* Oves igitur

Chri-

Christi nunquam perituræ, non aliqui sunt nominatim, idque ab æterno saluti necessario destinati, sed ii qui Christo confidunt. *& cap. 13.* Nec alia sane ratione explicandi sunt ii loci omnes, in quibus de Divino eoque antiquissimo, quorundam hominum servandorum decreto agitur, nempe ut non certi quidam homines nominatim intelligantur, sed genus quoddam hominum. *Ad loc. Matth. 25. v. 34.* Non est intelligendum unumquemque ex illis nominatim, ab orbe condito saluti destinatum esse, sed eos ex eo hominum genere esse, quibus salus ab ipso mundi exordio parata fuerat. *Vicissim ad loc. Luc. 10. v. 20. fol. 72.* Ibi non de certis quibusdam hominibus nominatim agi, sed de hominum quodam genere; nec moveat quemquam, quod in his locis nominum fit mentio, quasi proprium cujusque nomen ea voce significetur: metaphorica enim est locutio, ab iis derivata, qui aliquo in libro eos nominatim scribunt, ac notant de quibus secum aliquid statuunt, atque decernunt; Itaque ea locutione nihil aliud, quam decretum de quibusdam hominibus, significatur, sive certa sint eorum propria nomina, sive incerta.

III.

DE STATU HOMINIS INSTITUTO ET DESTITUTO.

33. *Angeli & materia informis longe ante Sextiduum Mosaicum à Deo creati fuerunt.*

Vokel. lib. 2. de vera relig. cap. 2. pag 3. Angelos vero, ut ex Veteribus Ecclesiæ doctoribus non pauci censuerunt, ante mundi hujus fabricationem fuisse à Deo conditos, inde primum colligitur, quod Moses, qui mundi fabricationem diligentissime describit, non videatur creationem angelorum prætermissurus fuisse. *Et mox:* Deinde cum videamus statim post mundi creationem, diaboli instinctu seductum in paradiso hominem; non est credibile, illum intra tam breve tempus, & à Deo productum, & cum tanto angelorum exercitu prolapsum fuisse, seque adversus Deum adeo contumaciter gessisse, & tantas tamque impias adversus ipsum inimicitias suscepisse. *Vicissim cap. pag. 7.* Quare dubium nullum videtur esse, quin D. Autor terram informem, & aquam, profundissimis tenebris immersas, rerum non apparentium nomine potissimum complexus fuerit, præsertim cum in Græca Veteris

Testamenti versione, quam, ut supra jam monuimus, Novi Testamenti Scriptores in citandis ex illo testimoniis sequi solent, loco ejus quod in Hebræo terra dicitur desolata, extat vox ἀόρατος, hoc est, invisibilis. Invisibilis autem terra non alia ratione fuit, quam quia in tenebris illis non apparuit, nec ante lucem vasto illi rerum chao illatam, apparere potuit. A luce autem, ut sequentia apud Mosen verba docent, creatio rerum cœpta est.

34. *Imago Dei, in qua primus homo conditus, principaliter posita fuit in dominio in creaturas.*

Socinus in disputatione cum Francisco Puccio Florentino, de statu primi hominis ante lapsum, *pag. 6.* Homo autem cur potissimum ad DEI imaginem factus dicatur, ex eo loco, ubi id primum dictum fuit, liquido apparet[illegible] est, quia dominium datum est illi in universa opera DEI. *Prælection. cap. 3. pag. 8.* DEI imago & similitudo, ad quam conditus est homo, ne in ipsa quidem mente ac ratione, unde omnis justitia in illum derivari poterat, præcipue consistit, sed in dominatu rerum omnium, præsertim inferiorum, sex illis diebus à DEO creatarum. *Volkelius, lib. II. de Religione Sociniana cap. 6. pag 9.* Quæ quidem in eo consistit, quod cum DEUS non solum ratione atque intelligentia præditum esse: sed dominatu etiam suo omnes naturas inferiores, sive in terris sive in aquis, sive denique in aëre degentes complecti, & ita divini imperii similitudinem gerere voluerit: id quod ex ratione tanquam causa efficiente, profluit, eaque nititur. Quæ quidem res quo pateat illustrius, hominis tum mentem ratione præditam, tum dignitatem atque imperium, qua Dei imago potissimum continetur, attentius paulo considerabimus. *Smalz. contra Franz. Disp. 2. pag. 60.* Nunc hoc tantum iterum monere juvat, nos imaginem DEI in homine, non omnem, sed eam, ad quam homo ab initio creatus fuit, ad dominatum super omnia creata referre. *Ostorod. cap. 34. pag. 267.* Es ist diß der andere modus oder Weg zu beweisen daß GOTTES Bild/ nach welchem der Mensch geschaffen ist/ nicht sey die Unsterblichkeit und die Gerechtigkeit. Weiter halten wir es dafür/ daß die Gleichniß und das Bild/ nach welchen der Mensch geschaffen/ erstlich/ und zwar vornehmlich die Herrschafft sey/ welche GOTT dem Menschen über die andern Creaturen gegeben hat/ wie leichtlich zu ersehen *Gen. 1. v. 26.* darnach die Vernunfft/ durch welche derselben Gebrauch keiner über die geschaffene Dinge wird herrschen können.

35. Non

35. *Non absurdum omnino, hominem etiam ad imaginem Angelorum fuisse conditum.*

Socin. Respons. ad Argum. pro Trinit. pag. 54. 55. Non ita absurdum esse statuimus, affirmare, hominem ad imaginem & similitudinem Angelorum fuisse creatum, & partem aliquam Angelos in hominis creatione habuisse, ut isti faciunt. Primum enim, quod attinet ad illam imaginem, sive eam in mente, rationeque potissimum consistere dicamus, certissimum est, nos in hac parte angelorum simillimos esse, qui ratione & mente sunt præditi, sive ad imperium & gloriam referamus, apparet in hac quoque parte hominem Angelorum esse similem, qui sine dubio non levi sunt gloria præditi, & imperium habent, &c. *Sic. pag 56. 57. Similiter loquitur Smalz. ref. thes. Schopp. de Trin. pag. 8.*

36. *Imago autem DEI per lapsum neutiquam amissa.*

Socin. in Prælect. Theol. cap. 4. fol. 13. Unum illud peccatum per se non modo non universos posteros, sed ne ipsum quidem Adamum corrumpendi vim habere potuit. *Catech. Racov. pag. 250.* Lapsus Adæ, cum unus actus fuerit, vim eam, quæ depravare ipsam naturam Adami posset, habere non potuit. *Smalz. contr. Franz. Disp. 2. pag. 52.* Nihil proficit, Franzius. Non enim hoc probandum erat Franzio, imaginem DEI consistere etiam in sanctitate & justitia: sed docendum ipsi erat, hanc imaginem, quæ consistit in justitia & sanctitate, fuisse in homine ante lapsum, & per peccatum amissam esse. Hoc enim in Quæstione est. *Ibidem in med.* Thesis 33. ait imaginem Dei (per peccatum amissam) aliquo modo etiam in hac vita restitui, &c. Sed nisi probetur, eam amissam esse, nullus ejusdem restitutioni locus esse potest.

37. *Primus homo primum non malus saltem & innocens: non tamen ideo bonus bonitate morali; & licet simplex, non tamen justus ideo atque sanctus.*

Socin. cap. 3. Prælect. Theol. fol. 8. Si homo DEO similis, in justitia, & bonitate conditus fuisset, impeccabilis creatus fuisset sicuti DEUS, qui malus & injustus esse non potest; at homo peccabilis fuit. Et quomodo justus censendus est quia id non fecerit, quod etiamsi

maxime voluisset, vel alioqui facturus fuisset, tamen facere non poterat. *& ibid. Socin. Prælect. cap. III. pag. 8.* Concludamus igitur, Adamum etiam antequam mandatum illud DEI transgrederetur, revera justum non fuisse, cum nec impeccabilis esset; nec ullam peccandi occasionem habuisset: vel certe justum eum fuisse affirmari non posse, cum nullo modo constet, eum ulla ratione à peccando abstinuisse. *Vicissim de statu hominis ante lapsum cap. 4. fol. 6. & seq.* Justitiam originalem omnes Adamum habuisse affirmant, verum ista justitia non originalis, sed actualis fuit. Adamus etiam antequam mandatum istud transgrederetur, revera justus non fuit, & si in eo divina imago, & similitudo fuisset, quod justus creatus fuisset, certe post peccatum, imago illa, & similitudo deleta in homine fuisset, & tamen etiam post peccatum, homo ad imaginem DEI factus esse dicitur. *Smalz. in refut. libr. 2. vel vero & naturali DEI filio cap. 7. fol. 60.* Fuit in Adamo naturalis quædam integritas, seu rectitudo, sed nec ratio nec Scriptura uspiam docent, Adamum ante peccatum alia ulla justitia fuisse præditum. Quis non videat, quantum differant, rectum esse conditum cum sanctitate & donis supernaturalibus, nam & is rectus esse dici potest, qui simplex, & expers est omnis mali.

38. *Omnia primum condita quando fuisse dicuntur valde bona, idem hoc est, quod valde decora, non exclusis tamen id propter infirmitatibus naturæ.*

Socin. contra Puccium pag. 5. Vidit DEUS cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: id est, ut plerique doctissimi viri ex vi ipsorum verborum interpretantur, erant decora, & ei, quod facere animo intenderat, apta & convenientia. *Et rursus contra eundem pag. 68.* Quibus illud etiam addendum est, cum legis, DEUM vidisse omnia quæ fecerat, & fuisse valde bona, atque id de singulis rebus creatis dici existimas; non debere te putare id scriptum esse, ut si quid mali in eis tibi nunc inesse videatur, scias illud ab ipsis, cum crearentur, abfuisse. *Smalc. cont. Franz. Disp. VI. pag. 179.* Infirmitatem denique, propter quam homo toties, & tam graviter impingat, ob lapsum Adami esse consecutum, nusquam in S. literis affirmatur, sed eadem, quæ fuit in homine ante lapsum, infirmitas mansit, & aucta deinceps ex hominum malitia spontanea.

39. Non

39. Non datur in homine quod vocant peccatum originis à primis propagatum parentibus.

Socin. Prælect. Theol. cap. 4. pag. 10. Cum quæritur: An sit peccatum originis? Idem est, ac si quæreretur, utrum homines cum nascuntur, eo quod ab Adamo originem ducunt, propter ipsus Adami lapsum, culpam aliquam, aut pœnam contrahant, vel alicui culpæ aut pœnæ sint obnoxii? Quocirca cum, ad culpam constituendam propria voluntas ejus, qui in culpa futurus sit, omnino requiratur; pœna vero sine antecedente culpa esse non possit, nullo modo videtur dici posse, in homine dum nascitur, ullam sive culpam, sive pœnam locum habere posse. *Et Dial. de Just. f. fol. 11.* Commentum illud de peccato originis, seu parentum culpa, fabula est Judaica, & ab Anti-Christo in Ecclesiam introductum, ad stabilendum pernitiosa dogmata, nempe DEI incarnationem, infantium baptismum. *Smalz. contr. Franz. Disp. 2. pag. 41.* Docendum prius erat, an sit aliquod peccatum originis, præsertim cum sciat, esse non paucos, qui plane illud pro commento humano habeant. Nam negata re, negantur omnia ejus accidentia & circumstantiæ. Dicet Franzius, se infra id facere. Cur vero ab initio thesium, ut ipsa res postulat, facere illud neglexit? Accederem igitur statim ad ea, quibus nostram sententiam Franzius impugnat, nisi res ipsa postulare videretur, ut ea, quæ de hoc commento ipse differit, examinentur, utpote in quibus multa absurda, ridicula & Theologia valde indigna continentur. *Item pag. 44.* Demonstrandum erat, hominem animalem, vel (ut Fr. id accipit) carnalem factum esse per peccatum illud brutum originis, quod nunquam efficiet Franzius. *nec non pag. 46.* Thesis falsa est, & sola negatione refutari potest, quia nulla ratione probatur: Nempe nullum individuum unquam peccato originis fuisse infectum, & proinde etiam nec ipsum dominum JESUM Christum, non tantum propter hanc causam, quam affert Franzius, sed etiam, quia peccatum illud mera est fabula, quam tanquam fœtum alienum fovent Lutherani & alii. *Ostorod. cap. 33. pag. 271.* Nun kommen wir zu dem andern Punct / welcher ist / ob die Natur des ersten Menschen durch die Sünde corrumpiret / und verdorben sey? Da sagen wir zwar Nein zu: Sintemahl gar keine Ursach kan gezeiget werden / warum solches hätte geschehen sollen / (daß wir ietzt von dem nichts sagen / daß es nicht habe geschehen können / quia unus actus non facit habitum,) und weil von solch

einer

einer Straffe unter andern/ welche GOtt derselben Sünde und Ungehorsam des ersten Menschen verordnet hatte/ in H. Schrifft im geringsten nicht gedacht wird. *Et vicissim pag. ead. & seq.* Wider diese helle Wahrheit bemühet man sich mit etlichen Oertern der heiligen Schrifft zu beweisen/ daß des Menschen Natur corrumpiret/ ja/ daß der Mensch ietzt von Natur / und von seiner Empfängniß an ein Sünder sey / und der Sünden beschuldiget werde / (welches man zwar vom ersten Menschen/ ehe er sündigte/ nicht hat sagen können/) welcher Sünde/ nachdem sie wol nicht kan unter die actualia peccata, unter die würckliche Sünden (welche denn allein rechte und wahrhaffte Sünden sind) gerechnet werden/ haben sie einen eigenen Nahmen erdacht/ nehmlich peccatum originis, das ist/ die Erb-Sünde. Von welcher/ wie man nichts wahrhafftiges in heiliger Schrifft findet / also sind sie der Sachen noch nicht eins/ was es eigentlich sey.

40. *Et prava quæ inest hominibus cupiditas, non ab Adamo in illos propagata est: sed ipsi se peccandi consvetudine corrumpentes eandem ad posteros transmisere.*

Socin. in lib. quod Regn. Polon. cap. 5. f. 56. Est quidem in hominibus, nullo prorsus excepto, ad peccandum (ut sic loquar) possibilitas .... sed de mala illa cupiditate, & ad peccandum pronitate, licet in plerisque sit, non tamen affirmare possumus, eam in omnibus prorsus esse: nec cupiditas mala ista, ex peccato illo primi hominis manat. *In Prælect. Theol. c. 4. pag. 13.* Cæterum cupiditas illa mala, quæ cum plerisque hominibus nasci dici potest, non ex peccato illo primi parentis manat, sed ex eo, quod humanum frequentibus peccatorum actibus, habitum peccandi contraxit, & se ipsum corrupit, quæ corruptio per propagationem in posteros transfunditur. *& cap. 5. pag. 16.* homines sæpius peccando peccandi habitum contraxere, & se ipsos corrupere, eamque corruptionem ad posteros, per seminis propagationem transmisere, atque etiamnum transmittunt. *Et libro de Servat. part. 4. cap. 6.* Corruptio hæc nostra & ad peccandum proclivitas, non ex uno illo delicto in nos propagata est, sed continuatis actibus habitus modo hujus, modo illius vitii est comparatus; quo naturam nostram corrumpente ea corruptio deinde per generis propagationem, in nos est derivata. *Smalz, hom. 3. in Johan,*

han.p.33. Fatemur nos quidem, homines esse corruptos, & ab illo statu innocentiæ, in quo Adamus creatus fuit, alienissimos hoc vero non lapsui Adami attribuendum est sed ipsis hominibus, qui sponte sua se ipsos depravarunt & per habitum male agendi corruperunt. *Et contr. Franz. Disp.2.pag.60.* Parentes nostros, non omnes, sed aliquos, longa male agendi consvetudine corruptos, tale quid in prolem interdum quasi transfundere, valde est verisimile: At eum, qui innocens creatus erat, semel peccando, omnes in perpetuum peccato infecisse, rationi prorsus est contrarium, &, quod caput rei est, altum de eo in Sacris Literis silentium. *Ostorod.cap.3.p.280.* Beschliessen derohalben/ daß gar keine Erb-Sünde sey/ (sonderlich/ wenn man sie so verstehet/ wie zuvor gesagt ist worden/) und derowegen/ daß aus der Sünde des ersten Menschen kein Mangel auff seine Nachkommen geerbet/ oder nothwendig kommen sey. *& cap.34.pag.281.* Ob wir wohl nicht zugeben, daß wegen des ersten Menschen Sünde menschliche Natur solte verdorben seyn/ so concediren wir doch gern/ daß fast in allen Menschen gar eine grosse Begierde und Zuneigung sey zu sündigen: Nicht zwar wegen derselben Sünde/ sondern darum/ daß sich die Menschen selber durch ihre eigene Sünde und Boßheit corrumpiret und verdorben; welche Corruption sie denn hernach auff ihre Kinder durch die Krafft des Saamens geerbet haben.

41. *Quin ea cupiditas non dici potest esse in omnibus.*

Socin in Prælect.cap.4.fol.13. Mala ista cupiditas, & ad peccandum pronitas, licet sit in plerisque, non tamen affirmare possumus eam in omnibus prorsus esse. *Et in Miscell fol 77. & seq.* Concupiscentiam istam sive ad peccandum proclivitatem in omnibus prorsus hominibus naturaliter esse non constat. Hyperbole David utitur, quasi peccatum homini res quædam naturalis sit, non autem quod ita re vera sit.

42. *Non mortalitas peccati Adamitici pœna: sed mors ipsa seu moriendi necessitas fuit; ista siquidem naturam ipsam sequitur.*

Socin. Prælect.cap.1.in fine. Cum omnes causæ efficientes mortalitatis nostræ naturalis, sive in nobis sive extra nos sint, jam antequam primus homo peccaret, existerent, non minus quam postea; necesse est, ut

ipse etiam effectus mortalitatis naturalis, non minus antea quam postea exstiterit. *Idem libro de Servat. part. 3. cap. 8. pag. 294.* Mors naturalis quatenus naturalis est, & omnibus communis, non est peccati stipendium, sed naturæ nostræ, quam ipsemet Adamus in ipsa creatione accepit, propria sequela. Peccati autem stipendium est moriendi necessitas & mors æterna. *Et ad articulos Cutenii:* Adamus antequam peccaret, quod ad ipsius naturam attinet, erat mortalis, ut post peccatum. Sed post peccatum non modo natura mortalis, sed etiam morti penitus obnoxius fuit. Itaque mors ipsa corporis, non quatenus naturalis est, sed quatenus est prorsus necessaria, & in Adamo, & in nobis peccati effectus censenda est. *Nec non contra Puccium pag. 54.* Qui fideles moriuntur quidem, non tamen propter peccatum & necessario, sed propter humanam ab ipso creationis initio conditionem, & naturaliter. *Smalz. contra Franz. Disp. 7. pag. 400.* Dicimus differre mortalitatem à morte, idque ita docemus, quod tempus erat, cum esset mortalitas, & tamen nondum erat mors. Nam ante lapsum erat mortalitas, ut argumenta, quæ nunc refutat Franzius, firmiter demonstrant: Paulus vero ait, per peccatum mortem in mundum intrasse. *Et vicissim:* Nos vero per hanc phrasin, obnoxium esse morti, intelligimus, prorsus non posse non mori, ideoque vocem mortis non ita explicamus unquam, quod significet subjectionem istam morti, sed vel alia phrasi utimur, vel huic aliquid addimus, quod vim ei majorem addat, nempe vocem necessario aut similem. Jam vel mutata hac phrasi, obnoxium esse morti, in aliam, nempe, obnoxium esse necessitati moriendi, vel addita illi voce, necessario, dicimus falsissimum esse, eum, qui est mortalis, necessario morti obnoxium esse, ita ut non possit non mori. Potest enim DEI beneficio conservari, ita ut vel nunquam moriatur, vel ut iterum resurgat, & sic non erit morti necessario obnoxius.

43. *Voluntas præstandi Deo obsequium homini naturaliter inest, vires autem debilitatæ non propter peccatum Adami, sed ob depravationem voluntariam.*

Socin. Prælect. cap. 5. Quoniam igitur concedimus in plerisque hominibus, non quidem propter peccatum primi parentis, sed propterea, quia homines paulatim degenerarunt, & se ipsos corruperunt, innatam

tam quodammodo esse magnam ad peccandum proclivitatem, & pravitatem quandam: idcirco dicimus, in plerisque hominibus naturaliter exiguas esse vires ad ea præstanda, quæ Dei lex jubet: ea autem præstandi voluntatem in omnibus natura esse posse, atque adeo in plerisque esse, nisi peccandi assvetudine factum sit, ut quis ipso peccato atque iniquitate delectetur. *Et in fine capitis ejusd.* Constitutum esto, in homine etiam post Adami lapsum liberum arbitrium esse, nec vim hanc naturalem ex eo tempore imminutam esse, nisi quatenus homines sæpius peccando peccandi habitum contraxere, & se ipsos corrupere, eamq; corruptionem ad posteros, per seminis propagationem transmisere, atq; etiamnum transmittunt. *Catech. Racov. cap. 10.* Estne hoc in potestate nostra Deo sic obedire? Resp. Ita. *& p. 257* Quo usque se extendit hominis liberum arbitrium? Resp. Est plerumque in hominibus à natura parum virium illud agendi, quod DEUS ab ipsis postulat. Sed voluntas id agendi in omnibus à natura est. *Smalz. contr. Franz. pag. 416.* Arbitrium in homine liberum esse. Nam eo ante lapsum præditus fuit, & id per lapsum non amisit, id est, voluntas præstandi DEI voluntatem in hominibus naturaliter inest plerumque: Vires autem valde sunt exiguæ, ad præstandam eam, non ob primi parentis peccatum aut corruptionem propter illud in nos transfusam, sed ob depravationem hominum voluntariam.

44. *Concupiscentia involuntaria, quæ scil. in primis motibus consistit, peccatum dici non meretur.*

Socin. lib. quod Regni Poloniæ &c. cap. 5. pag. 59. 60. num. 4. Quartum ex leviorum numero, doctrinæ Evangelicorum errorem faciemus, quiddam quod à Stoicis, ut quædam alia, videntur esse mutuati, & in quo nequaquam, ut in plerisque aliis, secum consentientes Papistas habent, id est, quod simplicem & plane naturalem in homine concupiscentiam, quamvis ei nullo pacto assentiatur, sed statim & semper eam reprimat, peccatum esse statuunt, idque ejusmodi, ut vel ob id solum homo à DEO damnari jure possit. *Et explic. cap. 5. Matth. pag. 91. 92.* Cum est tantummodo primus quidam motus concupiscendi, tunc nec desiderium proprie loquendo dici debet, nec in hominis potestate, qui habitum virtutis castitatis adeptus non fuerit, ullo modo esse videtur, & si tamen aliquo modo est, nulla ratione credendum videtur, Christum talem cupiditatem adulterii loco duxisse. Illud certum, judicio

meo, eſt, ejusmodi cupiditatem, cui quis nullo prorſus modo conſentiat, non fuiſſe comprehenſam præcepto illo Moſis de non concupiſcendo, & vix propter rationem proxime allatam, quod ea non videatur in hominis poteſtate eſſe, etiam ſub ipſo Evangelio, peccati ullam rationem habere, quicquid contra complures diſputent. *Et Smalz. Diſp. 2. contr. Franz.* Concupiſcentia naturalis, quæ in poteſtate noſtra non eſt, peccatum dici non poteſt, nec præceptum, de concupiſcendo de ea intelligitur: & ad peccatum voluntate hominis omnino opus eſt, quantumvis homo ad id ſit natura proclivis, & ſcriptura id tantum peccati nomine intelligit, quod eſt legis divinæ voluntaria transgreſſio, & ibi demum peccatum eſt, vel eſſe poteſt, ubi ſcientia præceſſit.

45. *Non actus vitioſus, ſed habitus hominem regno Dei excludit.*

Socin. lib. quod Regni Poloniæ &c. pag. 10. Quanquam homini Chriſtiano, omnis vitioſus actus repugnans Chriſti præceptis, ſummo ſtudio, ac diligentia perpetuo eſt cavendus ac vitandus, tamen non quilibet ejusmodi actus, ſed habitus vitioſus, vitioſaque conſvetudo, quæ Evangelicæ fidei doctrinæ adverſatur, hominem à cœlorum regno excludit. *Et Dialog. de Juſtif. fol. 29.* Sunt peccata quæ ex deliberata malitia fiunt, vel quæ hominem irretitum tenent hactenus, ut habitum ſive unius, ſive plurium peccatorum habere merito dici poſſit, aut tam frequentia ſunt, ut is non ſecundum Spiritum, ſed ſecundum carnem vivere jure affirmari queat. Hæc ab hujusmodi peccatis ſeparanda, & diſtingvenda, quæ vel ex ignorantia, & incogitantia committuntur, vel etiam prudenter, & ſcienter, non nunquam etiam ex humana fragilitate, ſed ita ut lapſus eſſe, non autem cecidiſſe homo dicendus ſit. *Nec non comment. in 1. Joh. fol. 448.* Certum eſſe videtur in homine, qui Chriſti fidem alioquin ex animo profitetur, actum unum peccandi non poſſe eam vim habere, ut per ſe mortem illi afferat, & cum de peccato mortem eſſe dicitur, non de uno peccato, ſed peccandi aſſvetudine loquitur. *Smalz. contr. Franz. Diſp. 9. pag 301.* Poteſt Deus pœna corporali affligere aliquem, qui ſervabitur in æternum, quia ſcilicet ipſius peccatum non pœnam æternam, ſed tantum corporalem meritum erat. Non omnia, ſed tantum enormia, & peccatorum non actus ſed habitus tantum, pœnam æternam, vi fœderis novi conſiderati, merentur. *Et lib. de ſatiſf. Chriſti c. p. 8. pag. 240.* Et levium, vel venialium, ut loqvuntur, peccatorum, lon-

longe alia est ratio. Hæc enim Deus, quamquam ea etiam aversetur, tamen ad pœnam imputare non solet. Etiamsi quis grave peccatum, quod opus carnis in Scriptura appellatur, per ignorantiam, vel infirmitatem, vel incogitantiam, quæ vere, & non affectate talis sit, committat, eum justificationem sui sub N. T. non perdere, non fieri ex pio impium eum, qui peccatum grave, ex vera fragilitate & incogitantia admittit. Unum enim atque alterum peccatum non facit habitum, sicut nec pius iste fit, qui semel atque iterum id, quod pietati conforme est, facit. Constat denique non imputari ei tale peccatum ad pœnam, nempe æternam; Nam quod Paulus dicit, quod adulteri, homicidæ non sunt consecuturi regnum Dei, id tantum de iis intelligendum esse res ipsa loquitur, qui in peccatorum istorum, sive unius, sive multorum habitu hærent, vel, ut Paulus loquitur, qui talia faciunt; facere autem is dicitur peccatum, qui peccati habet consvetudinem.

IV.
DE JESU CHRISTO SALVATORE.

46. Quæ ad Personam Christi spectant, dogmata non admodum ad salutem necessaria sunt.

Etsi enim Catech. Minore, cap. 5. Interroganti: Doce me quæ de JEsu Christo cognoscenda sint? *Respondetur:* Hæc duplicia sunt: quædam ad personam, quædam ad munus ipsius referuntur. Quænam sunt ea, quæ ad personam ejus referuntur? Quod natura sit verus homo, qui olim quidem, cum in terris viveret, mortalis fuerit, nunc vero immortalis sit. *Tamen in Catechesi majore pag. 16. interroganti:* Quid censes de Christi natura sive essentia esse cognitu necessarium? *Respondetur:* Id, ut antea dixi, sine cujus cognitione voluntas Dei erga nos per ipsum Christum patefacta, à nobis vel sciri vel servari nequeat. *Interrog.* Quid igitur ex iis, quæ ad Christi naturam sive essentiam pertinent, ejusmodi esse censes? *Respondetur,* vix quidquam. *Similiter Ostorod. in Instit. cap. 6. p. 38.* Zu erkennen den Willen GOttes gegen uns / ist nicht von nöthen / was da betrifft die ewige Seeligkeit / daß man erkenne das Wesen Christi / sondern nur allein sein Amt.

47. *Filius Dei in carnem venturus fuisset, etiamsi primi parentes non peccassent.*

Smalz. contr. Franz. Disp. 12. p. 429. Esto enim, probari non posse testimonio sacrarum literarum, decretum Dei fuisse de mittendo Messia, etiamsi primi parentes non peccassent, num propterea falsum est, quod ait Socinus de præcognito Christo, nempe id eo respectu factum esse, quod venire in mundum debuerit necessario ad servandum homines: morti autem etiam destinatum fuisse sub conditione, si homines peccarent? Ex qua igitur, dicet Franzius, consequeretur probatis, Christum venturum fuisse, etiamsi primi parentes non peccassent? Ex ea, ajo, quod Christus venturus erat ad servandum in æternum homines. Hoc enim ipsum nomen Servatoris, quod Christo proprium quodammodo effectum est, satis superque indicat; & illud: elegit nos in Christo ad adoptionem, ut hac de re luculenter testatur Paulus. Tam vero homines Servatore eguisse, si non peccassent, quam si peccassent, inde constat, quod omnes ex terra facti erant, ideoque in terram natura sua reversi fuissent, nisi Deus, eos per Christum servare decrevisset. *Et lib. de Divin. Christi cap. 1.* Ea autem prædestinatio ita se habet: constituerat DEUS, qui hominem creaturus erat, & ex materia mortua terra nimirum, vivum eum & rationalem producturus, eidem ita etiam prospicere, ut suo tempore ex hac temporali vita ad aliam, æternam scilicet & immortalem commigrandi, viam & aditum cognitum haberet. Promiserat autem Deus vitam æternam ante tempora secularia, & data nobis fuit gratia ante tempora secularia, ut ait Apostolus. Ad hoc igitur tam divinum opus elegit Deus JEsum Christum Dominum nostrum. Hunc ante constitutionem mundi ita dilexit, ut eum & neminem alium voluerit esse tantæ rei & præconem & perfectorem: Per hunc, & neminem alium constituit omnes eos servare, quicunque ejus dictis audientes futuri essent.

48. *Non Maria: sed Joseph è familia Davids fuit.*

Socin. Lect. Sacr. fol. 157. Nullo modo constat Mariam ex familia Davidis fuisse. *Smalz. de divin. JEsu Christi cap. 3. fol. 8.* Messias erat ex familia Davidis, Maria non item. *Crell. Tom. 1. Com. fol. 10. & seq.* docet Mariam non ex tribu Juda & familia Davidis, sed ex Levi ortam. *pag. 68.* Ideo Christum ad Davidem refert, quia prognatus fuit ex uxore Josephi, qui genus suum ad Davidem duxerit. *& ad cap. 1. Matth. f. 10.* Genealogia non censetur ex matre, ideoque Evangelistæ non Mariæ, quæ esset ex tribu Levi: sed Josephi tanquam Mariti ejus genus recensent. *Jonas Schlichting.*

ting. Comm. ad Job. 1.46. Maria Mater Christi non esset facta, nec eum peperisset, nisi desponsata Filio Davidis fuisset.

49. *Maria concepit ex Deo patre, qui vicem viri supplens seminis virilis substantiam in uterum ejus ingessit.*

Socin. contr. Wieck. f. 219. Deus in Christo homine, in Mariæ virginis utero formando seminis verbi, vel potius Viri ipsius vicem supplevit. *fol. 221.* Quod dicitur: Spiritus Sanctus superveniet, perinde est acsi dixisset, quod viri opera in gignendo homine fieri solet, hic virtutis divinæ opera fiet. *addit ibidem:* à Deo in virginis uterum substantiam aliquam creatam immissam esse, ut Christus non matrem tantum, sed & patrem habuerit. *Et in lib. Quod Regni Polon. &c. f. 36.* Vides quod Spiritus S. & virtus altissimi illam primam existentiam illius hominis JESU Nazareni sit operata, & sic patris generantis loco Deus fuerit. *Smalz. in Resp. ad nova monstra Smigl. cap. 18. f. 158.* Communis fides Christianorum omnium, quod Christus non ex Virili semine conceptus sit, communis error censendus est. *Et fol. Præced. 156.* Deus adjicit id, quod in generatione hominis ex parte Viri ad producendum hominem adjici solet. *Et fol. 160.* Quando Deus ad aliquid producendum, cum semine jam extante, quale fuit tunc Mariæ virginis, aliud præterea jungit, quod antea non extabat, tunc non productio tantum, sed NB. generatio vera censenda est. *Ostorod. cap 6. p. 48.* So halten wir es denn dafür/daß die essentia, oder das Wesen des Sohnes GOttes nichts anders/ denn eines Menschen essentia gewesen/das ist/ein wahrhafftiger Mensch: und wissen von keiner andern essentia oder Natur in ihm. Nur das bekennen wir darneben/daß er einen andern Anfang gehabt / denn alle andere Menschen: Das ist/ daß er nicht von einem Manne sondern von GOtte selber seinen Anfang und Herkommen empfangen und bekommen hat: Sintemahl ihn die Jungfrau Maria vom H. Geist / das ist / durch die Krafft GOttes empfangen hat. *& vicissim:* Und ist derhalben GOttes Sohn / ja eingebohrner Sohn von Anfang seines Herkommens: Nachdem mahl GOtt nie solch einen andern Sohn gehabt / der aus seiner eignen Krafft allein in Mutterleib empfangen und gebohren wäre.

50. *Christus non est in una persona verus simul Deus & homo.*

Catech.

Catech. Racov. cap. 1. de cognit. Christi Quæst. 1. Quænam sunt quæ ad personam Christi referuntur? *Respondetur:* Id solum, quod natura sit homo verus. *Dein. Quæst. 2.* An idem habet naturam divinam? *Resp.* Nequaquam, cum id rationi sanæ & divinis literis repugnet. *Quæst. 4.* Ut eum convincamus errorem, quo duæ in Christi supposito naturæ inductæ sunt, ita ut unus Christus, & Deus natura sit & Homo; constanter dicimus, hanc opinionem nec cum sanæ mentis ratione convenire, nec ullo sanctarum literarum testimonio comprobari posse. *Smalz. contr. Franz. Disp. 3. pag. 63.* Porro si ut una persona describitur JEsus Christus, quomodo Deus verus erit & verus homo? potest ne esse veus Deus absque persona sua? Iterumque verus homo potestne sua carere persona? Certe nihil minus. Persona enim homo est, & persona Deus est. Itaque aut negandum est, Christum esse verum Deum & verum hominem, aut confitendum, eum duas habere personas. *Socin. Fragm. de Christi nat. fol. 17. quod edidit Smalz.* Etsi satis crebro & apertissime scriptum extaret, Deum esse hominem factum, multo satius esset, quia hæc res est absurda & sanæ rationi plane contraria, & in Deum blasphema, modum aliquem dicendi comminisci, quo ista de Deo dici possint, quam ista simpliciter, ita ut verba sonant, intelligere, & ita sanctissimam JEsu Christi religionem, pro turpissima omnibus ridendam exponere. *Crellius lib. 1. de uno Deo Patre cap. 31.* Etsi diserte scriptum extaret, Deum hominem factum, aut humanam carnem induisse vel assumsisse: tamen ea verba non statim ut sonant, accipienda essent. *Et Volckel. lib. 5. cap. 1. pag. 456.* Jam ut eum convincamus errorem, quo duæ in uno Christi supposito naturæ inductæ sunt, ita ut unus Christus, & Deus natura sit & Homo; constanter dicimus, hanc opinionem nec cum sanæ mentis ratione convenire, nec ullo sanctarum literarum testimonio comprobari posse. Rationi ideo eam repugnare asserimus, quod mens nostra dictat, fieri non posse, ut duæ formæ substantiales, eæque perfectæ, in unum idemque suppositum cadant: cum sit non unum, sed duo diversa existerent supposita, ut facile appareat, hoc commento duos Christos contra omnem rationem induci: cum unum tantum esse, & sacra volumina testificentur, & omnes confiteantur. *Ostorod. Inst. cap. 7. fol. 96. & seq.* Nun wollen wir kommen zu dem/ welches bey unsern adversariis für gar ein Grosses und tremendum mysterium, das ist/ erschreckliches Geheimniß/ bey uns aber für ein lauter Gedicht vorwitziger Menschen gehalten wird: Nehmlich/daß GOTT selber sey Mensch worden/das ist/(wie sie reden)

Daß

daß die ander Person in der Gottheit menschliche Natur an sich genommen hab / welches sie heissen die Menschwerdung Christi. Denn wo diß wahr wäre / so müste nothwendig folgen / daß Christus nicht allein die menschliche Natur / sondern auch die Göttliche wahrhafftig hätte. Damit wir nun viel mit Stillschweigen vorbey gehen / welches die Falschheit dieses commenti zu offenbahren tüglich wäre: Sagen wir nur für dißmahl so viel / daß / wenn diß wahr wäre / müsten wir die heiligen Evangelisten / welche uns die Historien Christi / sonderlich Lucam und Matthæum, so seine Geburt vorsetzlich / und das mit besonderm Fleiß beschrieben / der Abgunst / oder zum wenigsten einer sehr grossen Nachlässigkeit beschuldigen / nehmlich / welche von solch einer Sach / die Christi Geburt vornehmlich angehet / und über die massen wunderbarlich ist / und welches Erkäntniß (wie es zwar die adversarii dafür halten) die ewige Seeligkeit zu erlangen nöthig ist / entweder gar nichts / oder gewißlich gar sehr wenig / und das mit gar duncklen Worten / in derselbigen Historien zum Gedächtniß hinter sich verlassen hätten. *Etiam cap. 6. pag. 48.* Diß sind nun die Ursachen / warum wir nicht gläuben / daß JEsus Christus zwo Naturen / das ist / ausser der Menschlichen die Göttliche habe: Welcher Ursachen man noch viel mehr könte beybringen / aber an diesem sey es so genug.

51. Christus potest dici Filius Dei adoptivus.

Smalz. de vero & naturali Dei Filio cap. 4. pag. 19. & seq. cum concessisset, Christum naturalem Dei Filium dici posse, quatenus natus est Dei Filius; *mox subjicit:* Eundem quoque adoptivum Dei Filium dici posse, quia non semper talis Filius Dei fuerit, qualis postea fuerit, cum munus suum obiit, & qualis nunc est, postquam in cœlis regnat. *Postea addit:* Scriptura S. de iis etiam, quos adoptivos appellat, adserit, eos ex Deo esse natos, & divinæ naturæ fore participes. Atque in hac significatione Christum etiam adoptivum Dei Filium dici jure posse largitur.

52. Tempore Jejunii quadragesimalis Christus in cœlum raptus fuit, ut ibidem de doctrina hominibus patefacienda instrueretur,

Socin. in Catech. pag. 127. Nihil verisimilius, & verbis ipsius Christi, & hic & alibi, magis consentaneum sit, quam ipsum Christum, postquam natus est homo, & antequam munus sibi à Deo Patre suo demandatum obire inciperet, in cœlo, divino consilio atque opera fuisse, & aliquamdiu ibi commoratum esse, ut illa ab ipso DEO audiret, & præsens apud ipsum, ut ipsa Scriptura loquitur, videret, quæ mundo mox annunciaturus & patefacturus ipsius DEI nomine erat. Verba quidem ipsius Christi hoc ipso in loco non minus, quam in superiore, de Filio hominis, id est de homine expresse sunt dicta. Et si quis vel id animadvertat, quod factum est cum Mose, antequam divina lex tota ipsius ministerio promulgaretur, & manufacta opera, quæ adipsum divinum cultum pertinerent, cujus materiæ, cujusve formæ esse deberent, ipsi Mosi à Deo præscriberentur; Statim fatebitur (præsertim cum certum alioqui sit, Mosem Christi typum fuisse,) nihil convenientius excogitari posse, quam ut Christus ante illud, quod diximus, in cœlum ad Deum, idque fortasse nòn semel ascenderit, ibique aliquamdiu cum eo fuerit. *Idem in brevi Discursu de officio Christi pag. 17.* Hunc Christum cum ætate processisset, in cœlum accepit, eique ibi omnia ostendit, tum quæ ad ipsum in suo munere confirmandum, tum quæ ad nos docendos pertinerent, & ita instructum ad nos misit. *Smalz. lib. de divinit. Christi cap. 4. pag. 11.* Denique & hoc ad modum, quo Christus ad munus suum Propheticum initiatus fuit, pertinet, quod non, ut alii ante eum Prophetæ, & ipse Moses, per angelos aut visiones, id, quod alios docuit, edoctus fuit; Sed ipse præsens, homo jam natus, patrem suum vidit, & ab eo edoctus fuit omnia, quæ deinde nobis exposuit. *Et pag. 12.* Ergo etiam statuendum est, eum, re ipsa & localiter, à Patre venisse in hunc mundum & consequenter eum prius in cœlo fuisse, quam in mundum veniret. *Et pag. 13.* Quod vero ad tempus attinet, plane verisimile (quod nonnulli inter alios Theologos etiam observarunt) illud tunc temporis factum esse, cum Dominus JESUS jam baptizatus, & Spiritu Sancto donatus quidem esset, munus vero suum non obire cœpisset, cum scilicet quadraginta dies, & totidem noctes, jejunus in deserto consumsit. Quemadmodum enim Moses, tot dies, & noctes, absque cibo etiam à DEO conservatus fuerat, antequam legem per eum daret, sic credibile est, Dn. JESUM, illo cibo cœlesti, qui est commercium & conspectus DEI, ita fuisse recreatum, ut nullo naturali alimento, per

totum

totum illud tempus, opus habuerit. Tunc enim credibile, eum patrem suum vidisse, & ab eo doctum fuisse, quod de se utrumque Dominus prædicat.

53. *Christus introduxit diversum justificandi modum ab illo qui fuit in Testamento Veteri.*

Socin. in libro quod Regni Polon. cap. 5. pag. 60. & seq. Sextus error est, quod existimant Evangelici, eos, qui sub Veteri Testamento coram DEO justi sunt habiti, propterea fuisse habitos, & salutis æternæ nobiscum fore participes, quod sicut nos in Christum jam exhibitum, si ipsi in eundem quem exhibitum iri sperabant, omnino crediderint. Huic errori universa Scriptura repugnat, quippe, quæ fidei in Christum nullam prorsus mentionem, nisi pro eo tempore, quo exhibitus jam fuit, usquam faciat. *Et fragm. de Justif. fol. 51.* Modus Justificationis in V. & N. Testament. convenit utrobique per fidem in DEUM; sed in hac ipsa re insignis aliqua inter utrumque Testamentum differentia est, quod sub Novo Testame. t. requiratur, ac necessarium sit confidere DEO per Christum, quod quatenus ad id attinet, quod diximus per Christum, sub. Vet. Testament. neque necessarium fuit, nec porro in quoquam fuisse ulla ratione dici potest. *Smalz. contra Franz. Disp. 4. pag. 93.* Plane diverso modo justificati fuerunt illi, qui ante Christum vixerunt, ab eo, quo Christiani justificantur. Nam primum Justificatio per fidem nunquam fuit hominibus proposita ante Christum, vel fœderi inclusa; nec unquam promissum fuit, hominem fide justificatum iri: Sed nude tantum hominibus præcepta, pro ratione temporis, diversa à DEO tradita fuere, quibus obedirent, nulla etiam promissione aperta primitus addita Justificationis alicujus. *Et vicissim:* Deinde etiamsi fide homines olim etiam justificati fuerint, quemadmodum testatur autor Epistolæ ad *Hebr. cap. 11.* tamen ista fides, in rebus magni momenti, nihil commune habet cum ea, qua nunc homines sub N. T. justificantur. Primum enim fides illa DEUM solum respiciebat: at nunc requiritur fides in DEUM & Christum, sive, quod idem re ipsa est, fides in DEUM per Christum, de qua altum in V. T. silentium. *Iterum:* Deinde fides illa observatione præceptorum, quæ vel ante legem vel sub lege proponebantur, contenta erat: At fides, quæ est sub N. T. præter ea, quæ olim a fide-

à fidelibus requirebantur, requirit etiam observationem eorum, quæ partim ad legem sunt addita, de quo *Matth. 5. 6. 7.* & alibi, partim tanquam nova prorsus à Christo præcepta, qualia sunt: Abnegatio sui ipsius, portatio crucis suæ, & imitatio Christi, quorum nullum ne vestigium in lege extat. *Volckel. lib. 4. de vera Relig. cap. 3. pag 176.* Ut igitur discrimen intelligatur fidei illius, quam Christus nobis præscripsit, à fide illa, per quam prisci illi Dei cultores gratiam ejus & quæsiverunt, & assecuti sunt; animadvertendum est, id triplex potissimum esse. Primum enim fides Christi postulat, ut spem vitæ sempiternæ, per ipsum nobis apertissime promissæ, animo concipias: id quod ad fidem illam antiquorum constituendam non erat necessarium; cum ejusmodi promisso carerent. Hanc enim Novi Fœderis propriam esse suo loco docuimus. Deinde fides JESU Christi postulat, ut ea præstes omnia, quæ Christus perfectis suis mandatis, de quibus in sequentibus agemus, complexus est; adeoque majorem vitæ pietatem ac sanctimoniam requirit, quam olim à Mose fuit præscriptum. Tertio & illud ad Veterum fidem accessit, quod hodie tam in Christum, quam in DEUM credere jubemur: olim vero, nequaquam talem fidem extitisse, vel ex eo patet, quod, uti infra suo loco videbimus, Christus tunc nequaquam adhuc extiterit.

54. *Legem quoque præceptis perfectioribus auxit.*

Socin. de Offic. Christ. Th. 11. Excludit autem Novum fœdus præcepta ceremonialia & ut vocant judiciaria: hac ratione, ut eis nec ipsi Judæi amplius teneantur. 'Moralia vero perficit, nempe ea præstantioribus præceptis illustrando, quæ nos perfectiora reddidisse intelligi volumus, & mandata quædam peculiariter præscribit. *Ad Art. Cuteni th. 10. seq.* Christi lex, quia ut diximus, est complementum & perfectio legis Mosaicæ, sine dudio ipsa lege Mosaica est perfectior. Nec tamen negandum est, quin ipsa quoque lex Mosis ab hominibus interiorem probitatem requireret, licet non tam exactam, ut Christi lex requirit, quæ vicissim non minus quam lex Mosis externam probitatem seu sanctitatem postulat, sed multo tamen excellentiorem. *Catech. Racov. de Prophet.* Christi munere, *cap. 1. Quæst. 1.* Quænam sunt perfecta mandata DEI per Christum patefacta? *Resp.* Par eorum continetur in præceptis à Mose traditis, una cum iis quæ sunt eis in

Novo

Novo fœdere addita: pars vero continetur in iis, quæ peculiariter ipse Christus præscripsit. *Smalz. de divinit. Christi, cap. V.* Præcepta, quæ Christus revelavit, duplici modo considerari possunt. Quædam enim sunt additamenta & perfectiones istius partis legis Mosaicæ, quæ moralis appellatur, quædam vero sunt plane singularia, & quasi nova. *Tandem iterum Socinus Epist. 2. ad Dudith. fol. 27.* Aliud allegabam argumentum, cur sub Novo Fœdere divina confirmatione minus fuerit opus, quam sub Vetere: quod Præcepta Veteris Fœderis maxima ex parte ejusmodi sint, ut difficile sit creditu, illa à DEO manare, adeo vel levia, vel vana, vel superstitiosa, vel etiam stulta ac ridicula, & in summa parum DEO digna videri queant.

55. *Et vitam tum demum æternam promisit.*

Smalz. Disp. 7. contra Franz. pag. 220. ante med. Ex eo quod Christus est mediator fœderis melioris, colligimus, vitam æternam ante Christum nemini promissam fuisse. Alioquin enim non esset melius novum fœdus veteri, si idem, quod in novo promissum est, in vetere promissum fuisset. *Et in med.* Itaque sententiam nostram breviter hic asscribemus: Vitam æternam negamus unquam alicui promissam fuisse, nec in ipsa etiam lege Mosis, aperte & manifeste: Non negamus autem, omnes pios, qui ante Christum vixerunt, vitam æternam consecuturos. Potest enim DEUS plus dare quam promisit: Nec negamus, potuisse homines sperare vitam æternam, etiamsi eis promissa non fuerit. Extabant enim quædam, quæ spem illius excitare poterant. In Novo demum Fœdere, vitam æternam aperte revelatam & promissam omnibus in Christum credentibus fuisse, contendimus. *Et de divinit. Christi, cap. 7. fol. 27.* Sub V. Testamento nulla certa spes vitæ æternæ facta populo à DEO fuerat. *Catech. Racov. de Prophet. Christi, mun. cap. 5. Quæst. 3.* Nusquam in lege Mosis reperies vel vitam æternam vel donum Spiritus S. obedientibus legi promissam.

56. *Christus tantum figurate noster Sacerdos dicitur.*

Socin. Instit. Christ. Relig. fol. 91. Dicendum est, figuratum esse loquendi modum, cum Christus Sacerdos noster vocatur. *Smalz. de divin.*

Christi, cap. 23. fol. 134. Considerandum est, totam hanc rem, quæ per Sacerdotii vocabulum in Christo describitur, esse figuratam. *Crell. ad Ebr. 4. v. 14. Tom. II. fol. 112. seq.* De Christo dicitur, quod se ipsum DEO obtulerit & coram ejus vultu apparens pro nobis interpellet: non quod id proprie loquendo faciat: sed quod offerenti ac interpellanti Pontifici sit similis. *Ostorod. cap. 40. fol. 382.* So ist nun das hohe Priesterthum Christi anders nicht / die die Administration oder Verwaltung seines geistlichen Reichs/ so fern denn unsere Wohlfarth und Seeligkeit angehet: welches also Figürlicher Weise geheissen wird / damit anzuzeigen/ daß Christus nicht alleine uns helffen kan / wie ein grosser mächtiger Herr und König/ sondern daß ers auch thun wolle.

57. *Christus venit, non ut hominum nomine aliquid DEO, sed potius DEI nomine hominibus aliquid præstaret, eorundemque curam gereret.*

Smalz. de divin. Christi, cap. 23. fol. 134. Primum omnium considerandum venit, per JESU Christi Sacerdotium nihil aliud significari, quam quod Christus nostri curam gerere velit & gerat. Et hoc tantum à regno ejus differt, quod Christus quatenus Rex est, potest nostri curam gerere, quatenus vero Pontifex, gerere etiam vult & gerit. *Crell. Comm. in Hebr. 4. v. 14. Tom. II. fol. 112.* Munus ejus sacerdotale in eo situm est, quod potestate sibi à DEO data, pœnas peccatorum à suis auferat, eorumque salutem omni ratione procuret. Proinde hoc munus idem est re ipsa cum regio Christi munere, & ratione tantum quadam ab eô distingvitur. *Et de causis Mort. Christi fol. 8.* Cum consideratur Christus ut sacerdos, etsi similitudinem refert ejus, qui Deo aliquid hominum nomine præstet, si tamen rem ipsam penitius spectes, deprehendes, talem eum esse Sacerdotem, qui DEI nomine nobis aliquid præstet.

58. *Christus munus Sacerdotale non in cruce pro nobis præstitit, sed in cœlo demum administravit.*

Volckel.

Volckel. lib. 3. de Ver. Relig. cap. 37. fol. 145. Cum illius Sacerdotium idem fere reipsa sit, quod ejusdem regnum, eadem mors principium seu præparatio quædam istius Sacerdotii in cœlo demum administrandi extitit. *fol. seq.* Corpus mortale, quo Christus ante mortem, imo ante suum in cœlum ascensum præditus erat, ad hoc sacerdotium obeundum, & sacrificium penitus absolvendum, aptum non fuit. *Et vicissim:* Christi sacrificium expiatorium non in crucis morte peractum fuit: sed in cœlesti tabernaculo administratum. *Catech. Racov. cap. 13. de mun. Christi Sacerdot. Quæst. 8.* Quid, annon erat sacerdos antequam in cœlos ascenderet & præsertim cruci affixus penderet? Resp. non erat. *Socin. Instit. Christ. Relig. fol. 73.* Dico igitur Christi oblationem, qua expiata peccata nostra fuisse dicuntur, non in cruce, & per ipsam ibidem sangvinis sui fusionem, peractam fuisse, quemadmodum vulgo existimant, sed in cœlo, & per sui ipsius ibi coram DEO pro nobis, ut sic dixerim, præsentationem. *Idem part. 2. de Serv. cap. 23. pag. 192.* Christus autem non ante Sacerdos vere fuit, nec ante perfecte consecratus, quam in cœlum ingressus fuerit, non modo antequam se ipsum morti tradiderit. *Et vicissim:* Ex quibus satis constare potest, Christum, antequam omnes infirmitates nostras, inter quas mors præcipua est, expertus esset, pontificem revera factum non fuisse. *Smalz. de divin. Christi cap. 23. fol. 137.* Ex his deducitur, Christum sacerdotem tunc primum reipsa & perfecte fuisse, cum in cœlos ascendit.

59. *Christus pœnas, quas promeriti eramus, non tulit.*

Socin. lib. 2. de Servat. cap. 4. pag. 93. fin. in argum. Ostenditur, minime concludi debere Christum omnes pœnas pertulisse, quas nos propter peccata nostra pendere debuissemus. *Idem part. 3. cap. 4. pag. 266.* Quamvis enim non defuerint, qui Christum damnatorum pœnas passum fuisse, affirmare sint ausi, explosa tamen est sententia ista; & merito quidem, cum propter alia multa, quæ ad eam refellendam afferri solent, tum maxime propter hoc, quod de divina gratia & auxilio desperatio, quæ propria damnatorum est pœna, quam longissime semper à Christo abfuit. *Et in fine:* Pœnæ igitur, quas Christus sustinuit, nullam habent ad pœnas, quas nos pendere tenebamur, proportionem. Et certe si finiti ad infinitum, ut dici solet, nulla est proportio, quænam pœ-

narum

narum Christi, quæ tempore finitæ fuere, ad pœnas nostris peccatis debitas, nunquam tempore finiendas, proportio esse potest. *Vicissim pag. seq.* Etiam si ea, quæ passus est Christus, pœnæ nomine passus esset, pœnæ tamen simpliciter appellari non deberent, sed potius labores præmia antecedentes. Quid ergo hic personæ dignitas efficere potuit, cum non modo nulla sit Christi pœnarum ad pœnas nostris delictis debitas proportio, sed quas vos dicitis Christi pœnas, non vere & proprie sunt pœnæ. Et *Crellius contra Grot. Resp. ad cap. 1. pag. 7.* Verum Grotius, ut apparet, pœnarum vocem accepit proprie. Pœna vero proprie dicta describitur à JCto, vindicta noxæ; consentientibus Græcis, qui *ἐκδίκησιν ἁμαρτημάτων* definiunt. Hanc nos Christum, quem Deus infinito præmio ad mortem nostra causa sustinendam hortatus est, eoque reipsa postmodum exhibito, omnes ejus cruciatus abunde compensavit, sustinuisse negamus; improprie dictam, fatemur. Postea, vocem pœnæ proprie huc pertinere non concedimus; & in eum sensum semper verba nostra volumus accipi, cum Christum pœnas pependisse simpliciter negamus.

60. *Neque peccata nostra expiavit.*

Socin. 2. de Servat. cap. 13. pag. 140. Unde quam graviter errent ii, qui per oblationem corporis Christi expiatoriam divinæ justitiæ pro peccatis nostris satisfactum credunt, & quam vana sint omnia argumenta, quæ, ad vim ipsius solius mortis Christi ostendendam, ex iis, quæ corporis Christi expiatoriæ oblationi tributa sunt, deduci solent, optime perspici poterit, præsertim, cum ne argumenta quidem illa, quæ ex iis, quæ sangvini ipsi seu morti tribuuntur, elici possunt, ad id probandum aliquod momentum habeant. *Et cap. 21. pag. 178.* Christus quamvis se ipsum hostiam pro peccatis nostris mactandum tradere debuerit, antequam in cœlum ingrederetur: se tamen, per quem expiatio perficienda erat, coram DEO in ipso cœlo deinde pro nobis sistere, & ibi nostrorum peccatorum expiationem peragere debuit. *Volckel. lib. 5. de vera Relig. cap. 22. fol. 575.* Ut satisfactionem ipsam, quæ Christi morte perfecta fit, ex ejusdem sacrificio concludi minime posse apertissime constet, illud meminisse oportet, non tunc Christi oblationem, & sic etiam peccatorum expiationem absolutam fuisse, cum is in crucem tolleretur, sed eam postquam à mortuis excitatus in cœleste tabernaculum ingressus est, perpetuo peragi.

61. Neque

61. Neque nos redemit.

Socin. part. 2. de Servat. cap. 1. pag. 70. Verum autem pretium voco non pecuniam tantum, sed quidquid, ut ei satisfiat, qui captivum detinet, datur; licet alioqui multa metaphorica in ejusmodi redemptione, si ad veritatem propriæ redemptionis reperiri agnosco, quam vos in salute nobis perChristum parta intervenisse contenditis. *p. 74.* Perlege omnes locos novi fœderis, in quibus redemptionis fiat mentio: & nullam invenies, ubi de veri alicujus pretii solutione, seu de satisfactione aliqua evidenter agatur. *cap. seq. pag. 76.* Jam, ut hanc pretii translationem, totamque simul in liberatione nobis per Christum parta metaphoram melius intelligamus: singulas ejus partes examinemus, & quatenus veritati respondeant, consideremus. *pag. 85.* Ex iis quæ hactenus à me dicta sunt, constare potest, qua ratione Christus, seu vita ejus in hac nostræ redemptionis metaphora merito pretii locum obtineat, cum ex eo, quod Christus se ipsum, & vitam suam pro nobis dederit atque impenderit, omnimode à peccato & ab ipsa peccati pœna liberatio nobis obvenerit, & obventura fit. *pag. seq.* Neque enim pretium redemptionis vere, & proprie dici potest id, quod dives impendit, ut se à periculis, in quibus versatur, liberet: cum neque captivus ab ullo detineatur, neque id ab ullo, ut pretium liberationis ipsius, accipiatur. Sed pretium redemptionis metaphorice dicitur, propterea quod, non minus quam pretium captivum è captivitate redimit, id, quod ipse impendit, eum à periculis liberat.

62. Neque placavit nobis & reconciliavit Patrem.

Socin. part. 1. de Christ. Serv. cap. 7. pag. 50. Jesus Christus Dei, & hominum mediator esse dicitur, non ideo id factum esse, quia Deum hominibus placaverit, sed quia novum & æternum fœdus cum humano genere ipse Dei nomine pegigerit ac sanxerit, & omnem Dei voluntatem, unde ad ipsum Deum est accessus, hominibus patefecerit. *Et pag. seq.* Num potest quisquam, sine maxima Dei injuria vel cogitare quidem illum, dum se ita clementem profitetur, dum se ita munificum esse prædicat, adeo nobis infensum fuisse, vel aliquo, qui nobis eum conciliaret, & ejus vindictam, quæ jam jam nostris cervicibus immineret, à nobis opera sua, ac meritis, & gratia apud ipsum repelleret, opus fuerit? Adeo sui juris tenacem, idque persequi voluisse, ut non nisi plenissima scelerum no-

 strorum

ſtrorum ſatisfactione accepta, nobis ſupplicium lege ſua ſtatutum condonare voluerit? ſed de hac re latius infra. Satis nunc fuerit, Chriſtum, ut mediatorem, Dei iram nobis non placaſſe, ne dum divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris plene ſatisfeciſſe, & divinorum teſtimoniorum auctoritate, & validiſſimis, niſi vehementer fallor, rationibus manifeſtum feciſſe. *Et cap. 8. pag. eadem.* Primo illud conſiderandum videtur, quod tu, ſicut vere credis, & ſcribis, ita fortaſſis non in ſententia ſolum, verum etiam in verbis Sacræ Scripturæ extare putas, Chriſtum nobis Deum reconciliaſſe; cum tamen id nusquam ſcriptum extet: ſed tantummodo vel nos ſimpliciter per Chriſtum, ſive per mortem Chriſti reconciliatos, vel Deo reconciliatos fuiſſe. *Cat. Racov. c. 7. de morte Chriſti. quæſt. 31.* Nusquam ſcriptura aſſerit, Deum nobis à Chriſto reconciliatum, verum id tantum, quod nos per Chriſtum aut mortem ejus ſimus reconciliati: dum Chriſtus nobis viam oſtendit, quemadmodum nos ad Deum converti atque ad eum modum ei reconciliari oporteat. *Schmalz. contra Smigl. de Satisfact. cap. 1. fol. 170. cujus argumentum:* Chriſtum ſua paſſione & morte non Deum nobis reconciliaſſe, vel ex offenſo placatum & propitium reddidiſſe; ſed nos Deo reconciliaſſe, & Deum nobis propitium declaraſſe demonſtratur. *Et eodem cap.* Scriptura tantum dicit, quod Chriſtus nos Deo: non vero quod Deum nobis reconciliarit. *Schlichting. ad Rom. 5. v. 10. Tom. 1. Comm. fol. 201.* Videmus hic, non Deum mundo, ſed mundum Deo fuiſſe infenſum & inimicum cum Chriſtus moreretur, proinde per mortem Chriſti non id eſſe actum, ut Deus mundo, ſed ut mundus Deo reconciliaretur.

63. *Neque adeo plane pro nobis ſatisfecit.*

Socin. in Prælect. Theol. cap. 18. fol. 102. De ipſius Chriſti perſona privatim videndum eſt, atque oſtendendum, ipſum nihil ſingulare, nec in ſe habuiſſe nec feciſſe, nec paſſum eſſe, ex quo intelligi poſſit, eum ſatisfactionem iſtam vel peregiſſe, vel peragere ulla ratione potuiſſe. *Part. 1. de Servat. cap. 7. pag. 44. in Argum.* Oſtenditur eo nomine nullam divinæ juſtitiæ exhibitam ſatisfactionem: ſed nec ullam iræ Dei placationem ſignificari. *Et in princip. totius operis.* Ego cenſeo & orthodoxam ſententiam eſſe arbitror, Jeſum Chriſtum ideo Servatorem noſtrum eſſe, quia ſalutis æternæ viam nobis annuntiaverit, confirmaverit, & in ſua ipſius perſona cum vitæ exemplo, tum ex mortuis reſur-

resurgendo, manifeste ostenderit vitam æternam nobis ei fidem habentibus ipse daturus sit: Divinæ autem justitiæ, per quam peccatores damnari meremur, pro peccatis nostris neque illum satisfecisse, neque ut satisfieret opus fuisse affirmo. *Et in fin. partis 2. cap. 26.* Quod attinet ad opinionem, de qua disputamus, non solum satisfactionis, seu satisfaciendi verbum, cum de salute nobis per Christum parta agitur, in sanctis Scripturis, ut ipse fateris, nusquam apparet; sed nihil ejusmodi, nec semel quidem, expresse in eis scriptum reperitur. Quale esset, quod Christus morte sua nobis Deum reconciliasset: vel quod pœnas universas nostris iniquitatibus debitas, moriendo, divinæ justitiæ persolvisset: vel, quod nos è manibus justitiæ divinæ, sanguinem suum redemptionis nostræ pretium illi dans, liberasset: vel, quod scelera nostra obedientia sua compensasset: vel, quod, ut remissionem peccatorum nobis Deus largiretur, digne commeritus fuisset, vel denique saltem, quod aliqua ratione Dei iram nobis placasset. An non, quemadmodum libri vestri, cum etiam ea de re disputatio nulla est, ejusmodi sententiis undique scatent: sic etiam sacræ Scripturæ, si salus nostra, ut vos opinamini, ex eo penderet, quod Christus justitiæ divinæ pro peccatis nostris satisfecisset, illis refertæ, aut saltem respersæ essent. *In part. 3. cap. 6. pag. 282.* Si vel unus saltem locus inveniretur, in quo satisfactionis pro peccatis nostris Deo per Christum exhibitæ mentio fieret: excusandi fortasse viderentur. Ego quidem, etiamsi non semel, sed sæpe id in sacris monimentis scriptum, extaret: non idcirco tamen ita rem prorsus se habere crederem. *Et in fine illius capitis pag. 287.* Abunde me præstitisse confido: & planum fecisse primum, Deum potuisse, nulla vero pro peccatis nostris satisfactione accepta, ea nobis condonare: deinde, etiam id facere eum voluisse: postremo, non potuisse Christum vel sua morte, vel alia ratione justitiæ divinæ pro peccatis nostris satisfacere. *Denique Schmalz. in præfat. contra libellum Smiglecii de satisfact.* Impugnatur à nobis non quod Christus omnibus illis satisfecerit, quæ illi à Deo ad salutem nostram promerendam imposita non erant: sed quod justitiæ Dei, ob quam nullum peccatum impunitum dimittere posse creditur, satisfecerit, ex irato Deo propitium reddiderit, eum nobis reconciliarit, pœnas, quas nos luere debebamus, nostri loco perpessus, & salutem nobis meritus sit, & alia his similia. *Volckel. denique lib. 5. de vera Relig. cap. 22. ab init.* Postquam Christum pro nobis, sive vice nostra, legem minime præstitisse,

tiſſe, nec officii, quod Deo debemus, partes noſtro loco expleviſſe oſtendimus; conſequens eſt, ut nec illum cruenta morte ſua juſtitiæ Dei pro nobis ſatisfeciſſe ſeu debita noſtra, quæ peccatis noſtris apud Deum contraxeramus, perſolviſſe, demonſtremus.

64. *Id vero ſua morte obtinuit, ut viam nobis panderet, quo nos ipſos ſalvos facere poſſemus.*

Socin. in Synopſi. 1. de Juſtif. fol. 3. Deus Jeſu Chriſto tantam in cœlo & in terra, tanquam obedientiæ ſc. uſque ad mortem crucis inſigne præmium, poteſtatem dedit, ut eos, qui viam præmonſtratam cum verbis, tum ſui exemplo ingreſſi fuerint, perpetuo confirmare, ac tandem æterna vita donare ipſe poſſit. *Et in Epiſt. ad Rom. cap. 11. fol. 26. & ſeq.* Non eſt intelligendus locus ac ſi Paulus dicere voluerit, re ipſa omnes, qui Iſraëlitæ fuerunt, ſerventur: Sed fidei oſtium, quod illis jam tunc Dei juſto judicio clauſum erat, ejusdem Dei benignitate illis denuo apertum iri, ita ut ſi velint, prorſus omnes ſervari poſſint. *Itidem cap. 17. fol. 97.* Ex quo propterea loco (*Joan. 3. v. 16.*) perſpici poteſt, quid ſit, Chriſtum pro nobis traditum à Deo morti fuiſſe, & ſic nobis donatum fuiſſe, nempe ut ea ratione fieret, ut nos ipſi Chriſto, ejusque verbis fidem adjungeremus, & ita non periremus, ſed vitam æternam conſequeremur. *Idem cap. 19. fol. 113.* Chriſtus ſive anima ejus in redemptione noſtra pretium fuit, non quo liberatio ex parte Dei, qui eam procuravit, & ipſum dedit, comparetur nobis, ſed quo nos eam reipſa conſequeremur. *fol. 115.* Quamvis Chriſti ſanguis Deum ad redemptionem, id eſt, liberationem à peccatorum noſtrorum pœna nobis concedendam, movere non potuerit, intervenire tamen debuit, ut nos eo ad oblatam liberationem accipiendam moveremur, utque ipſius liberationis effectus ad nos reipſa manare poſſet.

65. *Servator ergo eſt nomine non re: exemplo, non præſtatione: mandati ſuſceptione & annunciatione, non merito.*

Socin. Prælect. Theol. cap. 18. fol. 107. Ea quæ Chriſtus præſtitit, debuit præſtare, quippe quæ ſibi à Patre Deo mandata, & injuncta fuerunt; id enim ex eo poteſt intelligi, quod ipſam mortem ex patris mandato ſubivit. *Joh. 10. verſ. 18.* quodque in ipſa crucis morte ſuſtinenda

ſtinenda obediens fuiſſe dicitur; ubi obedientia, ibi mandatum quoque fuiſſe oportet, & nihil præſtitit, quod ſibi injunctum non fuit; & quidquid præſtitit, ea in ſui ipſius demiſſione continebantur: unde apparet nullam pro aliis ſatisfactionem ex iis quæ Chriſtus fecit, proficiſci potuiſſe. Ita ut Chriſtus ne ſibi quidem ipſi, niſi ex Dei promiſſo, ea quæ accepit ſua obedientia meritus fuerit, tantum abeſt ut nobis aliquid proprie mereri potuerit. *Idem cap. 20. fol. 120.* Mori propter peccata ſeu pro peccatis alicujus, idem eſt, ac mori cauſa, vel occaſione peccatorum illius. *fol. 125.* Hinc ſatis conſtare videtur, præcipuum Chriſti paſſionis ſcopum fuiſſe, non quidem pro nobis ſatisfacere, ſed nobis exemplum relinquere, quod certe non eſſet, ſi ſua paſſione pro nobis ſatisfeciſſet; & propterea paſſus eſt, ut nobis ad eadem, ſi opus fuiſſet, perpetienda præiret. *Idem c. 25. f. 165.* Pluribus modis peccata tollit: 1. Quatenus Dei nomine, omnium peccatorum veniam primus ab orbe condito omnibus offert. 2. Quatenus ad pœnitentiam agendam, qua peccata delentur, omnes allicit, & movere potens eſt, cœleſtibus iisque ampliſſimis promiſſis. 3. Quia non modo delendi modum docet, verum etiam doctrinam ſuam multis rationibus, iisque plane mirabilibus veriſſimam eſſe confirmat. 4. Quia poteſtatem habet peccata cuilibet remittendi. 5. Quia ut à peccando ceſſemus, doctrina ſua, & mirifica confirmatione efficit 6. Quia vitæ ſuæ innocentiſſimæ exemplo, omnes ad juſtitiæ & ſanctitatis ſtudium amplectendum facillime adducit. *Schmalz. refut. lib. de ſatisfact. Chriſti cap. 1. fol. 168.* Unde conſtat, veriſſime à me dictum fuiſſe, Chriſtum in mundum venire debuiſſe, ad peccata tollenda, ut hominibus idem variis modis confirmaret, ut hominibus id patefaceret, ut eos ad id amplectendum permoveret, & ut tandem illud reipſa iis donaret.

66. *Neque in cœlo Chriſtus pro nobis proprie intercedit.*

Catech. Racov. cap. 13. de munere Chriſti Sacerd. quæſt. 11. Cum Scriptura teſtatur, Chriſtum pro nobis interpellare, non propterea fit, ac ſi ille preces pro nobis ad Deum proprie fundat, verum eo fit, ut mentibus noſtris infigatur prorſus poteſtatem omnem, quam Chriſtus habeat, non ex ſe ſe habere, verum Dei patris dono. *Smalz. contra Smigl. de Satisfact. cap. 9. fol. 253.* Miſcet Smiglecius Chriſti interpellationem, quæ illi in cœlis degenti tribuitur, cum veris precibus, quo vix aliquid rudius dici poteſt. Cum enim nunc Chriſto tribuitur po-

testas absoluta in negotio salutis, necesse prorsus est, aut Christi interpellationem improprie accipere, aut Christum abnegare. *Idem de divinitate Christi cap. 23. fol. 136.* Cum de Christo dicitur, eum pro nobis interpellare, aliud nihil dicitur, quam eum potentia illa sua sibi data nostri curam gerere, h.e. ne credatur, potentiam illam in Christo esse naturalem, additur illud, unde contrarium aperte apparet, nempe eum talem esse, acsi subinde id quod facit precibus, à Deo impetret. *Volckel. lib. 3. de Vera Relig. cap. 38. pag. 149.* Ex quo consequitur, istam interpellationem minime Christo proprie assignari, nisi veracissimum Dei Spiritum sibi ipsi turpissime contradicere volumus. *Vicissim:* Ex quo fit, ut aut in omni potestate Christo data atque concessa figuratus loquendi modus sit cogitandus, aut interpellationis supplicationisque munere. Atque illud fieri nequaquam potest. *Et paucis interjectis:* Itaque consequens est, hoc posterius, nimirum interpellationem, nequaquam proprie, sed per translationem quandam Christo tribui, nihilque revera aliud ejusmodi loquendi formis significari, quam Christum divinitus sibi concessa potentia, omnia quæ ad salutis nostræ rationem pertinent, summo studio perficere. *Denique Ostorod. cap. 40. pag. 386.* Wir geben zur Antwort / daß solches Vertreten / oder bitten Christi / für uns eben so wol / als sein Priesterthum / müsse figurlich verstanden werden: Sintemal Christus dessen nicht bedarff / daß er die Dinge / welche er uns zu geben verheissen / auch schon itzt giebt / mit bitten warhafftig von GOtt erlangen solt: Sintemal er der HErr über alles worden ist / und schon alles in seiner Macht hat. So bedürffen wir auch Christo warhaffter Vorbitt in der Warheit nicht: Sintemal uns Gott selber lieb hat / und derhalben nicht nöthig / daß uns Christus bey ihm warhafftig oder proprie vertrete / oder für uns bitte.

67. *Officium Christi sacerdotale à Regio reipsa non differt.*

Volckel. lib. 3. de Vera Relig. cap. 37. pag. 144. Jam ut de Pontificio Christi munere explicemur; primo loco animadvertendum nobis est, illud ab ejusdem officio Regio, si in rem ipsam mentem intendas, non multum differre. Cum divinus Spiritus figurato hoc analogicoque dicendi genere, quo pacto Christus Regni sui functionem administret, ante oculos nostros constituere potissimum voluerit, nobisque ostendere, illum non solum salutem nostram procurare posse, sed etiam nos juvare

juvare velle. *Et viciſſim:* Quodquidem quo pateat apertius, tum eas hujus muneris partes, quæ ad noſtrum inſtitutum maxime pertinent, tum (idque ſimul & eadem opera) qua ratione partim Chriſti regno, partim ſacrificiis illis legalibus eædem reſpondeant, perpendamus. *Et Crellius in Ebr. 4. v. 14. Tom. 2. oper. parte priore fol. 112.* Munus Sacerdotale idem eſt reipſa cum regio Chriſti munere, & ratione tantum quadam ab eo diſtinguitur.

68. Non habuit ante mortem ſuam Chriſtus poteſtatem in Angelos aut homines, neque in mortem; dandi quoque Spiritum S. eo tempore poteſtate deſtitutus fuit.

Schmalz. in exam. Centum error. fol. 18. Cum Chriſtus regnum reipſa nullum habuerit, quis non videt, eum deſignatum tantum Regem ante mortem fuiſſe? *fol. 16.* Si poſt reſurrectionem data vel potius certo deſtinata demum fuit Chriſto omnis poteſtas in terra, quomodo antea omnem vel ſummam in homines poteſtatem habuit? *Et viciſſim in exam. Cent. error. fol. 17.* Cum ante mortem, nullam in cœlo poteſtatem habuerit, nec Angelis quicquam præcipere potuit. *Et errore 46. fol. 21.* Ante reſurrectionem non fuit Dominus Angelorum. *Err. 47. fol. 21.* Si per mortem abolevit eum, qui mortis habebat imperium h. eſt. Diabolum, quomodo ante mortem Dominus Diaboli eſſe reipſa potuit? *Err. 37. fol. 17.* Chriſtus ante mortem non potuit homines imperio Diaboli eximere, & à morte liberare, cum ipſe mortalis eſſet. Quomodo Chriſtus reipſa homines imperio Diaboli eximere & à morte liberare potuit ante mortem? *Error. præced. fol. 16.* Chriſtus ante mortem caruit poteſtate largiendi Spiritum Sanctum; ſi ſermo ſit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in Chriſtum, hoc eſt, de arrhabone illo & pignore noſtræ hæreditatis.

69. Chriſtus patris cœleſtis ſ. ſummi Dei in hac terra Vicarius fuit.

Schmalz. Reſponſ. ad part. novor. Monſtror. Smiglecii cap. 14. fol. 38. Deus ille unus, qui antea per alios populo ſuo præeſſe ſolebat, hic ultimis temporibus Jeſum ei præfecit, & illi omne judicium tradidit, ut ad certum tempus Chriſtus eſſet omnia in omnibus. Hoc tam inſigne & ad-

& admirabile facinus tamdiu durabit, quam diu salus humani generis non perficietur. Hac perfecta, Christi regnum quale nunc habet, cessabit, Deus enim unus, qui olim erat omnia in omnibus, antequam Christo omne judicium dedisset, iterum erit omnia in omnibus. *Et in exam. error. n. 25. fol. 12.* Christus Dei Vicarius eo modo est, quo Vicarius Sigismundi Regis rex Augustus dici potuit. *Volckel. lib. 3. de Vera Relig. cap. 28. fol. 123.* Christus ipsius Dei vices in regno haud aliter in gubernando fidelium genere, gerit, ac olim Josephus Pharaonis loco omnia procurabat.

70. Regni Christi nobis in statum gloriæ susceptis finis erit.

Smalz. ad lib. Smigl. nova monst. Arrian. Respons. ad part. 2. cap. 14. fol. 138. Nullum locum Smiglecius afferre potuit ex universa Scriptura, qui aliquid de Christi regno, quod gloriæ regnum in beatis appellat, quodque post finem mundi duraturum sit testetur. *Et in Exam. Error. num. 22. fol. 14.* Facile fieri potest, ut Christus in æternum omnium aliarum rerum, quæ tunc extituræ sunt, absolutam haberet potestatem: at respectu fidelium nullo modo id fieri posse, vel hinc constat, quod Deus Pater non esset omnia in omnibus, quod tamen futurum & Paulus testatur, & perfectio salutis nostræ requirit. *Volckel. lib. 3. de Vera Relig. cap. 36. fol. 143.* Quando omnia, quibus salutis nostræ continetur ratio, ad exitum perducentur, tunc & Christi regnum, in quo illorum perficiendorum causa collocatus erat, suo termino concludetur. Illud autem tunc futurum est, cum Diabolo, morte, omnibusque nobis adversantibus seculi hujus principibus prostratis, fusis atque deletis in sempiternam nos vitam deduxerit, quapropter merito Christus regnum suum patri tunc tradet, ut Deus sit omnia in omnibus h. est. ipsemet omnia disponat, ac gubernet, nec per alium, ut hactenus, sed per ipsum omnes regat. *Ostorod. cap. 41. pag. 401.* Zum Uberfluß wollen wir diß noch zum Beschluß hinzuthun/ daß wir/ wo Christi Reich kein Ende haben wird/ dessen/ was uns GOtt durch Christum verheissen/ nicht können theilhafftig werden.

71. *Exinanitio Christi in hoc consistit, quod forma Dei, nempe majestate & potentia deposita, capi se, vinciri, cædi & occidi passus fuerit.*

Catech. Racov. cap. 1. de Pers. Christi ad quæst. 57. Quomodo Christus se exinaniverit? *Respondet:* Ad eum modum quod Christus, qui in mundo instar Dei opera Dei efficiebat, cui sicut Deo omnia parebant, & cui divina adoratio exhibebatur, ita volente Deo, & hominum salute exigente, factus sit tanquam servus & mancipium, & tanquam unus ex aliis vulgaribus hominibus, cum ultro se capi, vinciri, cædi & occidi permiserit. *Smalz. de Verbi incarn. nat. cap. 19. f. 108.* Humiliationem describit Apostolus, quod Christus, licet esset tanta potestate & sublimitate præditus, ut omnibus rebus terrestribus & dæmonibus imperare posset, & passim ab hominibus divino honore coleretur, tamen ita se demiserit, ut quodammodo se ipsum exinanierit, & instar mancipii tractari se se permiserit, vulgaribus hominibus accensitus. *Schligting. ad Philipp. 2. v. 6. Tom. 2. opp. fol. 201.* In forma Dei erat cum divina opera & miracula solo jussu & nutu suo ederet. *Schmalz. Verissim. contr. Franz. Disp. III. pag. 69.* Ea talia esse dicimus, quæ certo tempore sponte sua susceperit, qui ex virgine natus fuerat, qui non antea, quam nasceretur, in Dei forma & Deo æqualis fuit: sed postquam natus, & mira illa sapientia & potentia donatus fuit, qua omnia occultissima novit, & qua tunc, cum interris mortalis degeret, omnibus vere rebus creatis imperavit, quæque ita in eo residebat, ut eam cum aliis etiam communicare posset; ob quam de[illegible]no honore ab hominibus passim afficiebatur, quique rursus se ipsum exinanivit, formam servi sumsit in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo exinanivit se ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, non tunc cum conceptus & natus fuit, sed tunc cum semet ipsum capiendum, ligandum, cædendum, conspuendum & crucifigendum tradidit.

72. *Christus non resurrexit virtute propria.*

Socin. Defens. Animadv. in Assert. primi colloq. Posnan. contra Eutrop. cap. 4. part. 3. fol. 151. Tom. 2. oper. fol. 656. Ereptus est Christus ex statu reliquorum mortuorum. A quo vero? Num à semet ipso? Quid, rogamus, absurdius aut Scripturæ magis dissentaneum? *Catech. Racov. cap. 12. de off. Christi regio quæst. 4.* Falluntur vehementer, cum

Ooo ooo ajunt,

ajunt, Christum seipsum à mortuis excitasse. *Smalz. ad nova monstra Smigl. part. 3. cap 21. fol. 190.* Fabula est Christum aliquam virtutem in resurrectione declarasse. *Ibid. in margine.* Christus non propria virtute resurrexit. *Schlichting. Comm. ad Rom. 1. v. 4. Tom. 1. oper. fol. 157.* Christus dicitur resurrexisse, non quod sua virtute id fecerit, sed quod Dei virtute effectum sit ut resurgeret. *Volckelius lib. 3. de Vera Relig. cap. 19. pag. 102.* Ex quo fit, ut Christum, qui in eodem (sc. mortuorum) statu fuit, non nisi à Deo, qui pater ipsius est, in vitam revocatum esse, firmiter credendum sit.

73. Post resurrectionem non statim corpus Christi immortale fuit: sed tum demum cum vitam gloriosam intraret.

Socin. de statu primi hominis contra Puccium cap. 8. fol. 237. Non est Christus Jesus, quamvis ut non amplius moreretur à mortuis excitatus, immortalitatem & gloriam sui corporis adeptus, nisi cum in cœlum translatus est: ubi sedes est corporum immortalium & gloriosorum, quæ sub hoc cœlo, ubi omnia ad interitum rapiuntur, degere non convenit. *Catech. Racov. cap. 12 de Offic. Christi Reg. quæst. 10.* Christus in eo prorsus corpore fuit excitatus, in quo crucifixus fuit: quippe cum legamus eum commedisse atque bibisse post resurrectionem, cum discipulis suis conversatum fuisse, & vulnerum vestigia in manibus, pedibus & latere iisdem ostendisse. *Volckel. lib. 3. de Ver. Relig. cap. 19 f. 103.* Ne de Christi corpore dubitatio injiceretur, & sic is non ipse, qui sepultus fuerat, resurrexisse putaretur, Deus hanc ipsam ob causam, non simul ac resurrexit, in divino glorioseque illo statu eum collocavit & immortali spiritualique corpore donavit. *Et fol. 106.* Quoniam Jesus Christus, quamdiu in terris fuit, corpus habuit nondum gloriosum, sed illud idem in quo crucifixus fuerat, ideo necesse fuit, eum in cœlos ascendere, & ita per istam ascensionem gloriosum illud corpus consequi.

74. De Christo invocando nisi in his, quæ ad Ecclesiam spectant, nullum in Scriptura mandatum reperitur.

Socin. Refut. Thes. Fr. David. Tom. 2. Oper. fol. 715. Non extat præceptum

ceptum de invocando Christo, ut videtur, extare, de illo adorando, deque illi confidendo. *Et vicissim:* Deus in omnibus, Christus vero in illis tantum, quæ Ecclesiam concernunt, invocari potest. Christum non in omnibus invocare possumus, sed in iis tantum, quorum largiendi potestatem à Deo adeptus est. *Smalz. Refut. Cent. error. fol. 31.* Nemini Deus ante mortem Christi præcepit, ut eum adoraret. *Et vicissim:* Negant quenquam ante mortem Christi, in nomine ejus genua flectere, divino præcepto obligatum fuisse. *Volckel. lib. 5. de Vera Relig. cap. 30. fol. 614.* Facile concedimus, nullum de precibus ad Christum nominatim dirigendis, quo simpliciter atque absolute ad id faciendum obstringamur, præceptum extare.

75. *Colendus tamen; sed non pari cum patre honore.*

Smalz. Exam. Cent. error. 75. fol. 31. Christus non est summus Deus, ergo pari absolute cum Deo summo honore coli non potest. Par tamen est suo modo, quia ejusdem generis cultus debetur Christo, qui Deo. *Wolzogen. Comm. ad Johan. 5. v. 23. Tom. 1. oper. fol. 781.* Cultus qui Christo competit, suos habet limites graduque quodam minor ac inferior est, quam est cultus patris. Pater enim colendus est, tanquam causa prima & auctor nostræ salutis: Christus autem tanquam mediator, sive media causa. *Ostorod. part. 2. contr. Tradel. cap. 8. fol. 156.* Ob wir wol bekennen/ daß GOtt Christum über die massen erhöhet/ und ihm also seine Ehre mitgetheilet/ so erkennen und bekennen wir doch auch/ daß GOtt die Ehre/ welche seine eigene Ehre ist/ und die niemand anderst kan zugeschrieben noch mitgetheilet werden/ Christo nicht gegeben habe/ nemlich/ daß er alles Heils oder Seligkeit und aller Güter Brunn und erste Ursach sey: Sintemal er ihm allein diese Ehre gantz und gar vorbehalten hat.

V.

DE HOMINE RESTITUTO.

76. *Habet adhuc homo in Spiritualibus liberum arbitrium.*

Socin. lib. quod regni Polon. cap. 2. fol. 15. Dogma Evangelicorum, hominis arbitrium in iis quæ ad æternam salutem pertinent, nullam

prorsus libertatem habere, ejusmodi est, ut ipsum per se omnem religionem ac pietatem pessundare possit. *Smalz. contr. Franz. Disp. 8. fol. 417.* Arbitrium in homine liberum est. Nam eo ante lapsum praeditus fuit, & id per lapsum non amisit, id est, voluntas praestandi Dei voluntatem in hominibus naturaliter inest plerumque: Vires autem valde sunt exiguae, ad praestandam eam, non ob primi parentis peccatum, aut corruptionem propter illud in nos transfusam, sed ob depravationem hominum voluntariam. *Catech. Racov. cap. 10. de Offic. Christi. Prophet.* Ist aber das in unser Macht / daß man GOTT also gehorsam sey ? Ja. *Ostorod. Inst. Germ. cap. 34. fol. 281. in med.* Wir haltens dafür / daß fast alle Menschen von Natur / GOttes Gebot zu halten / wenig Kräffte haben. Den Willen aber / dieselbe zu halten / kan ein ieglicher haben aus seiner eignen Natur: Ja / wo jemand denselben nicht hat / kommt solches her aus Gewohnheit der Sünden / welche ihn dahin gebracht / daß er nicht allein sündiget / sondern auch Lust an der Ungerechtigkeit hat / und derhalben keinen Willen / GOTTes Gebot zu halten.

77. *Homo enim non renatus utique bona opera facere potest.*

Smalz. Disp. 6. de B. Oper. contr. Franz. pag. 167. Certum est hominem etiam non renatum, posse natura & ratione duce bona opera praestare, licet non ita perfecte, quemadmodum is, qui renatus est, nec ita perfecta nec Deo etiam ita accepta, quemadmodum ea sunt, quae quivis Christi amore facit. *Vicissim:* Tam bona arbor dici potest homo non renatus, qui virtutis est studiosus, quam renatus, qui amore Dei virtuti dat operam, licet alius alio magis proprie, ut oves Christi & populus Christi tam ii appellantur, qui extra Christum sunt animi probitate praediti, quam qui in Christum credunt, licet hi magis proprie quam illi. *Et pag. 174.* Hic detegenda est ambiguitas, quae latet in vocibus bonorum operum. Nam aut simpliciter per ea virtutes intelliguntur, quando vitia vitantur, vel comparate eae actiones intelliguntur rectae, quas Christus nobis praecepit. Hoc posteriori sensu dici potest, Ethnicos non habuisse bona opera: nesciverunt enim multa, quae Dominus Jesus praecepit, nec ita perfecte virtutibus studere poterant plerique, quemadmodum possunt Christiani: sensu priori negari nullo modo potest, bona opera etiam habuisse Ethnicos.

Quic-

Quicquid enim fit secundum rationis, quam vocant, superioris di-ctamen, id omne virtutis atque adeo boni operis nomen meretur.

78. Atque tum naturalis tum acquisita probitas conversionem precedat necesse est.

Catech. Racov. cap. 6. de promiss. Spir. S. quaest. 5. Quinam ad credendum Evangelio sunt apti? Qui vel animi probitate præditi sunt, vel ab ea non alieni. *Smalz. contr. Franz. Disp. 8. f. 421.* Certum autem est, Spiritum S. nihil operari in eo, qui sese aptum, & obsequentem non præbet. Unde constat, hominis voluntatem liberam, licet non sit causa conversionis prima & potissima, tamen talem causam esse, sine qua nulla unquam futura sit conversio. *Volckel. lib. 4. de Vera Relig. cap. 1. pag. 167. fin.* Et quo fit, ut quæ Christus de officio nostro præcepta tradidit, ea omnia examinanda, suisque momentis ponderanda hoc loco nobis sint. Qua quidem re haud satis recte persungemur, nisi illud in mentibus nostris hæreat, sine quo nihil quicquam nobis prosunt omnia, quæ à Deo salutis humanæ constituendæ causa per Christum facta dictaque sunt. Nihil autem id aliud est, quam animus in virtutem pronus. *Et pag. 168.* Est autem probitas ista nihil aliud, quam recte agendi studium, à recte rationis judicio profectum. Intelligendum quippe est, Deum probitatis hujus in ipsa hominis natura fundamenta jecisse, cui insevit, rationem, voluntatem & appetitum: inter quæ voluntas media eaque libera existens, jam ad rationem se se applicat, & sic nascitur probitas ista, quam oratione persequimur; jam appetitui obtemperat, & hinc improbitas emergit, ut facile appareat, in hominis potestate positum esse, vel probitatem colere, vel improbitatem consectari. *Vicissim. pag. 169.* Naturalis illa animi probitas vocari potest, qua hominis voluntas, quantumvis libera, naturali quadam inductione magis ad virtutis, quam vitii studium propendet. *Iterum:* Jam acquisita probitas est, qua fit, ut hominis voluntas, etiamsi forte naturaliter ad flagitia sit propensa, assuetudine tamen quadam ad virtutis studium traducatur. Qua quidem in re magnam vim habet præclara educatio, & cum illis, qui in sanctimoniæ studio versantur, arctissimum familiaritatis vinculum, ex quo pietatis exercitium magnaque recte agendi cupiditas emergere solet. *Et post pauca:* Ex quo consequitur, postquam Evangelica doctrina homini innotuit, omnem vim vel officii præstandi, vel divini

imperii contumaciter respuendi, in animi probitate aut pravitate constitutam esse.

79. *Unde & seipse ad conversionem disponere & vires suas ad illam impendere valet.*

Smalc. contra Franz. Disp. cit. in fin. pag. 452. Plane enim statuimus, non tantum initium conversionis, verum etiam ejusdem incrementum & perfectionem Deo tribuenda esse. Sed ita tamen, ut hominis voluntas ad ipsum conversionis effectum producendum prorsus requiratur. Deus & Spiritus ejus causa sunt efficiens principalis: at hominis voluntas causa est administra, sine qua Deus nihil producit ordinarie. *Catech. Racov. cap. 6. de promiss. Spirit. S. quæst. 11. fol. 244.* Nonne ad credendum Evangelio Spiritus S. interiori dono opus est? Nullo modo, neque enim in Scripturis Sacris legimus cuiquam id conferri donum, quam credenti. *Schlichting. contr. Meis. de Serv. arbitrio fol. 73.* Nihil detrahimus divinæ gratiæ, cum homini liberum arbitrium in sui ipsius ad Deum conversione conceditur. *Et pag. 88.* Hominem generatim loquendo audito & intellecto Dei verbo, sine ulla alia, ne dum sola, speciali Spiritus Sancti operatione, posse se ipsa ad Deum convertere, & illius verbo firmiter credere. *pag. 60. praced.* Verum si intellectus vel per Spiritum Sanctum, vel per Dei verbum illuminetur, tum statim homo arbitrio suo vel uti, vel abuti potest, id est, vel credere vel non credere.

80. *Ope itaque Spiritus S. haud aliter ad hanc rem opus est, quam Verbo, quod ipse Spiritus S. est.*

Socin. de Justif. pag. 26. At vero si Spiritus Sancti nomine, quælibet divina virtus, quæ nos ad salutem nostram, ut sic dixerim, afflet, nobisque aspiret, intelligatur, haud verum censeri debet, nos credere, ante acceptum Spiritum Sanctum. Quandoquidem, nisi Deus prior Evangelium suum nobis patefaciat, & ita hac salutari vi sua nos præveniat, nobisque aspiret, non generabitur in nobis fides. Sæpissime autem in Sacris literis Spiritus Sancti nomine, divinam istam vim, quæ Evangelii patefactione continetur, & omnibus, quibus Evangelium patefecit, exhibetur, intelligi invenies. Quo factum est, ut vulgo creditum sit, fidem non dari, nisi Spiritus ille sanctus præcedat, quem non omnibus, quibus Evangelium patefecit, dat Deus,

sed

sed ipsis tantum credentibus. *Et pag. 27.* Non est, ut ante indicavimus, Spiritus Sanctus, qui necessario requiritur ad vim & efficaciam verbo Dei conciliandam, quippiam diversum ab ipso verbo: imo verbum ipsum recte annunciatum, est virtus divina ad salutem. *Smalz. in Resp. ad nova Monst. cap. 20. fol. 166.* Id quod Deus in homines infundit, est Spiritus illius Sanctus, sed per hunc generatio spiritualis non efficitur. Nam is non nisi iis, qui jam per annunciationem & receptionem Evangelii revera regenerati sunt, promissus est, & datur. *Et contra Franz. Disp. 12. pag. 441.* Spiritus Sancti voce dicimus tum ipsum Evangelium, tum promissum ejusdem singularissimum appellari. Ergo sine Spiritu Sancto, in priore significatione accepto, negamus, hominem credere & obedire posse Deo. Hunc autem in posteriore significatione adeptum, iis, qui jam assensi sunt & obediunt, dari credimus.

81. *Revelatio enim verbi & promissa in eo, præcipua ad conversionem auxilia sunt.*

Smalz. contr. Franz. Disp. 8. pag. 421. Rursus eundem errorem iterat Franzius & seipsum denuo intricat, dum ait, τὸ velle vera bona pertinentia ad æternam salutem consequendam, penitus interiisse, & hoc ita explicat: in hoc velle liberum hominis esse omnino servum, quia scilicet homo nec in mente viam salutis concipere, nec in voluntate ad sectandam illam se se disponere possit. Hoc enim totum tamdiu tantum verum est, quamdiu, ut supra diximus, non accedit revelatio Dei, quæ Spiritus illius est. Hac accedente in homine, jam ita ad voluntatem Dei amplectendam & faciendam aptus est, ut antea erat ad alia opera bona, quæ externa Franzius appellat; & per istam revelationem vel per Spiritum Sanctum, ut loquitur Franzius, non potestas vel facultas volendi in homine excitatur, sed occasio ei datur id volendi, quod antea velle, quia revelatum non erat, non poterat. *Catech. Racov. cap. 10. de Prophet. Christi mun. quæst. 7. & seq.* Exterius sunt promissa & minæ, quorum tamen promissa vim habent longe majorem. Interius, cum Deus in cordibus eorum, qui ipsi obediunt quod promisit, obsignat. *Ostorod. cap 34. pag. 282. & seq.* Weiter ist dieselbe Göttliche Hülffe zweyerley: Die eine inwendig / die andere auswendig Die auswendige sind entweder die Verheissungen irgends eines guten Dinges zu dem Gesetz gethan / durch welches Begierde und Hoffnung

nung die Menschen alle Schwerigkeit des Gesetzes zu überwinden / bewogen werden: Oder Dreuungen eines Unglückes / um welches willen die Menschen sich hüten / GOttes Gesetz zu übertreten. Wir werden aber viel ehe durch die Verheissungen / deñ durch die Dreuungen / etwas zu thun bewogen. Derhalben / weil unterm Neuen Testament viel bessere Verheissungen sind / den unter denn alten waren / ist es viel leichter unter dem Neuen / denn unter dem Alten Testament / GOttes Gesetz gehorsam seyn. Die inwendige Hülff aber ist zweyerley: Die eine / wenn GOtt das / welches er denen / die ihm gehorsam sind / verheissen hat / auch zum theil in ihre Hertzen einschreibet: Die andere / wenn es des Menschen Gemüth erleuchtet / seinen Willen recht zu verstehen / welcher in dem euserlichen Wort um vieler Ursachen willen / welche in des Menschen Leben sich begeben / ausdrücklich nicht kan verfasset seyn. Von dieser letzten sollen alle die Oerter verstanden werden / in welchen David bittet / daß ihn GOtt seinen Willen lernen wolle: Als Psalm. 143 v. 8 10. und Ps. 119. Von der ersten aber / die Oerter / in welchen des Heiligen Geistes gedacht wird / welchen GOtt / wie ein Pfand und Versicherung eines zukommenden grossen Guts / verleibet / als 2. Cor. 1. v. 22. und c. 5. v 5. und Eph. 1. v 13. 14. Von diesen beyden innerlichen Hülffen / gehöret die erste eigentlich ins Neue Testament / die andere aber ins Alte. Sintemal / gleichwie im Neuen Testament wahrhafftige Güter verheissen sind / also ist im Alten der Wille GOttes / was die guten Wercke betrifft / nicht so erkläret / wie in dem Neuen. Aus dem aber / was bißher gesagt / kan man sehen / daß die auswendige Hülffe die wahrhafftige Hülffe sey: Sintemal die inwendige anders nicht ist / denn nur eine Erinnerung und Versiegelung der eusserlichen Hülff: Sonderlich aber / weil niemand die innerliche wiederfähret / wo er die eusserliche nicht schon zuvor hat. Denn niemand wird die Versicherung derselben Verheissungen in seinen Hertzen durch den Heiligen Geist empfangen / wo er das eusserliche Wort GOttes hörend / seinen Verheissungen nicht glaubet.

82. Regeneratio autem mentis & actionum ejus mutationem atque reformationem, novam adeoque obedientiam includit.

Smalz. contr. Franz. pag. 352. Dicimus, omitti in hac descriptione id, quod forma est pœnitentiæ, μετάνοια enim est mutatio animi vel mentis.

mentis. Ubicunque igitur illa vel non eſt, vel ſaltem decretum ejus & conatus firmiſſimus, ibi quidvis aliud eſt, quam vera pœnitentia. Nunquam id, quod quis ſemel fecit, facere, ſumma eſt pœnitentia: Conari vero, ne id iterum committatur, quod ſemel commiſſum eſt, vel ſaltem ne data opera committatur, vera eſt pœnitentia. *pag. 356.* Abſit, ut hæc argumentatio vel ratiuncula Franzii, tantum ponderis habeat, ut efficere poſſit novam obedientiam, vel obedientiam ſimpliciter, non eſſe eſſentialem partem pœnitentiæ. Hæc enim (ut ſic loquar) ſola vere eſt eſſentia pœnitentiæ, cum, ut antea dictum fuit, μετάνοια in mutatione mentis & actionum ex ea promanantium reipſa conſiſtat. *Et pag. 456.* Pœnitentia enim (ut etiam vox Græca μετάνοια indicat) eſt integra hominis reformatio, qua eos qui animum ſemper retinent integrum, non egere res ipſa loquitur. *Schlichting. contra Merſ. fol. 199. ſeq.* Regeneratio eſt opus longe difficilius, ad quod diuturna pugna atque lucta cum carne ejusque concupiſcentiis requiritur, antequam animus immutetur & novus homo fiat, qui ſecundum Deum creatus eſt in verâ ſanctitate & juſtitia. *Volckel. lib. 3. cap. 12. fol. 73.* Regenerationis nomine animorum & actionum noſtrarum mutatio frequentius ſignificatur. *Et lib. 4. cap. 4. pag. 186.* Hæc autem à Græcis μετάνοια, id eſt, mentis mutatio dicitur, ut facile appareat, cum ex mente humana omnes actiones profluant, pœnitentiam totius vitæ converſione quadam generali contineri, qua fit ut homo, ſi ad ipſius mores actionesque habeatur reſpectus, alius atque antea fuit, merito cenſeatur. Hinc colligitur ad veram pœnitentiam conſtituendam, nequaquam ſatis eſſe lachrymis triſtitiæque ſeſe dedere, peccatorum confeſſionem edere, eorum denique condonationem ſperare, ut multi exiſtimant, niſi univerſum vitæ ſtatum ita commutes, ut omni impuritate propulſata totum te ad juſtitiæ cultum accommodes.

83. Non ergo fides ad pœnitentiam pertinet, neque imputata nobis Chriſti juſtitia juſtos coram Deo nos reddit.

Smalz. contra Franz. p. 354. Jam ante dictum eſt, quod ſc. ad naturam pœnitentiæ non pertineat fides, ſed conſequens ejus ſit quod ex divina benignitate accedit. *Etenim pag. præced. ſcripſerat:* Hæc applicatio (*ſc. meriti Chriſti per fidem,*) hæc ſpes miſericordiæ Dei ſeu re-

 miſſionis

missionis peccatorum consequens potius quoddam sunt pœnitentiæ ex novo fœdere dependens, quam ut ipsam pœnitentiam quoquo modo constituat. *Socin. de Servat. part 4. c. 2.* Nullo pacto, ut recte dictum, sustineri posse Christi satisfactionem nobis imputari. *cap. 4.* Christi justitiam nobis imputari merum commentum esse. *cap. 8. pag. 267.* Nec aliam præterea imputationem in salute nostra æterna intervenire cognoscendum, quam pro justis haberi à Deo, quicunque ex Christi præscripto ipsi ex animo obedierint. *Et in prælect. cap. 15.* Quærimus igitur, utrum in justificatione nostra per Christum peccata nostra compensatione seu satisfactione æqua deleantur; an vero remissione & condonatione? Plerique satisfactione interveniente id fieri arbitrantur: non vero simplici condonatione. Nam quod satisfactionem cum remissione in ea re conjunctam fuisse asserunt plane nugatorium est. *Et cap. 3.* Sed finge, non pugnare hæc inter se, quid alioqui absurdius excogitari potest, quam alicui beneficium dari, si credat, sibi beneficium datum fuisse? Nam si beneficium datum est, quid opus est, ad ipsum beneficium consequendum, credi datum fuisse.

84. *Imo ipsa fides obedientia est, mandatis Christi præstita.*

Socin. de Servat. part. 3. cap. 2. In Christum credere, nihil aliud esse, quam Deo ad ipsius Christi normam & præscriptum obedientem se præbere, idque faciendo ab ipso Christo vitæ sempiternæ coronam expectare. *Part. 4. cap. 9.* Ex quibus verissimum id esse liquet, quod jam dudum contendimus, Christi fidem quæ per se, quod ad ea attinet, quæ in nobis sunt, nos justificat, seu, ut rectius loquar, qua ipsa per se Deus nos justificat, confidentiam in ipso Christo esse, id est, cum firma spe ea consequendi, quæ ipse sibi obedientibus promisit, Christi præceptorum obedientia. *Et part. 4. cap. 11. pag 393.* Quamvis enim, ut supra docuimus, credere in aliquem proprie, illi confidere significet, adeo ut in eum quoque, qui nihil affirmet, credi possit; tamen cum ad eum qui aliquid affirmat, refertur, tunc non ipsam confidentiam tantum, sed assensum quoque affirmatæ rei declarat; quemadmodum, quamvis eadem locutio obedientiam sua vi non significet; cum tamen ei accommodatur, qui aliquid præcipit, obedientiam quoque prorsus exprimit. Quapropter quamvis fides in Christum, id est, hæc locutio propria vi nihil aliud, quam confidentiam in Christo declaret, quæ citra

tra alicujus rei ab ipso affirmatæ assensum, citraque obedientiam aliquam, suapte natura, consistere potest; tamen cum Christus nonnulla præceperit & affirmaverit, firmus adhibetur assensus, & ejus præceptorum obedientia omnino comprehenditur: fide in Christum non simplex quædam, quæ in Christo collocetur, confidentia solum exprimitur. *In Synopsi de Justificat. pag. 8.* Ex hominum vero parte, requiritur resipiscentia, & Dei præceptorum in posterum obedientia, quæ illa fides est revera, quæ semper hominem Deo acceptum reddit, & redditura est. *Notis in Dialogum, de Justific. pag. 25.* Fides, qua justificamur, non est credere promissionibus divinis; sed est, ipsi Deo confidere: quod ut fiat, propterea sunt à Deo proposita promissa, quibus creditis necessario ipsi Deo confiditur. Et idcirco alicubi videtur, fidei isti, quod Dei promissa sunt vera, tribui, quod per eam justificemur: quæ fides, obedientiam præceptorum Dei, non quidem ut effectum suum, sed ut suam substantiam & formam continet atque complectitur. Meminisse enim debemus ejus, quod supra recte conclusum est: fidem, hanc scilicet, qua justificamur, Dei obedientiam esse. *Idem de fide & operibus fol. 134.* Fides est Christo confidere, & opera, id est, obedientia præceptorum Christi, quæ, ut dictum est, executio ac perfectio, & tanquam forma est ipsius fidei, coram Deo nos justificans. Nihil absurdi est in eo, quod istis operibus, non autem fidei illi, quæ ista antecedit, justificatio ista adscribatur. Non enim propterea negatur nos fide justificari, siquidem jam dictum est, & opera ista aliud reipsa nihil esse, quam fidem, id est, fiduciam, consequenter opera ipsa justificant, quatenus executio, perfectio, forma fidei. *Smalz. Disp. 7. de Bon. operib. pag. 219.* Fides, ut antea etiam docuimus, differt ab obedientia, ratione tantum, quatenus mens nostra concipere potest aliud esse, Deo promittenti aliquem confidere, & aliud, ejusdem voluntatem facere: sed reipsa distingui ista non possunt. Quia enim Deus nemini quicquam promittit simpliciter, sed cum hac conditione, si ei obtemperemus, fieri non potest, ut is Deo confidere dici possit, qui ei obedire eo ipso momento, quo ei confidere incipit, non proponat sibi, & deinde, data Deo obediendi occasione, non obediat. *Et. Disp. 12. pag 450.* Quemadmodum anima non est secundarium hominis, sed essentiale & formale: ita opera vel pietas Christiana ipsa sunt fidei Christianæ forma & essentia. Ratione quidem aliqua distingui potest, fiducia in Deo per Christum collocata, à vera pietate & obedientia; sed reipsa

nullo modo. Nam quamdiu deest ipsa pietas & obedientia, tamdiu fides illa nondum habet sui experimentum aut complementum, sed adhuc imperfectum est prorsus aliquid. *Catech. Racov. cap. 9. de fide pag. 281.* Fides in Christum comprehendit duo. Unum, ne solo Deo, sed etiam Domino Jesu Christo confidamus. Alterum, ut Deo obediamus, non tantum in eo, quod in lege sua nobis præcepit, & per Christum non est abolitum, sed & in omnibus iis quæ Christus legi addidit.

85. Bona opera itaque maxime necessaria sunt ad justificationem & salutem & quidem ut causa sine qua non.

Socin. de fide & operib. pag. 60. Illud certissimum est, non omnia bona opera post justificationem esse, & tanquam ejus appendicem, censenda. Quin potius bona opera, quatenus ipsa complementum sunt, & quasi forma fiduciæ, nec reipsa aliud censeri debent, quam ipsa in Deum fides, ea sunt, quibus per Dei gratiam justificamur. Quod autem bona opera non modo appendix quædam justificationis non sint, sed ipsa sint ante justificationem, hinc apparet, quod justificatio nostra nihil aliud reipsa est, quam peccatorum deletio. Peccatorum autem deletionem antecedit pœnitentia, & ad Deum conversio. *Actor. 3. v. 11. 12.* Sequuntur etiam bona opera justificationem nostram, sed non ut ipsius appendix quædam. Immo ipsa sunt quæ conservant justificationem, atque ut continuetur efficiunt *Smalz. Disp. 2. de Pœnit. contra Franz. pag. 356.* Absurditas igitur Franzio est, quod ipsissima Evangelica veritas, & ejus præcipua pars censeri debet: Bona opera esse necessaria ad salutem. Unus ille locus pro multis esse debet: sectamini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum. Unica item illa consequentia, quod vita æterna tam merces quam præmium appelletur, pro mille valere debet. *Et pag. 357.* Hoccine est pietatis inter Christianos curam & rationem habere? vel non potius eam, quantum in nobis est, exsibilare, & ex animis hominum funditus extirpare? Quis enim illud facere annitatur, quod ad salutem æternam non sit necessarium, præsertim si sit admodum difficile, ut est pietatis studium? Eat nunc Franzius cum sua indignatione, quam erga eos concepit, qui impie vivunt: Nos vero tamdiu, si non omnis impietatis defensorem,

forem, saltem frigidum pietatis doctorem eum reputabimus, & reputandum esse dicemus, quamdiu dicet, bona opera ad salutem necessaria non esse. *Idem Disp. 2. de Pœnit. pag. 362.* Qua fronte ausus est dicere Franzius, nos nihil nisi bona opera tanquam media consequendæ salutis æternæ, requirere? Nam primum & principaliter, ad salutem consequendam, contendimus requiri Dei gratiam & misericordiam: Opera vero bona nos requiri contendimus ad salutem, tanquam caussam sine qua non. *Vicissim. Disp. 4. de Justif. pag. 105.* Regeneratio porro seu renovatio & reliqua bona opera tantum abest, ut sint effecta justificationis, ut absque illis justificatio nullo modo reipsa existere possit. Neminem enim Deus justificat, nisi omnibus illis virtutibus ornatissimum. Offertur quidem justificatio hominibus etiam absque his operibus: sed reipsa justificatio nostri nulla esse potest sine his operibus.

86. *Atque in hoc studio ita proficere possunt renati, ut non, sicuti protestantes, fide tantum innixi in conatibus subsistant, efficax vero pietatis studium negligant.*

Schlichting. contr. Meisner. pag. 10. Nuda tantum fide & persuasione de gratia per Christi meritum parta, contenti sunt. *pag. 11.* Evangelium autem nuda fide contentum sit. *pag. 12.* Nec enim Evangelium nuda fide contentum est, sed per charitatem efficaci, sed viva, seu tali, quæ bonis operibus sit animata. *Et pag. 14.* Huic doctrinæ tantum credere, etiamsi pœnitentiam non agas, peccata non relinquas, novum hominem non induas, an ad salutem sufficit? Imo vero si contingeret, hominem huic doctrinæ vere & ex animo credere, nec tamen, renovari, & vitam emendare, ac secundum Christi præcepta instituere, hæc fides hominem merito damnaverit, quod propter tanta promissa, quæ verissima esse credidit, peccatis valedicere noluerit. *Socin. in lib. quod Evangelici pag. 17. calumniatur*, Lutheranos docere, nihil esse opus, ut homo Christianus studeat se se è servitute peccati eximere, & eum jam regeneratum atque justificatum esse, qui velit bene agere, licet interim revera male agat. *Et pag. 18.* Satanam per Lutheranam de justificatione sententiam effecisse, ut credatur, nihil esse opus ut quisquam vitæ sanctimonia præditus esse curet. *part. 4. de Serv. c. 11. p. 401.*

Mirum eſt autem, theologos veſtros omnino velle, propterea quod Chriſtum morte ſua peccata noſtra deleviſſe, credamus, vos juſtos coram Deo conſtitui: & interim, ut id obedientia, quam ex Chriſti præſcripto Deo præſtemus, fieri poſſit, dicere penitus horrere. Quaſi vero major dignitas in iſta fide, quam in hac obedientia reperiatur. *Smalz. Diſp. de Hypocr. contra Franz. pag. 288.* Deinde notandum eſt, id, quod mali ſint in Eccleſia, non ideo fieri, quia aliter eſſe nequeat, quod tantum non affirmare videtur Franzius, ſed hominum culpa, qui, cum ab omni peccatorum habitu ſeſe extricare, & liberi eſſe, adeoque ad perfectionem perpetuo ſummis viribus anniti teneantur, in errores varios inducti à ſuis doctoribus, fusque deque habent verum pietatis ſtudium, & levi quodam tantum Deo ſerviendi & pie vivendi conatu & propoſito contenti ſunt, & ita indies ſemet ipſis deteriores evadunt. *pag. 291.* Nimis habenas peccantibus relaxant, tum ea affirmant, quæ ſequuntur: 1. Quod renati, licet ſpiritu carnis facta occidant, tamen interdum labantur &c. *theſ. 102.* Hoc enim ita pronunciatum videtur ſtatuere, aliter fieri non poſſe, quam ut renati omnes interdum labantur vel peccent &c. *Dum 2.* dicunt renatos profiteri ſe adhuc eſſe peccatores &c. 3. Quod Spiritus S. obedientiam in renatis inchoaverit tantum &c. 4. Quod plerique omnes ſanctiſſimi Viri gravibus & aliis ſæpe repetitis vitiis deliquerint &c. 5. Quod ſatis ſit ad fidelem vel renatum conſtituendum, ſi peccatum agnoſcat & deploret &c. *Et pag. 293.* Videat igitur Franzius & cordatus Lector, an non hæc omnia & ſingula ſint feneſtræ apertio, ad omnem, ſi non impietatem, ſaltem ſecuritatem, hominibus, qui ſemper ad vitia ſunt procliviores, quam ad virtutes. *Denique pag. 307.* Firmum manet, multa eorum, quæ hactenus de peccatis docuit Franzius, cauſam eſſe, cur omnes anguli mundi ſcateant Hypocritis & aliis malis.

87. Sed utut infirmitatibus adhuc obnoxii, quin graviter aliquando peccent: habitum tamen non contrahant & peccandi ea conſuetudine implicentur, ut peccatores dici queant.

Socin. in prælect. cap. 26. pag. 167. Siquidem certum eſt, eum, qui particeps ſit ſacrificii Jeſu Chriſti, à gravioribus peccatis omnino abſtinere, ita videlicet, ut neque illius pravitatis ne mediocrem quidem

ſive imperfectum habitum habeat, ne ſcelus aliquod inſigne ſciens prudens perpetret: à levioribus autem non item, cum fieri poſſit, ut ejusmodi homo leviori cuipiam fragilitati aliqua ex parte adhuc ſit obnoxius, & per ignorantiam aut incogitantiam, in gravius aliquod crimen atque adeo ſcelus incurrat. *Lib. de offic. Chriſt. pag. 17.* Etiamſi in eo curſu nonnunquam, vel ignorantia, vel incogitantia, vel fragilitate ſua abrepti labantur, modo ne ullius peccati aſſuetudinem & habitum habeant. *Et de Juſtif. pag. 8.* Quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi nullum prorſus, ne leviſſimum quidem peccatum admittat; ſed non amplius illi ulla ex parte peccatum dominari, neque eum illius peccati habitum (ut loquuntur) habere. *Et viciſſim. pag. 10.* Cæterum ſi eveniat, ut ab hac obedientia deficiamus & in unum plurave peccata relabamur, in eisque permaneamus, juſtificati eſſe deſinimus. *Et in notis ad Dial. de Juſtif. pag. 29.* Nec tamen idcirco concludendum eſt ſimpliciter & abſolute, peccata poſt reſipiſcentiam una cum gratia conſiſtere non poſſe, ſed de iis peccatis tantum id affirmandum, quæ ex deliberata malitia fiant, vel quæ hominem irretitum tenent hactenus, ut habitum, ſive unius ſive plurium peccatorum habere merito dici poſſit, aut tam frequentia ſint, ut is non ſecundum Spiritum, ſed ſecundum carnem vivere, jure affirmari queat; & ab hujusmodi peccatis ea ſeparanda & diſtinguenda, quæ vel ex ignorantia & incogitantia committuntur, vel etiam & prudenter & ſcienter, nonnunquam etiam ex humana fragilitate, ſed ita ut lapſus eſſe, non autem cecidiſſe homo dicendus ſit, quippe qui ſtatim ſe ſe erexerit, & recto pede per præceptorum divinorum viam ire perrexerit. *At vero ait Smalz. Diſp. 12. contra Franz. p. 457.* Quicunque in aliquo peccato, licet non grandi, modo inter opera carnis numeretur, ut exempli cauſa ſunt ira, rixæ, invidia, commeſſationes, ebrietates, maledicentia, hæret; & licet non data opera contra conſcientiam, nec prompte aut ſtudioſe, nec ſemper, ſed vel per negligentiam aut incogitantiam, crebro tamen in illud vel plerumque, data ad id occaſione, incidit, & in eo perſeverat, is regeneratus dici nullo modo poteſt. *Et de Pœnit. contr. eundem. pag. 355.* Summa eſt patere aditum ad miſericordiam Dei, & ad pœnitentiam iis etiam, qui habitu peccati vel peccatorum ſunt implicati, ſi ſcilicet per id tempus quo ſunt in Chriſti eccleſia, nondum habitus peccatorum abjicere potuerint. Illi enim ex numero ſunt infirmorum, & his ſi reſipiſcant, ſpes ſupereſt firma remiſſionis peccatorum.

rum. Ubi tamen notandum est: si in habitu isto manserint, etiamsi, si resipuissent, servari potuerint, tamen eos in æternum perituros, nisi resipuerint, & huc locus pertinent, *1. Joh. 2. v. 1. 2. 11.* patere etiam illis aditum ad misericordiam Dei & pœnitentiam, qui, postquam semel se totos Deo dedicarunt, & omni peccatorum habitu liberi fuerunt, peccant quidem idque graviter, interim tamen habitu peccati illius non implicantur, & huc facere videtur locus, *Gal. 6. v. 1.* Habitus vero, ut hoc etiam addamus, ex eo cognoscitur, si quis crebro, data ad eam rem occasione, peccatum committat, quantumvis id doleat & deploret. Huic enim peccatum dominatur, hic secundum carnem ambulat, hic opera carnis facit, & quicunque tales sunt, regnum Dei possidere non possunt. *Socinus ergo lib. 4. de Servat. cap. 7. pag. 364.* Inter peccantem distinguit & peccatorem. Peccator ergo, & justificatus ex Pauli verbis opponuntur, & qui justificatus est, jam non est peccator; non quia nihil omnino peccet: sed quia peccatis amplius implicitus non est. Scita est enim distinctio illa inter peccantem & peccatorem. Qui interdum peccat, peccans quidem appellari potest: at peccator minime. Is enim peccator appellatur, non qui interdum, sed qui sæpius peccat. Non secus atque ebrius is quidem dicitur, qui nimio potu mentem aliquo modo alienatam habet, sed ebriosus non dicetur, nisi sæpe ebrius fieri consueverit. *Et Smalz. de divin. Christi, cap. 9. p. 43.* Certum enim procul dubio est, de fidelibus Christi ideo dici, quod non peccent, qui scilicet peccandi habitum non contrahant, hoc enim est peccare.

88. *Verum eo usque contendunt, ut lucta cum carne exsoluti jam quodammodo perfecti & imitatores Christi dici mereantur.*

Socin. in Epist. ad Rom. cap. 7. pag. 56. Primus & infimus renatorum gradus est eorum, qui sic se ipsos ad Christi præceptorum normam conformant, ut jure optimo dici possint non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulare, quamvis tanquam ii, qui nondum Christianarum virtutum habitus sunt adepti, non parum difficultatis adhuc atque laboris in bene agendo experiantur, carne nimirum nondum bene domita, & idcirco spiritui identidem repugnante &c. *Et mox:* Supra infimum istum renatorum gradum plures constitui possent;

Sed

Sed hic ejus meminisse satisfuerit, qui ad rem nostram, id est, ad ea quæ ad te scripta sunt, maxime pertinent. Sunt enim, ut ego quidem arbitror, inter Regeneratos qui habitus sunt adepti virtutum Christianarum, & idcirco tantum abest ut laborem aut difficultatem aliquam habeant in Christi præceptis servandis, ut potius bene agendo summam experiantur voluptatem. *Et pag.58.* In aliquibus ex Christi fidelibus in hac vita pugna illa inter carnem & spiritum cessat, jam plene spiritu dominante & carne cum ipso manus conferere non amplius audente. *Et in Prælect. cap.26. pag.169.* Quin etiam ibidem non istos tantum, sed eos etiam errare docuimus, qui perfectionem illam, quam Cathari necessariam esse dixerunt, nullo prorsus modo in hoc mundo ulli hominum contingere posse constantissime asseverant, hoc est, negant fieri posse, ut quisquam eo unquam perveniat in hac vita, ut nullum amplius peccatum admittat. *Smalz. Disp. 2. contra Franz. pag. 55. & seq.* Perfectam justitiam in hac vita non dari, falsissimum est, perfectio enim, ut id, quod res est, dicatur, duplex dici potest: altera absoluta, altera comparata. Absoluta est, quando quis ne unum peccati actum committit: Comparata est, quando quis nullius peccati habitu vel assuetudine implicatus est, sed plerumque id facit, quod Christi præcepta jubent. Ad illam aspirandum est: at hæc necessario possidenda. Et qui hanc possidet, is perfectus est, ex mente suarum literarum, est justus, quatenus Deus id, quod talis homo facit, pro perfectione accipit, & ipsum pro justo habet: & qui ad eam in hac vita non pervenit, de ejus salute nemo bene sperare potest aut debet. Quanquam in ea, quam diximus, comparate perfecta justitia, dantur alii etiam gradus, qui scilicet plus in se contineant, quam ne quis ullius peccati habitu sit implicatus, & tamen non sit absoluta illa perfectio. Potest enim aliquis secundum spiritum ambulare, sed ægre, sed* invitus quodammodo, reclamante perpetuo ipsius appetitu, utpote qui nondum prorsus superatus est: Et rursus potest aliquis secundum spiritum ambulare, hoc est, plerumque id facere, quod rectum est, libenti animo & absque magna lucta. Imo statuendum est, posse hominem, adjutum Dei Spiritu eo usque progredi, ut fere semper summa cum alacritate & jucunditate faciat Dei voluntatem. *Et pag. 61.* Primum semper id addimus, quod rem, quam affirmamus, probabilem esse, unicuique facile persuaderi potest, nempe hominem, Dei Spiritu adjutum, vel Dei auxilio suffultum, posse legi Dei perfecte obedire; Deinde in perfectione gradus

constituimus, ita ut non tantum is dici possit perfecte Deo obedire, qui nullum peccatum unquam committit, sed etiam is, qui nullius peccati habitu implicatus est, & plerumque Deo obedit. *Nec non Disp. 6. pag. 176.* Notandum hoc est, imprimis duplicem dari considerationem perfectionis in pietate. Altera est absolutissima, quando quis unquam ne semel quidem peccat; Altera est comparata, quando quis nullius peccati habitum contraxit, vel in nullo peccato unquam hæsit vel hæret: Prior perfectio, ut non est prorsus necessaria ad salutem, sic etiam ab hominibus non necessario, & absolute nunc sub N. F. exigitur, sed tantum exigitur ad eandem aspiratio, & perpetuus conatus ad eam quam proxime accedendi: Altera vero ut ad salutem necessaria est omnino, sic ab omnibus prorsus requiritur. Sunt autem rursus in hac utraque perfectione certi gradus. Nam quod ad posteriorem attinet, sunt, qui virtutis, ut plurimum sunt studiosi, quod est, habitum virtutis habere, sed ægre tamen, & non sine lucta, eaque magna: sunt qui minori cum lucta & molestia virtuti incumbunt, & opera bona exequuntur: sunt denique, qui absque omni lucta imo cum summa animi lætitia officium faciunt, & non tantum bonis operibus student, verum etiam iisdem delectantur. *Et pag. seqq. 177.* Etiamsi autem difficillimum sit propter carnis infirmitatem, ut homo ad istam perfectionem reipsa perveniat, non est tamen prorsus impossibile; & voluit Deus, ut ad eam tenderemus, primum ut appareret, quinam sint vere probi. Non potest enim homo probus quiescere unquam, sed seipso indies melior esse studet. *Crell. ergo in Eth. Christ. lib. 2. cap. 6.* tres illos gradus sic explicat, ut primus & infimus gradus sit eorum, qui ut plurimum quidem ea quæ divinis præceptis sunt consentanea præstant, à peccatis vero abstinent; verumtamen non sine gravi lucta & difficultate, propterea quod, licet spiritus in iis carne & appetitu sit superior, tamen caro nondum penitus sit domita, & habitus virtutis, in perfectiori quadam significatione acceptus, in qua à Philosophis accipi solet, nondum penitus sit comparatus. Qua de causa etiam iidem crebrius labantur &c. Secundum gradum facit eorum, qui habitum virtutis perfectum sunt consecuti, & ita carnem perdomuerunt, ut vel nullam vel exiguam difficultatem in agendo experiantur; unde fit, ut constantius etiam virtutem ac pietatem colant. Tertius ac supremus gradus est eorum, qui alacerrime virtutis studio incumbentes, eo pervenerunt, ut jam per aliquot tempus, idque non exiguum, adversus divina præcepta nihil prorsus delinquant. *Denique de imitatione Christi ite-*

rum

eum *Smalz. contra Franz. pag. 371.* Duo sunt gradus imitationis Christi, alter est, quem prorsus necesse est, ut assequantur omnes, qui servari volunt, & is est, ut ab omnium peccatorum habitu sint liberi; alter est, ad quem aspirare perpetuo tenentur, & is est, ut ab omni peccatorum actu liberi sint. Et licet necessario à Deo non requiratur, ut simus ab omni peccatorum actu liberi, requiritur tamen, ut quantum ejus fieri potest, ad eum perpetuo contendamus, & nunquam in studio pietatis satis nos progressos esse statuamus.

89. *Quodsi qui vero aliquoties è statu gratiæ excidant, vix ordinarius ad eum datur reditus.*

Socin. in Thesib. de Justif. pag. 10. Cæterum si eveniat, ut ab hac obedientia deficiamus, & in unum, plurave peccata relabamur, in eisque permaneamus, justificati esse desinimus. Possumus tamen pœnitentia & vitæ ex Christi præceptis emendatione, denuo justificari. Verum iterata pœnitentia ista, non in nostra potestate est; Sed Deus, ut eam habere possint, illis concedit, quibus vult, ipsique videtur. *Smalz. contra Franz. Disp. 6. pag. 203.* Sive enim ex malitia nostra sive incuria accidat, ut peccatum nobis dominetur, & nos in peccatum progrediamur, peccatum tamen in nobis regnat, & ita, nisi resipiscamus, salutem certo sperare non possumus. Putat enim Franzius, nihil obesse homini Christiano, etamsi in aliquot crimina sæpe conjiciatur ab imbecillitate & incuria: At si sæpe conjiciatur in unum tantum crimen, jam peccati habitu implicatus est, jam peccatum ei regnat, jam secundum carnem ambulat, & ita in statu salutis eum esse, dici non potest. *Disp. 12. pag. 451.* Qui subinde peccata committunt quacunque de causa, ii renati non sunt. Idque eo magis, quod quis subinde per carnis infirmitatem peccatum admittere possit, etiamsi occasio peccandi nulla offeratur, sed ipse eam captet & arripiat: Renatus vero subinde tunc etiam non peccet vel peccare non debeat, cum occasio peccandi aliunde offertur. *Et pag. 457. & seq.* Exempla denique, quæ affert, rem hanc non probant: David enim, ut nunc, an regeneratus fuerit, taceam, non sæpe numero à carne victus fuisse legitur, etiamsi semel atque iterum (ut vult Franzius) à voluntatis divinæ tramite deflexerit; ex mente vero sacrarum literarum tantum semel. Nam in omnibus eum secundum præcepta Domini incessisse testantur sacræ literæ, excepto uno negotio Uriæ, ut supra docuimus. Nec etiam Petrus sæpe numero à carne victus fuit. Nam, (ex mente ipsius Fran-

zii) tantum bis peccasse legitur: secundum autem ipsam veritatem semel. Et abnegatio quidem ipsius in id tempus incidit, quo nulla adhuc regeneratio revera dabatur. *Parte post. pag. 354.* Verum quidem est, exemplum hoc docere, neminem tam esse malum, cui non pateat aditus ad gratiam Dei sub N. F. Sed addita hac cautione, si quis antea Deum ignoraverit, vel non bene noverit & per meram ignorantiam peccata, gravissima licet, commiserit. Nam si quis post agnitam veritatem evangelicam & post semel exutum peccatorum habitum, iterum peccati vel unius vel multorum habitum contrahat, jam impossibile, scilicet apud homines, est, talem rursus renovari ad pœnitentiam, utpote qui Christum denuo crucifigit, quod de iis, qui antea per meram ignorantiam peccabant, dici nullo modo potest. *Denique p. 358.* Jubet afferri differentiam Franzius *th. 129.* inter nos & Novatianos, quorum sententiam damnamus. Affero igitur ego: Novatiani hominem renatum peccare posse negabant: nos eundem peccare posse, & graviter, affirmamus, nec tamen, perdere eum suam regenerationem credimus, nisi peccati habitum contrahat, hoc est, nisi crebro peccatum illud iteret.

90. *Cæterum regeneratio & justificatio ante Christi mortem nemini contigit, nec nisi in altera demum vita.*

Smalz. de vero & nat. Dei Filio cap. 5. Ante Christi mortem regenerationem datam non fuisse, diserte in margine scribit, atque illud *fol. 35. & seq.* plurimis confirmare nititur. *Idem in Exam. Err. 94. fol. 28.* Nemo, ait quamdiu Christus in terris degebat, talis Dei filius fuit, quales, ut essent sub N. Testamento Deus voluit. *contra Franz. Disp. 4. pag. 103.* Alter (*error*) est, quod nunc quidem sciamus, Abrahamum & alios omnes, quorum autor epistolæ ad Hebræos meminit, fide justificatos esse: at tunc cum plerique illi in vivis essent, istum modum justificationis per fidem propositum cuiquam fuisse, nemo probare potest. *In margine notatur:* Justitia per fidem ante N. Testamentum non fuit proposita. *pag praeced. 97.* Porro idemne sunt lex & prophetæ cum omnibus seculis, quæ ab initio mundi fuerunt, ut hinc concludere liceat, quod concludendum est Franzio, nempe ab initio mundi omnes fuisse justificatos eodem modo, quo nunc nos justificamur? Imo hinc

hinc colligere licet, ante latam legem & prophetas, qui scilicet post legem extiterunt, nullam fuisse non tantum promissionem, sed nec testificationem apertam istius rei, non tantum ut præsentis, sed nec etiam ut futuræ. *Et pag. 458. circa fin.* Verum igitur quidem est, Paulum docere in ea, justificationem nemini ex lege unquam contigisse; sed falsissimum est, eum docere, justificationem acceptam fuisse ferendam, nempe ante Christum vel sub lege, gratiæ Dei in Jesu Christo. Hoc enim, nempe gratiæ Dei in Jesu Christo, seu fidei in Jesum Christum justificationem tribuendam esse, sub evangelio demum revelatum fuisse apertissime testatur ut alibi, sic præcipue *cap. 3. vers. 20. In margine iterum adscribitur: Ante* Novum Fœdus non fuit justificatio in Christo. *Volckel. lib. 4. de Vera Relig. cap. 3. pag. 181.* Hæc autem justificandi ratio per Christum demum promulgata ac palam annunciata est. *pag. seq.* Hic quæret aliquis, quomodo per Christum demum hæc divina justificandi ratio manifestata orbi terrarum esse recte dicatur? *Et mox*: Respondemus autem, nos nequaquam diffiteri, imo plane contendere, nullum unquam mortalium operum absoluta perfectione, sed fide, cujus forma est obedientia, justificationem assecutum fuisse: pernegamus tamen justificationem, quæ ex fide oritur, vel fœdere (veteri) comprehensam, vel ut rem, quæ perpetuo ad omnes spectaret, aperte propositam atque promissam fuisse. Erat quippe hoc tunc singulare quiddam, à singulari Dei benignitate extra fœderis antiqui pactionem profectum. *Iterum Smalz. Exam. CLVII. Error. 108. fol. 30. ubi quærit:* Quinam error sit, si dicatur, nos in hac vita justificari in spe, justificandos autem esse reipsa in futuro seculo vel in adventu Christi? *Et de Satisfact. Christi cap. 1 fol. 170.* Deus reipsa peccata non remittit, nec remissurus est nisi in adventu Christi.

91. *Vix quoque speranda iis, quibus vitam emendandi tempus non suppetit.*

Schlichting. contra Meisner. quæst. 1. fol. 25. Si sit homo, qui in peccatis manserit eousque, ut ei non amplius tantum temporis suppetat, ut vitam & mores emendet, utpote cui moriendum jam sit, quicquid tandem lachrymarum profundat, & quamcunque in partem se verset, vi Novi Fœd. damnandus est. *Smalz. Disp. 9. contra Franz. pag. 299.* Deinde vero, ut ut concedatur, Deum neminem à se rejicere, quoties quis pœnitentiam agat, quid hoc totum valebit, si non constet, hominem posse semper pœnitentiam agere? Tunc enim clarum erit, non

posse etiam ei peccata remitti. Non posse autem hominem semper pœnitentiam agere, ex eo patet, quod Deus eum quandoque indurat, ne convertatur; *& in fin.* Hinc facile videre potest Franzius, & alii, quid de iis, qui à carnifice jugulantur, sentiendum sit, de quibus ait Franzius *thes.134.* Si certum sit, eos pœnitentiam agere, quis dubitaret, eos peccatorum veniam consecuturos? Sed dubitatur, tum an Deus velit tales resipiscere: tum an id, quod ipsi faciunt, sit vera pœnitentia. Potest enim fieri, ut homo peccatum deploret, ut tamen animum non mutet, nisi detur occasio animi istam mutationem testificandi re ipsa, valde dubium est, an talis pœnitentia sufficiat. *Et pag.389.* Sciendum est, nos, qui credimus, non licere magistratui Christiano sanguinem humanum fundere, ut hodie fit, credere, quod aliis modis, qui fortassis sunt severiores, quam sanguinis fusio, in officio continere liceat magistratui homines facinorosos, modo ne vita priventur. Hac enim ratione simul etiam vita æterna privari tales, plus est quàm verisimile, quo nihil magis charitati, quam proximo debemus sub N. F. contrarium esse potest. *Vicissim.pag.359.* Quanquam enim fieri fortassis potest, ut tales serventur ob id ipsum, quia pœnitentiam, vulgo ita appellatam, agant, hoc est, deplorent peccata sua, quæ pars est pœnitentiæ, si ob peccata ita puniantur: tamen miserum omnino est ita extingui & perire, & periculosum. Certum enim est, tales vere & perfecte resipiscere non posse eo modo, quem Deus ordinarie ab hominibus requirit, nimirum ut vitam ante actam corrigant, nisi sola mente & voluntate. Hanc vero an Deus semper sit acceptaturus, dubium omnino est, licet non omnino incertum. Ex iis vero, quæ fieri quandoque possunt, regulam constituere universalem, aliud nihil est, quam homines spe inani lactare, & turpiter animas eorum perdere. Non est autem prorsus certum, omnes illos, qui morte cruenta & immatura, vel simili modo atroci & repentino extinguuntur, propter peccata puniri, ideoque dici definite non potest, quantumvis sit misera illorum conditio, eam esse, quoad animæ salutem, periculosam.

92. Sicut autem justificatio ita & electio est ob præstitam obedientiam, & ita quodammodo ab hominibus voluntati divinæ obsequentibus pendet.

Catech. Racov. de Prophet. J. Christi munere cap. 10. fol. 260. Prædestinatio

natio Dei in Scripturis nihil aliud notat, quam Dei ante conditum mundum decretum ejusmodi, quod iis, qui in ipſum crederent, eique obedirent, daturus eſſet vitam æternam. *Socin. de Offic. Chriſt. cap. 11.* Decretum Electionis & Reprobationis, non niſi cum conditione noſtræ obedientiæ, & inobedientiæ jam olim à Deo factum eſt. *Volkel. lib 5. de Vera Relig. cap. 17. pag. 538.* Ex his omnibus perſpicuum eſt id, quod ab initio diximus, nempe hoc electionis divinæ negotium omnino poſtulare, ut in eo, qui eligitur, aliquid inſit, quod à reliquis omnibus ſejungatur, & proinde ut id poſſideat, quod in reliquis deſideratur, ſive infirmam ſpectes electionem, ſive firmam: & ad infirmam quidem requiri aſſenſum divinæ diſciplinæ adhibitum, ſine quo nemo electus dicitur: ad firmam vero, obedientia Evangelio debita opus eſſe, quippe à qua electionis illus firmitas pendat. Unde porro conſequitur, electionem etiam penes nos ex aliqua parte eſſe, & non ita à Deo procurari, ut interim nulla noſtra opera eam ad rem accedat. *Schlichting. quæſt. 2. contr. Meiſner. fol. 16.* Itaque electio & reprobatio in genere prorſus eſt certa & immutabilis: & individuo autem mutabilis eſt, utpote cum ex electorum, vel etiam ex reprobatorum numero eſſe, cuique à Deo liberum ſit relictum. *Et fol. 29.* Dogmaticam falſitatem dicit eſſe Meiſnerus eam, quod Socinus affirmet, poſſe perire eos, quos Deus ſaluti deſtinaverat, idque ipſorum culpa; & viciſſim ſervari, quos Deus perdere decreverat, idq; ob ipſorum pœnitentiam, i. e. generatim loquendo, neminem ſic nominatim eligi, quin perire poſſit, & viciſſim neminem ſic nominatim reprobari, quin ſervari poſſit, ſi ille credere deſinat, hic incipiat. Hoc dogma, quo nihil verius, & ad pietatem promovendum accommodatius eſſe poteſt, Meiſnerus erroneum eſſe dicit, & Scripturis contrarium.

VI.
DE ECCLESIA ET REBUS ECCLESIASTICIS.

93. Non admodum neceſſarium imò fere inutile eſt ſciſcitari aut ſcire, ubi vera ſit Eccleſia.

Socin. Tractat. de Eccleſ. cap. 1. pag. 15. Quæſtio, quænam ſit, & apud quos ſit Eccleſia, vel inutilis propemodum eſt, vel certe non neceſſaria &c.

ria &c. Ubinam quæso, est scriptum, Christum præcepisse, ut unusquisque inquirat & norit quænam sit vera Ecclesia? *Ostorodus cap.52. pag.402. & seq.* So muß man derohalben erstlich wissen / daß die quæstio von der Kirchen / nemlich / wo und bey welchen dieselbe sey / auf welche so viel gehalten / und von welcher so viel Wesens gemacht wird / nicht viel Nutzes in sich hab / oder gewißlich daß man ohn derselben Erkäntniß wol kan selig werden (die Papisten und etzliche andere neben ihnen / mögen sagen was sie wollen) sintemal uns nicht geboten ist / daß wir die Kirche suchen und kennen sollen: Sondern es ist gnug / daß man die heilsame Lehre Christi wisse / woraus denn der Glaub an JESUM Christum herkommt / um welches Willen ein jeglicher Mensch / er sey wo er wolle / er kenne die Kirch / oder nicht / GOtte allwege gefällt / und derhalben auch das ewige Leben / wie er uns durch Christum verheissen hat / gewißlich erlangen wird. *Volkelius lib.6. cap.16. pag. 850.* Primo igitur ad salutem consequendam simpliciter necessarium esse non videtur, ubi Christi ecclesia sit, perquirere. Cum enim in Christo fiduciam locatam habere, eique obtemperare, ad cœlestem hæreditatem adeundam satis sit, ut divinus spiritus non uno in loco testificatur; cumque nusquam præcipiatur, ut unusquisque, ubi sit vera Christi Ecclesia, pervestiget; quis non videt, rem illam non esse simpliciter necessariam?

94. *Neq; pura verbi divini prædicatio tam nota quam potius essentia est Ecclesiæ veræ.*

Socin. Tract. de Eccles. pag. 98. Notæ Ecclesiæ, quos Evangelici statuunt, nempe prædicatio veræ doctrinæ Christi, & usus sacramentorum nihil valent, quia sunt ipsa essentia Ecclesiæ. *Smalzius Disp. 8. contra Franz. pag. 282.* Notæ Ecclesiæ nullæ sunt, nec ut sint necesse est. Vera & sincera doctrina non est quidem, nisi in vera Ecclesia: & Ecclesia sine doctrina vera, vel ut rectius loquar, salutari esse non potest: sed non est tamen nota Ecclesiæ doctrina vera & salutaris. *Volk. l. lib. 6. cap. 17. pag. 700.* Puram & incorruptam verbi divini prædicationem Ecclesiæ propriam notam minime esse inde constat, quod Ecclesiæ constituit essentiam: cum ecclesia aspectabilis, de qua hic agimus, nihil sit aliud, quam is hominum cœtus, qui salutarem Christi veritatem tenet ac profitetur. Quod cum ita sit, quomodo, quæso, salutaris doctrinæ prædicatio, citra principii petitionem, cum de Ecclesia ex notis cogno-

cognoscenda agitur, proferri potest? id est, quomodo id, quod Ecclesiæ continetur essentia, & sic ipsa aliqua ex parte essentiæ est, suum ipsius signum dici potest? Intelligendum enim est de istiusmodi signis hic agi, quæ essentiam ecclesiæ nondum cognitam ostendant ac patefaciant, adeoque non ex ipsa essentia, sed ex ejusdem propriis adjunctis sumenda esse. *Et pag. 701.* Quod ad legitimum usum sacramentorum attinet: ne de ejus vocis usu ac significatione, aut earum rerum, quæ eo nomine appellantur, numero nunc quicquam dicamus; primum de eo idem, quod de prædicatione verbi divini incorrupta dici potest; nempe eum ad Ecclesiæ essentiam constituendam pertinere; quod ii, cum quibus nobis res est, non diffitentur nec diffiteri possunt. Si enim cœtus aliquis sacramenta, omnibus in perpetuum à Christo præcepta, qualia hic intelliguntur, vel plane non usurparet, vel legitime non usurparet, ob id ipsum ecclesia Christi non esset, nec salutarem veritatem, usque quaque profiteri censendus esset.

95. *Nimis quoque audacter asseritur, Ecclesiam Christi duraturam ad finem usque mundi, neque unquam interituram.*

Socin. Epist. 3. ad Radecc. pag. 136. Non negaverim quidem, sicut etiam non affirmaverim, in hoc seculo talem Christi Ecclesiam futuram, quæ deficere nulla ratione possit. *Theoph. Nicolaides de Eccles. cap. 3. pag. 25.* Nam æque incertum est & falsum, homines omnibus seculis esse salvandos, ut incertum est & falsum, omnibus seculis Ecclesiam fuisse. *Smalz. Disp. 8. contra Franz. p. 284.* Affirmat autem Ostorodus, & nos cum eo non necesse esse, statuere, semper aliquam, præsertim visibilem fuisse Ecclesiam: Interim eam esse potuisse nec ipse nec nos negamus. *Et pag. seq. Ad thesin. 75. & 76.* Non est quod respondeam, cum nemo præcise neget, potuisse extare aliquot semper, qui essent vera Christi Ecclesia: sed tantum negetur, necessario eam manere debuisse. *Volckel. lib. 6. cap. 18. p. 606.* Sequitur, ut videamus, an Ecclesia ab agnita veritate deficere, & sic Ecclesia esse cessare queat. Constat igitur id fieri posse: cum, ut sæpius à nobis dictum est, homini liberum voluntatis arbitrium concessum sit. *pag. 707. Init.* Neque unquam Christus hoc suæ Ecclesiæ spospondit, inque se recepit, eam desituram minime esse. *Ostorod. cap. 42. p. 412.* Dieß sagen wir nicht dar=

darum / als wenn wirs gantz gewiß dafür hielten / daß allwege die Kirche gewesen sey / auch nach dem grössesten Abfall; sondern damit wir anzeigen / die Turstigkeit / ja temeritatem der Adversariorum, welche affirm'ren und verjahen dürffen / welchs sie weder beweisen / noch wissen können: Gleichwie auch im Gegentheil der Papisten Meynung / welche es dafür halten / daß die Gemeine oder Kirche Christi allwege hab bleiben und nie aufhoren sollen / allzu kühne ist: Sintemal die Oerter / welche aus heiliger Schrifft allegiret werden / das im geringsten nicht beweisen.

96. *Neque de necessitate, sed autoritate saltem est mitti & vocari ministros ad docendum Dei verbum, & administrandum Sacramenta.*

Socin. contra Radecc. pag. 125. Jam vero verbi administratio, præsertim quæ ad externam Ecclesiam colligendam, & constituendam requiritur, nulli certæ nationi aut familiæ, nulli eligendi rationi denique aut successioni alligata est. *Catech. Racov. cap. 11. de Regim. Eccles. pag. 344.* Num ii qui docent in Ecclesia, & ordini tuendo & conservando invigilant, ut singulari aliqua ratione mittantur opus habent? Resp. Nullo modo. *Et pag. 306.* Apostolus diserte describens omnia, quæ ad constituendas personas ejusmodi (qui scilicet docent in Ecclesia) pertinent, nullam missionis facit mentionem. *Smalz. contra Franz. Disp. 4. de ordin. Eccles. pag 376.* Dico igitur: Tantum abesse, ut animadversa & considerata consuetudo Ecclesiæ V. & N. commonefacere nedum docere aliquem possit, neminem absque missione, partes docendi alios sibi sumere posse, ut potius confirmare aliquem possit, necessarium non esse, ut id perpetuo observetur. *Et pag. 386.* Firmum igitur maneat, quemadmodum aliquis docere alios potest, etiamsi à nemine sit vocatus aut missus: sic etiam ritus illos sacros administrare eundem posse absque missione. *Theophil. Nicol. cap. 10. fol. 80. 87. 88. 89.* Doceat, neminem Ministrorum verbi Dei esse posse, nisi missus sit ab aliquo: nos absque missione mediata posse fieri credimus, licere alicui docere alios, dummodo in eo sit ad docendum alios aptitudo. *Et cap. 11. pag. 118.* Adhibitam etiam fuisse dixeram hanc ceremoniam ordinationis per impositionem manuum, ab initio jure, quia Spiritus Sanctus simul dabatur iis, quibus manus imponebantur: hodie vero,

ro, quia nihil tale detur illis, quibus manus imponuntur, non necesse etiam esse, ut id fiat; imo interdum utile esse, ne id fiat, ad præscindendam omni superstitioni ansam & occasionem. Fieri tamen denique posse, tanquam aliquid ad decorum & ordinem Ecclesiæ pertinens. *Ostorod cap. 42. p. 440. & seq.* So nun die Adversarii sagen wolten / daß die ietzigen Lehrer der Gemeinen nicht allein predigen / sondern auch tauffen / und das Nachtmahl des HErrn administriren und verrichten / welches ohne sonderliche Vocation und Sendung nicht geschehen könne: Geben wir zur Antwort / daß solches nicht könne bewiesen werden / nemlich daß niemand die Dinge thun könne / er sey denn dazu beruffen und gesandt.

97. *Ecclesiarum protestantium cum Socinianis Syncretismus iniri posset.*

Smalz. contra Franz. Disp. 8. de Eccles. pag. 282. Credimus omnes illos, Lutheranos & Calvinistas, & alios, qui à Papatu defecerunt, in unam Ecclesiam congregari posse, si Spiritu Jesu Christi se regi paterentur, & charitatis officiis potius, quam istis odiis mutuis certarent. Nam (ut hoc tribus verbis addamus, quod pro regula immota & maxima nos quidem tenendum censemus) inter quos Deus & Jesus Christus rite colitur & adoratur, & inter quos studium pietatis secundum Christi præcepta viget, ii omnes pro Christi Ecclesia haberi possunt & debent. *Theophil. Nicol. in refut. Tract. de Ecclesia contra Borkluvium cap. 2. fol. 19.* Si rem ipsam per se consideres, jampridem à nostris demonstratum est, & demonstrare porro semper parati sumus, stante sententia Evangelicorum de Christo & ejus divinitate, nos una cum illis non tantum esse posse, sed etiam NB. teneri esse UNAM ECCLESIAM; & per quos stat, quo minus id fiat, eos graviter peccare, & si scientes id faciant ob causas quasdam carnales, vel parum spirituales, de salute etiam periclitari.

98. *Adversus Hæreticos non implorandum est subsidium potestatis secularis.*

Volckel. lib. 6. de Ver. Relig. cap. 15. pag. 692. Et hi quidem sunt termini (*nempe segregatione à communi Ecclesiæ cœtu*) & quasi cancelli, quibus ea Ecclesiæ potestas circumscripta est, quam in illis, qui peccant, punien-

dis exercere poteſt, ultra quos progredi nequaquam illi licet, & ſic minime in ſontes tantam uſurpare licentiam, ut eos vel verberibus cædat, vel in carcerem detrudat, vel in exilium pellat, vel denique cruciatibus morteque afficiat. Divinus enim ſpiritus Eccleſiaſticæ diſciplinæ rationem ſat deligenter nobis explicans atque præſcribens, nullam iſtorum ſuppliciorum mentionem facit. *Oſtorod. c. 29. p. 195.* Sintemal die Gemeine oder Kirche Chriſti/ ſo fern ſie Chriſti Gemeine iſt/ auf dieſer Welt keine andere Gerichte/ Regiment und Ordnungen erkennet/ denn eben dieſelbe diſciplinam Eccleſiaſticam: Gleichwie ſie auch auf dieſer Welt/ ſo fern ſie Chriſti Gemeine iſt/ keinen andern/ denn nur allein JEſum Chriſtum für ihren HErrn oder König/ und alſo für ihre einige Obrigkeit erkennet. Warum denn auch die Gemeine oder Kirche ſelber durch ſich dieſe ihre diſciplinam exequiret und verwaltet; alſo daß ſie ſich im geringſten/ nicht der weltlichen Obrigkeit/ in derſelben Verwaltung gebrauchet. Worin denn die Papiſten/ Luthriſchen und Calviniſchen ſehr gröblich irren: welche/ wenn ſie denen/ ſo ſie für hæreticos oder Ketzer halten/ nicht können gnug thun/ das Seculare brachium (ſo heiſſen ſie die Obrigkeit) um Hülff anruffen/ die ſich denn auch mit denſelben nicht weder Kirchlicher noch Chriſtlicher/ ſondern weltlicher Weiſe begehet: das iſt/ läſt ſie gefänglich einziehen.

99. *Chriſtianus non eum facile geret magiſtratum, quo neceſſe ſit ſanguinem humanum bello aut vindicta profundere membrave alicujus mutilare.*

Socin. Epiſt. ad Eliam Arciſſevium. Ad ea quæ ex me exquiris, breviter ſic habeto. Magiſtratum, quantumvis ſummum, gerere homini Chriſtiano licere exiſtimo; modo alioqui Chriſtianæ charitati in eo gerendo non controveniat. Sontes capite plectere, aut membris mutilare, vix arbitror, ullo modo per Chriſtianam charitatem ei licere: nec, me auctore, quiſquam Chriſtianus qui Magiſtratum gerat, audebit id facere. Difficilior multo eſt quæſtio de bello, nec ne defendendo: Utrum ſcilicet homo Chriſtianus, qui ſupremum magiſtratum gerat, poſſit ſine Chriſtianæ charitatis offenſione, ad id eorum opera uti, qui ſuam ipſi operam locare velint; quamvis ita ſtatuam, Chriſtiano homini privato non concedi quenquam, etiam per occaſionem propulſandi belli, interficere,

ficere, membrove aliquo corporis mutilare, Magiſtratu licet ſupremo, id ut fiat, jubente. Cæteroqui armari, & una cum aliis ad impetum invadentium hoſtium reprimendum, ſine cujusquam cæde proficiſci, tunc crediderim homini Chriſtiano licere, ubi prius omnia tentaverit, quominus ipſe proficiſci cogatur; ſed pecunia ſuam ejusmodi profectionem redimere queat; quod ſi obtinere ſeu impetrare non poſſit, præſtat judicio meo, aliquod periculum futuri ſcandali infirmorum in fide incurrere, quam certiſſimam ſibi ſuisque ruinam accerſere. *Smalz. contra Franz. Diſp. 6. pag. 391.* Itaque quemadmodum Chriſtus non præcepit homicidas capite plectere: ſic etiam, & tanto magis ſtatuendum eſt, eum non præcepiſſe, ut adulteri vel fures capite plectantur, quanto minus eſt peccatum reipſa adulterium, quam homicidium, vel furtum. Nam adulterium honeſtatem tantum alienam petit, furtum facultates, homicidium vero ipſam vitam. *Oſtorod. cap. 28. pag. 184.* Hierauff geben wir zur Antwort / daß / wo gewiß wäre / daß der Obrigkeit Amt ohne Blutvergieſſen und Krieg nicht könt verwaltet werden / gewißlich ein Chriſt keine Obrigkeit ſeyn könne. *Et in fine* Ja es läſt ſich anſehen / daß diß nicht der rechte und gewiſſe Weg ſey / die Leute von böſen Thaten abzuhalten. *pag. 185.* Es ſey aber dem alſo / daß die Vergieſſung des Bluts der beſte Weg ſey / die Leut in der Furcht zu halten: Weil aber offenbahr iſt / daß auch andere Wege und Mittel ſind / durch welche die böſen können coerciret und bezwungen werden / und damit man beyden gnug thue / das iſt / daß man Chriſti Gebot halte / welche nicht zulaſſen einem das Leben zunehmen / und auch gleichwol das Böſe nicht ungeſtrafft laſſe / ſo ſoll man den erſten Weg / welcher mit den Geboten Chriſti ſtreitet / fahren laſſen / und an deſſen ſtat einen anderen für die Hand nehmen / welcher Chriſti Geboten nicht zuwider ſey. Das kan aber geſchehen durch Geld-Straffe / Gefängniſſen / ſchwere Arbeit / Schläge und Streichen / oder auch andere cruciatus, Pein / nur daß ſie dem Menſchen am Leben nicht ſchaden / noch ihn zur Arbeit untüchtig machen / endlich durch publicam ignominiam und der Ehren Entſetzung.

100. *Ecclesiæ ministri post Apostolorum tempora potestatem non habent remittendi peccata, aut ea retinendi.*

Wolzogen. Comm. ad Matth. cap. XVI. v. 9. Tom. I. Oper. f. 317. Non habent Apostoli in hac sua potestate & autoritate remittendi peccata, ullos successores; sed hæc autoritas cum excessu eorum ex hoc mundo ad Deum & Christum rediit. *& ad c. 18. v. 18. f. 330.* Animadvertendum est, ligationem & solutionem, id est, remissionem ac retentionem peccatorum, proprie Deo tantum ac Christo adscribi: Apostolis autem tribui eodem sensu, quo servare *1. Tim. 4. 16.* nimirum vi muneris eorum, quod tanquam Legati Christi obibant, quod munus Apostolus vocat ministerium reconciliationis. *2. Cor. 5. 18 19. 20. 21. NB.* Christiana autem ecclesia neque proprie (uti Deus & Christus,) neque vi ullius tam sublimis muneris (quale gesserunt Apostoli) habet potestatem peccata remittendi vel retinendi; sed tota illa potestas, quam Apostoli à Christo acceperant, cum ipsis desiit & tota ad Christum rediit. — Hanc remissionem peccatorum, quæ apud Deum fit annunciat Ecclesia peccatori. -- Ecclesia peccatori non illa peccata remittit, quibus is Dei vel Christi majestatem læsit; sed solummodo ea, quibus ipsa læsa, contristata, scandalisata, & ludibrio exposita est. *Volkel. in Resp. ad Nodum Gordium Smiglecianum fol. 62.* Necesse est, ut verba remittendi & retinendi, hanc declarativam tantum significationem habeant, idque inde perspicuum est, quod si de ipsa rei istius efficientia ea accipere vellemus, omnino statuendum foret, eos, qui remittendi retinendique potestate fuerunt præditi, ea utendo, re ipsa effecisse, ut quis necessario ea haberet, per quæ vel peccatorum condonationem homines consequuntur vel eadem excluduntur. Neutrius autem potestatem hominibus istis concessam fuisse, compertissimum est. *Et Radecius Volkelium defensurus in margine,* has quæstiones addit: Cur Christus mortalis potestatem peccata remittendi perfecte non habuerit? Et quomodo is peccata perfecte remittere potest, qui æternam mortem adimere & vitam æternam donare non potest? Hoc autem quomodo præstat, qui ipsemet mortalis est?

101. *Impositio manuum non mandata à Christo vel ab Apostolis.*

Volckel.

Volkel. lib. 6. de Vera Relig. cap. 14. pag. 802. Quid vero de manuum impositione dicam, de qua nullum præceptum datum Apostolis esse constat? *Smalz. Disp. 10. contra Franz. p. 310.* Ut & impositio manuum inter primordia Christianæ Religionis censetur, quæ tamen mandata nunquam fuit à Christo. *Theophil. Nicolai. defens. Tr. de Missione Ministror. c. 2. f. 177.* Non necessarium omnino est, illam (impositionis manuum, & ordinationis) Ceremoniam usurpari: imo utile etiam esse potest, eam plane intermitti. Solet enim ex hujusmodi Ceremoniis oriri superstitio, pestis omnis veræ religionis: dum homines (ut solent) plus illis tribuunt, quam ipsi veræ pietati.

102. Sacramenti nomen barbarum: illa ritus tantum sunt externus, neutiquam vero gratiam conferunt, aut ad fidei fundamentum pertinent.

Socin. lib. quod Regni Polon. cap. 4. § 9. Errorem Evangelicorum vocat, quod dicunt, Baptismum & Cœnam Domini, obsignare remissionem peccatorum. *Smalz. Disp. 5. contra Franz. pag. 159.* Falsissimum est, Deum per Sacramenta (quæ vocant) salutem operari. Cum potius Sacramenta professio sint ejus, quod Deus in nobis vel per verbum vel per Spiritum suum operatus est. *Vicissim:* Ipse titulus vitio non caret, qui est: In specie, quod Deus per verbum & Sacramenta accendat fidem & sanctos motus. *pag. 289.* Fabulæ sunt, aliquam esse internam efficaciam in baptismo vel cœna Domini. Cum utraque aliud nihil sint, quam externæ hominum actiones, quibus aliquid, quod in mente ipsorum latet, expressum volunt, & per baptismum quidem publicam nominis Christi professionem: per cœnam vero Domini solennem mortis Christi commemorationem vel annunciationem. *pag. 347.* Vox Sacramenti in hac significatione barbara vel saltem sacris literis incognita est: ab hominibus vero otiosis qui ceremoniis hujusmodi nescio quid præter sacram Scripturam, superstitiosum, aut etiam idololatricum ex parte, tribuere non sunt veriti, ad tegendum dolum usurpata. Præstat igitur aliis nominibus appellari in Christi cœtu hanc ceremoniam, præsertim cum jam omnia ad rationes & Evangelii trutinam resecari, in religione Christiana, jam pridem Dei & Christi singulari beneficio, cœperint. *p. 372.* Istam significationem phaleratam vocabuli Sacramenti, quo aliquid tremendum & adorandum tegunt Lutherani cum Pontificiis, merito detestamur, ne superstitioni & idololatriæ fenestra denuo in Christi Ecclesia aperia-

periatur. *Et mox:* Ego aliam rationem, eamque potiorem afferre nostros ajo. Nempe sacram Scripturam nuspiam quicquam tale vel dicere, nec quicquam tale ex illis colligi posse, quod Deus per externas ceremonias gratiam & vitam æternam offerat & conferat. *Schlichting. Disp. contr. Meisner. de Trinit. fol. 920.* Nego Sacramenta divinarum promissionum esse sigilla proprie dicta. Quid? ne improprie quidem dicta earum sigilla sunt, aut uspiam in sacris literis appellantur. *Et f. 6.* Articulus de Cœna & Baptismo ignoratus aut repudiatus salutem non adimit, dummodo quispiam Cœna Domini & Baptismo utatur.

103. *Johannis Baptismus & Apostolorum multis modis differebant.*

Socin. lib. de Bapt. aquæ. pag. 6. fol. 71. Non idem fuit Johannis Baptismus, qui Apostolorum à resurrectione Christi, imo in re maximi momenti differebant. *Volck. lib. 3. de Ver. Relig. c. 7.* Baptismus Johannis peculiare mandatum divinum habuit: Apostolorum non item. *cap. 8.* Baptismus Johannis ad solos Judæos, Apostolorum autem ad exteras quoque gentes pertinebat. *Socin. loc. cit.* Apostolorum Baptismus in Christi nomine administrabatur, Johannis vero minime, & Johannis Baptismo tincti ab Apostolis rebaptizandi erant. *Volckel. cap. 9.* Post Christi in cœlos ascensionem abrogato Baptismo Johannis in solius Christi nomine Baptismus administrari cæpit. *Ostorod. cap. 39. pag. 359. n. 7.* Die andere Ursach ist / daß Johannis Tauff nicht einerley Tauff ist mit dem / von welchen wir hie disputiren: Sintemal dieser geschicht auff den Nahmen Christi / jener aber nicht / und welcher über das nur das Jüdische Volck allein betraff und nicht länger gedauret hat / nur weil Johannes lebte: Sintemal der keinen Successorem hinter sich verlassen / noch jemande etwas gebothen / daß er hernach denselben Tauff an seiner Stell administriren und bedienen solt.

104. *Baptismus tantum professio publica nominis Christi atque in ipsius religionem initiatio quædam: non vero in eo vis quædam regenerationis est.*

Socin. Epist. 3. ad Radecc. pag. 129. Cum aquæ baptismus in Jesu Christi videlicet nomine ministratus nihil aliud sit, quam adumbratio remissionis peccatorum in nomine Christi, ejusque nominis aperta professio, atque in ipsius religionem initiatio quædam, id est, per eum nihil revera

detur,

detur, sed ut tantummodo eorum, quæ vel jam data esse, vel datum iri certissimum est, externa quædam cognitio significetur. *Smalz. contra Smigl. de Satisfact. cap. 9. p. 255.* Sacramentum enim, quod vocant baptismi, professio tantum publica nominis Christi est: cœna vero Domini, mortis Christi commemoratio & annunciatio. *Catech. Racov. cap. 4. de Bapt. quæst. 1.* Quid sentis de aquæ Baptismo? Respondet Catechismus Racoviensis: Id quod sit ritus exterior, quo homines vel è Judaismo, vel è gentilismo ad religionem Christianam accedentes, manifeste profitebantur, se Christum pro suo Domino agnoscere. *Vicissim Socin. lib. quod Regni Polon. cap. 4.* Cum ipsa baptismi ceremonia NB. nihil habeat, quod ea vi possit esse præditum, sed necesse sit, ut si quid firmitatis fidei post baptismum accedat, id à SpirituS. qui post baptismum detur, omnino proficiscatur. Sed dari hodie SpiritumS. omnibus, qui baptismum, NB. quantumvis recte, suscipiant, nemo temere affirmare ausus fuerit. *Schlichting. contra Meisner. de Trin. f. 942.* Meisnerus imperite agit, cum, ut supra ostendimus, & baptismus sine Spiritus S. effusione, & effusio Sp. S. absque baptismo & esse possit & reipsa fuerit, & NB. ipsa aquæ tinctione NEMO UNQUAM Spirit. S. donis perfusus sit. *Vicissim. Cat. Racov. cap. 4. de baptismo aquæ quæst. 4.* Quid ea de re statuis, quod sunt, qui putent se hoc ritu regenerari? Respondet Catechismus Racoviensis: Falluntur vehementer. Etenim regeneratio nihil aliud est, quam rationis & voluntatis nostræ transformatio, & ad Christi doctrinam compositio. Verum ejusmodi transformatio in infantibus locum habere nequit, qui ignorant, quæ dextera, quæ sinistra sit, tantum abest, ut res tanti momenti in eos cadat. Adultos vero, in quibus mentis & voluntatis transformatio locum habet, aqua regenerari posse tantum à veritate abest, ut etiam videatur quidpiam hoc idololatriæ simile. *Ostorod. c. 39. p. 358.* Denn ob wol ihrer viel sind / welche diß Bad vom Wasser-Tauff verstehen / nemlich als würden wir durch denselben wiedergebohren: So sind ihrer doch nicht wenig / und das unter den Evangelischen selber / welche gar wol sehen / daß solch Bad auf keine Wege von Wasser-Tauff kan verstanden werden: Sintemal der Wasser-Tauff solche Kräffte nicht hat / daß der Mensch durch denselben heilig / fromm / gerecht und also (sintemal dieß der einige Weg ist zur Seligkeit) selig werden könte.

105. Baptiſmum Chriſtus non inſtituit, ſed eum Populi libere uſurparunt.

Socin. Præfat. lib. de Bapt. aquæ fol. 4. Omnia Evangeliſtarum ac Apoſtolorum ſcripta diligentiſſime perquirens nusquam nec apertis verbis baptiſmum aquæ externum omnibus in perpetuum, qui Chriſtiani eſſe velint, peræque præceptum eſſe invenio, nec aliquid dictum, ex quo eam ſententiam elici omnino debere, aut poſſe appareat. *Et cap. 2. fol. 14.* Unde conſtare videtur baptiſmi illius miniſterium ipſis Apoſtolis à Chriſto non fuiſſe injunctum. *Epiſt. 3. ad Radecc. fol. 128.* Dico, aquæ baptiſmum ad eccleſiam externam hoc tempore inſtaurandam, meo judicio, nihil pertinere, remque indifferentem eſſe. *Smalz. contra Franz. Disp. 10. pag. 308.* Quæ vero citantur loca, id, quod quæritur, non officiunt. Nihil enim aliud affirmatur, quam Chriſtum, vel, quod minus eſt, diſcipulos Chriſti baptizaſſe. Hinc vero nullo modo ſequitur, eos baptizaſſe juſſu & mandato Chriſti. Potuerunt enim baptizare, quia Chriſtus id tantum permittebat, & poterat Chriſto id non minus attribui, quod diſcipuli, ipſo permittente, quam quod ipſo jubente, faciebant. *pag. ſeq.* Non conſtat, baptiſmum aquæ à Chriſto eſſe inſtitutum. Non enim, quod Johannes baptiſta nomine Dei præcepit, præſertim ceremoniale, nobis Chriſtianis neceſſario faciendum eſt. *Et pag. ead.* Error eſt, Chriſtum inſtituiſſe, ut baptiſmus (nempe aquæ) inter gentes vulgetur & uſurpetur per Apoſtolos. Id enim nuspiam ſcriptum extat. *Volckel. lib. 3. de Vera Relig. cap. 9. pag. 53.* Apoſtolos autem vi mandati divini ad baptizandum impulſos, nihil plane conſtat. Probabilius eſt, eos Johannis imitandi ſtudio incitatos baptizaſſe, Chriſto pro ſua ſapientia conſentiente, in re præſertim indifferente, & illi hominum generi adeo jam familiari, ut tam ſubito abrogari ſine gravi offenſione vix aut ne vix quidem poſſet. *Oſtorod. cap. 39. p. 348. n. 2.* Derhalben / was das erſte belanget / ſoll man wiſſen / daß aus der Evangeliſchen und Apoſtel Schrifften nicht kan bewieſen werden / daß Chriſtus den Waſſer-Tauff eingeſetzt oder befohlen hat. *Et p. e. 360.* Derhalben wird nun offenbahr / daß aus dem / daß Chriſtus ſich habe tauffen laſſen / nicht kan bewieſen werden / daß ein jeglicher / der da wil ſeelig werden / müſſe gleicherweiſe mit Waſſer ſich tauffen laſſen.

106. Ba-

106. Baptiſmus non aquæ ſolum aſperſione, ſed immerſione hominis in aquam fieri debet.

Volckel. lib. 6. de Vera Relig. cap. 14. fol. 668. Neque enim ea, quam illi baptiſmum vocant, guttularum aliquot aquæ aſperſio baptiſmus eſt, ſive vocis vim, ſive uſum Johannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum, primævæque Eccleſiæ ſpectes. Baptiſmus enim intinctio in aquam, & ablutio eſt; ut norunt omnes, qui vel primis labris Græcam Linguam deguſtarunt. *Schliebting. de Trinit. contra Meiſner. fol. 856.* Quod adeo ad externum ritum attinet, hic non in eo conſiſtit, ut vertex tantum capitis aqua abluatur, quemadmodum facere neceſſe habent, qui infantes baptizant; ſed ut non tantum totum abluatur corpus, verum etiam aquæ penitus immergatur: qua ratione infantes baptizare, ſane crudelis eſt ſuperſtitio. *Oſtorod. cap. 39. p. 362.* Was unſere Gemeine betrifft / iſt nach vielen diſputationibus und Unterredungen / welche auff etzlichen Verſamlungen ſind gehalten worden / endlich beſchloſſen / daß man einen jeglichen / der es begehret / tauffen ſoll / nemlich ins Waſſer eintauchen: Denn ſo taufft man bey uns von dreißig Jahren her und länger / nach dem Exempel Johannis und der Apoſtel / wie auch der alten Kirchen: welcher Gebrauch nach ihnen faſt dreyhundert Jahr gewähret hat.

107. Infantum vero baptiſmus minime omnium approbandus eſt.

Catech. Racov. cap. 4. de Bapt. aquæ. Num ad eum ritum infantes pertinent? Reſp. NULLO PACTO. Nam nec in ſcriptura ullum mandatum, aut exemplum ea de re habemus, neque ipſi (ut res ipſa indicat) Chriſtum pro ſuo ſervatore agnoſcere per ætatem poſſunt. *Schliebting. contra Meiſner. de Trinit. f. 867.* Infantes ideo, è baptiſmo arcemus, quod non percipiant, quid in baptiſmo agatur, nec edere poſſint Chriſtianæ religionis profeſſionem. *Smalz. contra Franz. Diſp. 10. pag. 310.* Infantes vero ut baptizentur, quomodo Chriſtus voluiſſe dici poteſt, qui nec, ut adulti baptizarentur, voluit, hoc eſt, præcepit? *Viciſſim:* Nimis tamen puerile eſſet, puerorum baptiſmi inſtitutionem Chriſto aſcribere, cujus evangelium ad ſolos eos, qui ad fidem (quæ eſt per auditum verbi Dei) apti ſunt, pertinent. *Iterum:* Fabula enim eſt illud, baptiſmum aquæ in locum circumciſionis fuiſſe ſubſtitutum, nec ullo aut teſtimonio ſacrarum literarum aut probabili ratione vel leviter perſuaderi homini

mini sensato potest. *Schlichting. de Trinit. contra Meisner. fol. 847.* Universalitati inclusos esse infantes unde probabitur? *Et f. 831.* Error est (Pædobaptismus) isque sat gravis, præsertim si infantium baptismus ad salutem necessarius esse statuatur. *Ostorod. cap. 39. p. 361.* Hält man einen aber für getaufft/ ob er schon nicht wahrhafftig/ nach gebührlicher Weise getaufft wäre/ als zum Exempel/ da er noch ein Kind war/ sintemal der Kinder Tauff von dem/ welchen die Apostel gebraucht haben/ weit unterschieden ist/ ist nicht vonnöthen/ daß derselbe getaufft werde.

108. In administratione Sacræ Cœnæ, quæ tantum mortis Christi commemoratio & annunciatio, ritus illi, quibus apud Lutheranos illa peragitur, superstitiosi atque vani sunt.

Volckel. lib. 4. de Ver. Relig. cap. 22. p. 303. Volunt illi, qui sacramenti nomine abusi, ad ritus quosdam sacros id transtulerunt, sacramenta non signa tantummodo, sed etiam obsignationes confirmationesque divinæ gratiæ, atque adeo ejusdem in nos conferendæ instrumenta quædam esse. Id quod à vero Cœnæ Dominicæ usu plane abhorret: quippe quæ nec ullam nobis Dei gratiam donet, nec obsignet, sed jam donatæ obsignationem adumbret, & ideo sit instituta, ut ista Dei benignitas solenni commemoratione ac gratiarum actione celebretur. Altaris quoque vocabulum nullum hic locum habere potest, cum vel solo mensæ vocabulo excludatur; nec Deo res istæ, quibus hic ritus continetur, offerendæ sint, ut suo loco demonstrabitur. Altaria autem solis sacrificiis destinata esse nemo ignorat. Hinc satis constat, ne alteram appellationem, nimirum Sacramentum corporis Christi, veram esse. Si enim hæc actio ne sacramentum quidem est, quo pacto, quæso, corporis Christi Sacramentum erit? *Et pag. 307.* Apertissime hic pro concessis sumuntur ea, quæ à vero alienissima sunt; nimirum Christum sub panis vinique specie realiter, quod dicunt, existere; & ejus corpus vere proprieque in sacra cœna comedi, sanguinemque bibi; maximumque nos ex cœnæ Dominicæ celebratione fructum percipere potius quam pro jam percepto, Deo Christo gratias agere. *pag. 308.* Alterum est, quod Christus sedendo, cumque discipulis suis ad mensam accumbendo, sacram istam cœnam peregit. Quem quidem ritum ad longum tempus in ecclesia durasse credibile est, & hodie etiam à nobis retine-

retinetur, ita tamen, ut minime illos damnemus, qui ſtando, quam ſedendo, ceremoniam iſtam adminiſtrare malunt: dummodo abſit omnis idololatriæ ſpecies. *pag. 309.* Quartum eſt, quod viri denudatis capitibus ceremoniæ iſtius religionem conficere ſolent. Quæ quidem res tametſi ad vitandum ſcandalum, ex contemptus ſuſpicione profectum, magnam vim habet: ſi tamen altera ex parte juſtæ ſint cauſæ, cur caput tegatur, ſatisfuerit, in ipſo initio illud aperiendo, reverentiæ atque honoris ſignificationem dare. *Smalz. contra Franz. Diſp. 12. pag. 334.* Quæ enim alia commeſtio & bibitio craſſa eſſe poteſt præter eam, quæ ore fit? Atqui Franzius ipſe fatetur & contendit, in Chriſti cœna comedi realiter & oraliter Chriſti corpus. Quomodo igitur differt à Capernaitis? Si dicat, ſe non credere, dentibus comminui Chriſti corpus, quod credebant Capernaitæ, primum neſcio, unde illud ſciat de Capernaitis? Deinde ſi panis eſt corpus Chriſti, panis autem comminuitur dentibus, quomodo non pariter & corpus comminuitur? *p. 335.* Ergo, ut panem accipere & commedere, ſic etiam eum frangere illos impoſterum juſſit; & ut ſine accepti panis commeſtione, ſic etiam ſine fractione panis, cœna Domini celebrari rite nequit. *p. 347.* Nobis in cœna nihil conferri; ſed nos eſſe, qui per eam gratias Deo agimus, ipſiſſima eſt Evangelii & puriſſima veritas. *p. 348.* Recte deinde eos facere, qui ad menſam Domini accumbunt; errare autem eos, adeoque cauſas nectere ſuperſtitionis, & ſimplicitatem hujus ceremoniæ corrumpere, qui ad eam deambulant, vel geniculantur, quis eſt, qui non videat? Quis unquam audivit, aliquem cœnare cum aliquo, ambulantem aut genua flectentem? *p. 349.* Panem denique & calicem in manus communicantium tradi, nonne eſt convenientius, quam hominibus ea ab alio ita porrigi, ac ſi manibus capti eſſent? *Denique ibidem:* Hoc unum dico, defendi ea nullo modo poſſe, qualia ſunt ex multis, quod ad ægrotos defertur panis & vinum, quod pro pane hoſtia illa uſurpatur, & alia. *Oſtorod. cap. 28. n. 6. pag. 340. ſeq.* So ſagen wir nun / daß Chriſtus um keiner andern Urſach willen das Brod ſeinen Leib / und den Wein ſein Blut geheiſſen habe / denn daß es / nemlich ſo fern das Brod gebrochen und gegeſſen / der Wein aber / ſo fern er in den Becher gegoſſen und getruncken wird / ſeines Leibes / ſo für uns gebrochen / und ſeines Bluts / ſo für uns vergoſſen / eine Figur und Abbildung ſeyn ſolt / wenn man das Gedächtniß ſeines Todes begienge. *n. 7. p. 343.* Erſtlich ſoll es die Gemeine / das iſt / ſo viel der Gläubigen können zuſammen kom-

kommen / begehen / nicht aber einer allein. *Et mox:* Derhalben soll mans auch keinem Krancken heim tragen / welchs doch viele thun. *p. 344.* Darnach soll man das Brod brechen und essen / und Wein in den Becher giessen und trincken / und das ist all gnug / was die Form und Gestalt des Nachtmals an ihm selber belanget. Ob man aber sitzend oder stehend solchs verrichten soll / von dem wollen wir keinen grossen Streit anfangen. Wir zwar verrichten es sitzend / nach dem Exempel der Jünger Christi / da Christus dasselbe Nachtmal eingesetzt hat: und ohn Zweiffel ist diß recht gethan. *Vicissim:* Daß aber etliche dieselbe Symbola kniend nehmen / und ihnen dazu ins Maul reichen lassen / halten wir für einen Aberglauben / welcher nicht weit sey / von der Päbstlichen Abgötterey. *Iterum ibid.* Endlich haben wirs dafür gehalten / auch das nicht zu verschweigen / nemlich daß es gar nicht nöthig sey / daß einer insonderheit / nemlich der Lehrer oder Prediger das Nachtmahl andern austheile / gleich als wenn er in demselben Christi Person und Amt referirte / wie es itzt fast überall dafür gehalten wird: Sintemal Christus der HErr solchs nicht befohlen hat.

109. Anima etsi immortalis, tamen ante resurrectionem mortuorum vivere proprie non dici potest, nec agere ergo quicquam nec pati.

Volckel. lib. 3. de Ver. Relig. cap. 11. pag. 71. Etiamsi autem hic spiritus natura sua sit incorruptibilis, proprie tamen loquendo, ut non moritur, ita nec vivit: sed vitam tantum, quamdiu corpori junctus est, efficit. Quare proprie loquendo nec immortalis dici potest. Immortalitas enim eorum demum est, quæ ipsamet actu vivunt. *Wolzogen. ad Matth. 4. v. 28. Tom. 1. Oper. fol. 275.* Proprie loquendo, neque corpus neque anima occiditur. Nam neque hæc sola, neque illud solum habet vitam, sed homo vivit per conjunctionem animæ cum corpore. *Smalz. contra Smigl. Refut. lib. 1. de Error. Arrian. cap. 14. fol. 147.* Vivere animam ambigue dicitur. Eatenus enim tantum vivere dici potest, quatenus est aliquid incorruptibile natura sua: NB. vel quod olim reddenda sit fidelibus in adventu Christi. Rursus vero, quia actiones nullas sine corpore exercere, nec ulla voluptate frui potest, non isto modo vivere potest, quo ea vivunt, quæ per se subsistunt, ut Angeli. *Smalz. contra Franz. Disp. 7. p. 409.* Credimus enim cum sacra Scriptura, pulverem reverti ad terram unde sumtus est, Spiritum autem redire

ad

ad Deum, qui illum dedit. An vero Spiritus ille, qui ad Deum redit, & à corpore separatus est, sensu aliquo præditus sit, & an voluptate aliqua fruatur ante adventum Christi, & ante conjunctionem istam novam Spiritus cum corpore glorificato, quod Deus olim daturus est credentibus, valde dubitamus, imo aliter rem se habere credimus. Nempe quemadmodum corpus sine spiritu cadaver est: sic vicissim spiritum sine corpore nullas actiones exercere posse. *Idem in Exam. CLVII. Error. contra Smigl. Err. 98. fol. 28.* Animæ extra corpus neque cruciatu neque gaudio affici queunt, quia sensu omnino carent. *Denique Socin. Epist. 5. ad Volckel. fol. 489.* Id mihi videtur statui posse, post hanc vitam, animam sive animum hominis non ita per se subsistere, ut præmia ulla pœnasve sentiat, vel etiam ista sentiendi sit capax, quæ mea firma opinio facile potest ex Disputatione ista colligi: -- Satis apparet, me sentire, non ita vivere post hominis ipsius mortem animam ejus, ut per se præmiorum pœnarumve capax existat. *Hinc quoque negant Sociniani ante Diem judicii dari ecclesiam in cœlis triumphantem. Smalz. contra Franz. Disp. 8. p. 273.* Error est, dum thes. 25. Ecclesiam invisibilem partitur Franzius, in triumphantem & militantem. Nulla enim revera nunc est triumphans, sed olim futura est, cum Christus Jesus venerit redditum unicuique secundum opera ipsius. Nec quicquam huc facit locus *Lucæ. 20.* Quo dicitur Abrahamum, Isaacum & Jacobum, vel (si ita velis) omnes fideles Deo vivere. Potest enim is Deo vivere, qui nunc nullus est, modo constet, eum olim iterum victurum in æternum. Et certe non id propositum erat Domino Jesu, ut demonstraret, Abrahamum, Isaacum & Jacobum nunc esse reipsa, sed eos ex mortuis resurrecturos. De hoc enim & non de illo quæstio erat instituta. Et si Abrahamus, Isaacus & Jacobus ex mortuis sunt resuscitandi, quomodo nunc vivunt reipsa Deo? cum resuscitatio aliud nihil sit, quam hominis, qui existere desierat, iterata existentia.

110. *Impios ignis infernalis plane aliquando consumet & ipse tandem peribit.*

Socin. Tom. 1. Oper. fol. 178. in 1. Johan. 2. Apostolum, dum ait, mundum transire, significare voluisse, non modo vitam hanc mortalem desituram; sed etiam EOS PLANE DESITUROS, & in æternum perituros, qui ea sectati fuerint, quæ isti mortali vitæ maxime ac proprie accommodata. *Et in Compendiolo cap. 8. §. 4.* Peracto Judicio, impios,

impios, qui tunc vivi erunt, in ignem æternum, una cum diabolo, iri detrusum. *Matth. XXV.* Ita videlicet, ut SEMEL OMNES isto igne ABSUMANTUR. *Smalz. contra Franz. Disp. 7. p. 414.* Ignis *Marc. 9. v. 43.* inextinguibilis dici potest, quomodo etiam ignis, quo Sodoma exusta est, æternus appellatur, cum tamen hodie is nullus sit, quia scilicet æternum exitium attulit isti civitati. *Et pag. seq.* Quam absurda sit sententia hac de re Franzii, vel illud docere unumquemque potest, quod eadem sect. thes. 82. fateri cogitur, impios futuros etiam immortales, nempe in æternum opprobrium. Hoc vero nec usquam sacræ literæ comprobant, nec quicquam ex iis afferre posse videtur, unde sententia illa probari possit. *Et de divin. Christi. cap. 24. fol. 146.* Christus Diabolos & impios non tantum æternum delere potest: sed & actu igne æterno cremabit & funditus abolebit. *Crell. Comm. in 1. Cor. 15. v. 24. pag. 335.* Igni ergo æterno illi Christi hostes, de quibus hic sermo est, qui quidem sunt Diabolus & Angeli ipsius, vel saltem, quorum nomine isti quoque continentur cruciabuntur, & ita DELEBUNTUR DESTRUENTURQUE. *Et rursus pag. 332.* Satis ex sacris literis constare videtur, prius resuscitandos esse homines pios, & reliquos, qui superstites ex fidelibus reperti fuerint, immutandos & immortalitate induendos, antequam impii, qui sane hostes Christi sunt, igne æterno crucientur, & Diabolus cum suis Angelis ABOLEATUR. Diximus autem abolitionem mortis in resurrectione fidelium revera constitutam videri. Ea ergo reliquorum hostium Christi ABOLITIONEM antecedet. *Et pag. ead. paulo post:* Nihil restabit amplius, quam ut igni isto inextinguibili ipsimet (hostes Christi) PENITUS EXTINGUANTUR.

ARTI-



ARTICULUS II.

DE SCHISMATE
REMONSTRANTIUM IN BATAVIA.

JAcobus Arminius, antea Jacobus Hermannus, quibusdam per anagramma *vani orbis amicus* dictus, patria Veteraquinas s. vom Oudenwater, oppidulo Bataviæ, quod Isala interlabitur, A. 1560. in lucem editus est. In prima pueritia cum patrem amisisset, Pastor ejusdem loci Theodorus Æmilius perspecta indole ejus optima, linguis & artibus erudiri eum curavit; mortuo autem illo sene rationem ejus porro habuit Rudolphus Snellius, qui & postmodum ob Hispanorum tyrannidem Batavia excedens, hunc suum concivem Marpurgum secum abduxit; eum porro inde reducem Petrus Bertius senior Pastor Roterodamensis amicorum rogatu in ædes suas recepit, & cum filio suo Petro, qui postea Arminiano quoque dogmati adhæsit, in Academiam Lugdunensem misit. Magnam ibi gratiam iniit ap. Lambertum Danæum, qui pro eo ap. Senatum Amstelodamensem intercessit, ut publicis sumtibus Genevam ad audiendum Theodorum Bezam mitteretur; sub discessum cum Theologica Facultas Doctoris illi titulum offerret, modeste illam dignitatem recusavit. Basileæ plurimis præcipue autem Grynæo in deliciis fuit, plerisque admirationi. Hinc fama celebris Peripatetici Jacobi Zabarellæ Patavium concessit, Romam quoque salutavit, inde rursus per Gallias in Bataviam rediens per quindecim annos Amstelodami Ecclesiæ pastor, post Francisci Junii & Lucæ Trelcatii Senioris obitum ad Theologicam professionem in Academia Lugduno Batava vocatus, à Francisco Gomaro Doctoris titulo ornatus, eidemque collega additus est. Quæ vero postea inter hos ipsos discordiarum occasio extiterit, multo altius repetendum hoc loco videtur. Primum itaque Hardenbergius quidam, Pastor Ecclesiæ Emdensis tempore reformationis acriter in Papatum invehebatur, illiusque disci-

pulus Clemens Martini A. 1554. de Prædestinatione conditionata librum divulgabat, qui cum Heinrico Antonidi Professori Theologo in Academia Franequerana probaretur, cœpit quoque passim & ab aliis laudari atque in pretio esse, adeo ut fere in universa Provincia Ultrajectina, neque exigua Doctorum pars in Hollandia & Frisia illi sententiæ adstipularentur: Contra autem è Galliæ finibus in has præcipue Wallonicas terras delati, Calvini hypotheses sequebantur, & quoniam ab illorum partibus Princeps Arausionensis stare videbatur, non dubitabant illi Margarethæ Parmensi Gubernatrici provinciarum inferioris Germaniæ fidei suæ Confessionem A. 1567. exhibere. Etsi vero dogma de absoluta prædestinatione novum haud paucis videbatur, eidemque adeo se opponebant Johannes Isenbrandus Pastor Roterodamensis. Gellius Snecanus Pastor in Frisia: Johannes Holmannus, Professor Theologiæ in Academia Lugdunensi, & Pastor ibidem Casparus Kohlhasius, Hermannus Herbertus Pastor civitatis Dordracenæ, Cornelius Meinardus & Cornelius Wiggerts Pastores Hornani, aliique plurimi; quia tamen adversa pars è re sua non putabat rigidum suum dogma rigidius persequi, tolerantiam inter se mutuam fovebant. Successu autem temporis Ministri Ecclesiæ Delphensis librum ediderant, cui titulus: *Responsio ad argumenta quadam Beza & Calvini in Tractatu de Prædestinatione & ad cap. 9. Epistolæ ad Romanos. Eum libellum*, ut refert P. Bertius junior in Vita Arminii, quæ operibus ejus præmitti solet, *beatæ memoriæ D. Martinus Lydius, qui ante Pastorem egerat in Ecclesia Amstelodamensi, tunc vero Professorem agebat in nova Frisiorum Academia, transmiserat ad Arminium, cujus & ingenium sagax, & judicium acre, & vim in docendo ac refutando mirificam partim fama acceperat, partim ipse expertus fuerat. Neque erat omnino ab hoc instituto Arminius alienus; recens enim ex Schola Genevensi auribus circumferebat sonum lectionum & argumentorum D. Bezæ. Accingit ergo sese operi: sed dum molitur refutationem, dum argumenta utrinque expendit, dum confert Scripturas, dum se torquet & fatigat, vero victus, primum secutus est sententiam illam, quam impugnabat: postea vero in eam divina Virgula & Spiritus Sancti ductu delatus est, quam ad finem usque vitæ constanter asseruit.* Meditabatur vero refutationem illam non modo: sed simul etiam nova dogmata, cum adhuc, uti supra diximus, verbi divini minister in Ecclesia quadam Amstelodamensi

mensi esset; ideoque scripserat A. 1597. ad Uytenbogardum Hagiensis Ecclesiæ pastorem h. m. *Demersa est veritas etiam Theologica in puteo profundo &c. Utinam Deus veritatis illam aliquando ad animi mei tranquillitatem invenire concedat.* Illa vero dogmata hauserat non quidem solum è sententia adversariorum Bezæ & libro illo de prædestinatione, quem impugnare constituerat: sed cum per Andream Voidovium & Christophorum Ostorodum, sicuti in præcedenti Socinianorum Historia scripsimus, hæresis illa passim quorundam Fausti Socini aliorumque illius sectæ librorum publicatione in Belgio quoque spargeretur, avida in Arminio novitatis indoles ex his ipsis virus concepit, quod cum adhuc in Ecclesia Amstelodamensi textus sacros pro suggestu explanaret, sensim auditoribus suis propinare non dubitavit. Testis illius rei explicatio capitis septimi ad Romanos, testes ejus novem orphani in præfatione illius dissertationis de vero & genuino sensu ejusdem capitis ad Wilhelmum Bardesium Toparcham in Warmenhuysen, in qua post medium illi sic inter cætera: *Cum postmodum in Ministerio Ecclesiæ Amstelodamensis Epistolam ad Romanos explicandam pro concione sumsisset, pervenissetque ad hoc ipsum caput, super cujus recepta interpretatione, jam scrupulum in animo suo sentire cœperat, eo quod videretur extenuare regenerationis gratiam, & pietatis zelum studiumque minuere*, si sc. ex recepta sententia Apostolus de se ut jam regenito verba ibi faceret; sic enim iidem hæredes paucis lineis interjectis: *Buceri & Musculi in hunc eundem locum deprehendit receptam interpretationem non posse ferre censuram veritatis: sed locum omnino esse intelligendum de homine sub lege existente, in quo lex omni suo officio defuncta sit, qui proinde contritus in animo suo propter peccata, convictusque de impotentia legis ad se salvandum, liberatorem quærat, sitque (NB.) non quidem regenitus, sed in proximo gradu ad regenerationem, quemadmodum eum etiam publice pro suggestu explicuit, existimans hoc sibi per libertatem prophetiæ (quæ semper in Ecclesia locum habere debet) licere.* Legerat sc. Prosperi Dysidei nomine, revera autem Fausti Socini de scopo capitis septimi ad Romanos Tractatui de peccato & peccatorum remissione A. 1591. attexta folia, in quibus sic ille fere circa init. *Septimum caput Epistolæ ad Romanos compluribus occasionem dedit credendi, in homine per Christi Spiritum regenerato dum hic vivit, peccatum & vitiositatem perpetuo habitare, adeo, ut non bonum quod velis, sed malum*

 quod

quod nolit faciat, atque ea cuncta habeat & experiatur adhuc mala, quæ sibi ipsi tribuere eo loco Paulus videtur, qua opinione vix quicquam perniciosius in universa Christiana religione excogitari posse existimaverim. Quocirca rem haud inutilem me facturum sum arbitratus, si quam brevissime fieri posset, Paulum sub sua ipsius persona non de se ipso, aut certe non de se, tanquam Christi Spiritu reformato, locutum fuisse ostenderem &c. Dico igitur Paulum prædicto capite septimo Epist. ad Rom. sui ipsius nomine non se ipsum jam per Christi gratiam regeneratum: sed hominem divinæ gratiæ expertem, quem modo ante legem vel sine lege, modo (idque potissimum) sub ipsa lege considerat, significare voluisse: Nimirum ex hac perversa interpretatione Socinianorum fluunt alia quoque Socinianis & Arminianis communia dogmata: Nimirum posse hominem regenitum vita sua mandatis Jesu Christi exacte respondere, eadem differre à lege Mosis, esse quoque alium justificandi & salvandi modum in Novo atque olim fuerat in Veteri Testamento: fidem qua justificamur & salvamur esse obedientiam illis Christi mandatis præstitam, quæque ejus generis longe adhuc plura sunt, ab Arminio postmodum & nunc etiam à Pietistis defensa. Quid vero si scopus locusque concederet, è rerum Belgicarum scriptoribus ostenderemus, magnam Arminio cum Ostorodo & Voidovio ea tempestate intercessisse familiaritatem, illum ipsum passim legendas dedisse plurimis Socinianorum Chartulas, acumen & eruditionem istorum hominum laudasse, & dixisse, *eos multam attentæ considerationis materiam præbere?* legi tamen ejus rei saltem capita possunt ap. Benthemium pag. 633. in init. Sed enarrent nobis hæredes, quo hæc eventu; paucis enim interpositis subjiciunt: *Hæc diligentia in tractandis scripturis, hic candor cum laude & commendatione singulari essent digna, præsertim apud Ecclesiasticos: ita tamen excepta fuere à nonnullis (quos minime omnium decebat) Zelotis, ut per illos non steterit, quo minus autor loco præmii noxam & infamiam aufferret.* Et fol. seq. *Ea ratione multi ex illis qui ante ipsi amici & familiares, tanquam ab illo, qui antiquos terminos loco moveret, alieniores fierent, sensim publice & privatim vel data vel captata occasione sinistre de ipso loqui inciperent, nonnulli quoque satis aperte nuncium ipsi mitterent, quin & totus Ecclesiasticorum Zelotarum chorus alii ab aliis concitati, in ipsum commoveretur.* Hinc enim illa primum *amica collatio cum Francisco Junio:* Hinc illa contradictio plu-

plurimorum, cum in locum Junii ad Theologicam Professionem in Academia Lugduno Batava vocandus esset, quam precibus tandem suis & sollicita intercessione Uytenbogardus Pastor Ecclesiæ Hagiensis, iisdem ab illo erroribus infectus, quique plurima apud Ordines gratia & autoritate valebat, illi impetravit. Istum vero locum ubi obtinuit, latius in Ecclesia per illos qui muneribus aliquando publicis præficiendi essent, hæresin istam disseminandi, *gnaviter omnem volvit lapidem* (verbis utor Friderici de Vry, Consulis Amstelodamensis in Historia sive Narratione de Turbis Ecclesiasticis in Hollandia p. 6. init.) *primo clanculum Juventuti novitatis avida & ad mutationem prona dubitationem de certitudine communis doctrina ejusque contemtum instillando & in eum finem ipsis scripta noxia peregrinosque autores commendando, deinde ipsos inflando opinione raræ cujusdam miraque subtilitatis & eruditionis, quæ in suis opinionibus laterent: contra nihil in communi doctrina contineri & apud priores Ecclesiæ reformatæ Pastores reperiri, quam quod mere triviale esset.* Palam denique Arminium clandestinæ cum Socinianis collusionis postulavit quoque Paræus Epist. A. 1609. d. 1. Martii: *Arminium vestrum Sociniani in Polonia expresse ut suum nuper nominarunt, una cum quodam Bonfinio & Acantio clandestinis affeclis, quorum autoritate postularunt à fratribus orthodoxis (Reformatis sc. in Polonia) fraternitatem: ii vero fortiter recusarunt.* Integra illa epistola legitur apud Wilhelmum Baudartium Histor. Eccl. lib. 1. Non potuit ergo officii ratione ad hæc omnino silere Franciscus Gomarus; Itaque A. 1608. in frequenti Hollandiæ Ordinum consensu Disputationem cum Arminio expetiit, cui postea quatuor Pastores additi sunt; Arminius autem excusatione infirmæ valetudinis usus postremum colloquium abrupit, domumque reversus Anno sequenti die 19. Octobris supremum diem obiit. Hactenus quidem in Academia Lugdunensi qui Arminio adhærebant studiosi, Arminiani; qui Gomaro, Gomaristæ vocabantur: post ejus mortem vero, cum quædam etiam civitates pro Arminianis intercederent, & libello supplici, quem Remonstrantiam dixere, ab Ordinibus peterent, ut incommodæ è confessionibus Belgicis & Catechesi Heidelbergensi hypotheses & loquendi simul rationes tollerentur: Gomaristæ vero Contra-Remonstrantiam, quo minus id fieret, exhiberent; manifeste jam in partes itum atque illi Remonstrantes: hi vero Contra Remonstrantes dicti fuere; quam etiam ob causam D. Joh. Hales Oxoniensis tum Decanus conventum Synodicum Sess. XVI. d. 29. Nov. his præcipue verbis affa-

tus legitur: *Fratres sumus & Collegæ. Quid nobis cum illo infami Remonstrantium, Contra-Remonstrantium, Calvinianorum & Arminianorum titulo? Christiani sumus: simus & ἰσόψυχοι: Unum corpus sumus, simus & unanimes.* Et sane nihil quidem ante Contra-Remonstrantes studii intermiserunt atque operæ, ut hi, qui à recepta in Belgio doctrina recesserant, ad ejus professionem reducerentur: sed cum Arminiani per Uytenbogardum & Hugonem Grotium plurimos ex ordinibus in suas partes pertraxissent, atque capita jam passim extollerent, causamque adeo suam in Magistratus Politici manus traderent, aperti id futuri schismatis non leve erat præludium. Edicto itaque caverant Ordines A. 1614. ut utrinque partes quiescerent, causam inter se modeste agerent, mutuaque charitatis officia exercerent. E Contra-Remonstrantium autem numero intercedebant Johannes Bogermannus & Sibrandus Lubertus, atque ostendebant, non spectare ad officium Magistratus civilis, ut illis de religione Controversiis se ingereret. Contra ejusdem Magistratus autoritatem defendebat H. Grotius libro: *Pietas Ordinum Hollandiæ.* Conversi itaque Contra-Remonstrantes ad Principem Mauritium, cujus merita in Rempublicam extabant longe maxima, quique plurimum apud Ordines autoritate poterat; in partes quoque suas perducebant Comitem Nassovium Wilhelmum Ludovicum, Gubernatorem Frisiæ; hisque adeo columnis suffulti, causam suam Synodi Nationalis decreto permittebant. Operæ pretium est considerare paucis, qua justitia judices lecti, quaque tandem pronunciarint. Admonitio Neostadiana eam nostratibus præscribens, si quando Calvinianorum controversiæ synodo ventilandæ forent cap. 8. pag. 37. ait: *Loquimur de tali synodo, quæ ad litem sacramentariam & alias ex ea natas dirimendas sufficiat. Hanc non oportere congregari tantum ex juratis in verba Lutheri aut Libri Concordiæ aut in ullam nostrarum vel alterius Ecclesiæ particularis confessionem, multæ gravissimæ & necessariæ rationes evincunt.* Conf. cap. 5. p. 26. cap. 6. p. 34. cap. 11. p. 58. seq. Sed in synodo Dordracena Sess. 4. art. 3. pag. 16. qua de indictione Synodi agitur, requiritur *ut sedeant viri spectatæ fidei & probitatis sive Presbyteri s. alia Ecclesiæ membra, quæ Reformatam profiteantur religionem.* Cum itaque Sess. 23. pag. 64. Ultrajectum Remonstrantes accederent, *moniti sunt amice, ut cogitarent, utrum dum ea res ageretur, inter Judices sedere, Synodicumque cum reliquis præstare juramentum vellent?* Illi ergo demonstrabant Sess. 25. pag. 72. utriusque partis consensu

rem

rem agi & decidi oportere. & pag. 71. contra Synodum assessoribus soli parti adversæ addictis constantem solenniter protestati sunt, provocaruntque Sess. 19. pag. 119. & seq. ad verba Paræi in Irenico: *Non esse necesse, ut ad concilia quispiam accedat, ubi unus idemque sit judex & actor futurus.* Monet porro c. 8. Irenici pag. 40. idem Paræus, *omnes evocandos & cogendos esse ad Synodum ab utraque parte præcipuos defensores dogmatum pugnantium.* Sed in Synodo Dordracena Sess. 33. pag. 400. Episcopius: *Unicum tantum & quidem præcipuum est, de quo non possumus non conqueri ap. vos, & coram toto mundo conqueri non desinemus: Antesignanos, Primipilos & ordinis nostri ductores, apud quos aquilæ nostræ hactenus steterunt (non qui munere isto inter nos functi sunt, sed quorum ætas, prudentia & eruditio illud nomen merentur) exauctoratos esse, & nobis quasi ademtos. Si quæratis, quando? paulo ante Synodum, pridie ejus diei, quo decretum hoc factum est, ut ad Synodum vocaremur, cum jam in procinctu staremus, cum de summa rei agendum esset, cum manus quasi conferendæ &c.* Præter hæc idem Paræus monet cap. 8. p. 41. *ut detur & servetur omnibus cujusque gentis aut partis fides publica, qua secure accedant & intersint Synodo, & ad suos redeant.* Sed in Synodo Dordracena Sess. 43. pag. 181. legitur: *Mandatum iterum Remonstrantibus, ne urbe excederent.* Sess. 46. p. 194. mandatur, *ne ex urbe, nisi scripto à Politicis hanc in rem peculiariter impetrato, se subducant.* Sess. 47. p. 203. *ne ex urbe sine venia delegatorum discedant.* Sess. 45. p. 192. *Heinr. Leo cum hoc mandato delegatorum dimissus est, ne sine ipsorum venia urbe excederet &c.* Similiter conqueruntur Remonstrantes Sess. 30. p. 125. *quod non liceat illis contrariam sententiam oppugnare*, ut scrupuli ex conscientia illorum possent eximi; Atque ibi responsum illis legitur: *de sententiæ contrariæ oppugnatione postea videndum, ubi suam prius defendissent.* Sess. 37. pag. 146. decernitur: *Remonstrantibus esse indicandum, ut se ad sententiam suam plene dilucideque proponendam pararent, non quantum ipsis, sed quantum Synodo ad plenam ejusdem cognitionem, justumque examen sufficere & necessarium videretur.* Territi denique sunt Remonstrantes brachio seculari, quod sæpe de injustitia in procedendo conquesti fuissent. Sic enim Sess. 28. p. 106. *Quod si aliqua in parte peccatum à Præside esset, cum lenitate id monendum fuisse: Remonstrantes autem nimia severitate sua modum excessisse &c. imprimis falsa illa criminatione, qua conventum illustrem, ut Schismaticum illegitimumque accusarent; qua in ipsum summum Magistratum, cujus jussu atque autoritate convocatus esset, cujusque delegati ipsius nomine huic Synodo interessent, eamque moderarentur, non redundare*

dare non posset. Et Seff. 46. p. 139. *Nisi morem gerant, fore, ut non modo Ecclesiastica in eos censura, verum & politica stringatur, prout agi cum iis solet, qui supremam publicamque contemserunt atque conculcarunt autoritatem.* Mox ergo quod ad libertatis jura nimis libere provocassent, eorundemque obtentu turbas darent, præcipui ex eorum numero in carceres conjecti, nonnulli vita privati, clerici loco moti, eorundemque cœtui Contra-Remonstrantes obtrusi, isti vero curribus eum in finem paratis adeo repente evecti finibus & ejecti, ut neque constituere ante de rebus suis domesticis, neque ultimum valedicere amicis tempus locusque daretur, miserrimeque apud hostes in Brabantia, nonnulli in Gallia itemque Germania hospitia quærere & vitam sustentare coacti fuerint. Prolixe ea legi possunt in Uytenbogardi Historia Ecclesiastica Belgica, cui Triglandius sub eodem titulo aliam opposuit: & in Epistolis Remonstrantium A. 1660. & 1684. uno volumine editis & superadditis. Brevibus, ut solet, rem totam complectitur Brachelius A. 1619. in Hist. sui temp. lib. 1. pag. 21. circa fin. & seq. *Igitur superantibus Gomaristis Arminiani damnati, jussique dominio fœderatorum Ordinum excedere, captis jam ante & Hagam in custodiam missis Johanne ab Olden Barnefeld, Advocato Hollandiæ, Ægidio Ledenburgio Ultrajectino, Rumoldo Hogerberto Leidensi, & Hugone Grotio Roterodamensi Syndicis. Hæc primaria adversariorum capita censebantur rebus novis haud occulte studuisse. Barnefeldio multa objecta, quæ contra publicam pacem molitus esset: sed capitale reo fuit, quod caput judicii principem Mauritium infestum & adversarium habebat.* Libet hinc paulum divertere & ex Apologia ejus paucula huc referre, quæ à capite ad calcem inserta est continuationi Thuani lib. 9. p. 835. & seq. ut discat posteritas, quæ bene de Republica meritis, rebus commutatis, gratia rependi soleat; in ea autem columna b. circa fin. sic scribit Barnefeldius: *Nihil attinet hoc loco commemorare, quam enixe Illustrissimum Principem Mauritium & Heinricum filios ad Reipublicæ gubernacula evexerim: quanto studio executus sim, quæ mihi mandavit &c. Millies gradus atque iterum millies ipsius cubiculi ascendi, ut illius voluntatem ad vestram conformarem & ipsum rerum notitia instruerem &c. Quotiescunque voluit ipsi præsto fui, nec ipsum unquam deserui.* Et p. 836. col. a. *Dici non potest, quam ægre tulerim dissidium inter Remonstrantes & Contra-Remonstrantes ortum, quod ut mature componeretur, omnem curam & diligentiam adhibui, mea opera effectum est, ut opinio Arminii intra privatos parietes, viris quibusdam Ecclesiasticis præsentibus & actionem moderantibus examinaretur. In eum finem*

finem colloquium habitum Northvici, Academia Leidensis Decani: postea in pleno conventu, coram aliquot Ecclesiæ ministris utriusque partis inter Gomarum & Arminium disputatum fuit. Ego vero non magis in unam quam alteram sententiam propendeo, & placuit mihi: sapiens Regis Magnæ Britanniæ judicium, utramque opinionem citra præjudicium veritatis, & salva concordia ac charitate Christiana retineri posse. Plurima sunt, quæ ibi imprimis ad rem facientia sequuntur: sed quæ mihi jam ad finem properanti relinquenda. Pergam itaque in recitandis Brachelii verbis: *Igitur mense Majo Hagæ in solenni Ordinum consessu* (Barnefeldius) *damnatus, in aula Mauritiana capitis supplicio affectus, anno ætatis tertio & septuagesimo, capite incurvo, & baculo innixus. Dum floruit, rerum politicarum scientissimus & Reipublicæ suæ Cato habitus. Certe magnorum Europæ Principum consiliis immixtus. Lederbergius voluntaria morte damnationem & longiores cruciatus anteverti, infamiam non evasit. Cadaver loculo inclusum atque è furca suspensum est. Hogerbertius & Grotius perpetuis carceribus addicti, è quibus Grotius non multo post deceptis Custodibus elapsus, Antwerpiam primum deinde Lutetiam Parisiorum liber appulit.* Legatur ejus Historia Carcerum & aliquot Epist. ad Gallos. Quamobrem non abs re graviter de hac sævitia conqueritur Simon Episcopius in Apologia s. Examine Censuræ Profess. Leydensium ad cap. 24. fol. 260. b. & seq. *Damnatos, proscriptos, relegatos & omni persecutionis genere vexatos vidimus, jam per decennium & quod excurrit, pene ducentos pastores ex consilio & instinctu eorum, qui Reformatorum ministrorum titulum sibi vendicant. Docent id præter arcem Lopensteiniam, in qua præclaræ illæ & nunquam satis laudata animæ Ecclesiarum suarum & patriæ nostræ ornamenta, Carolus Niellius, Petrus Cupus, Bernherus Verzeckius, Simon Lucæ, Arnoldus Geisteranus, Theodorus Bomius pauperrimo victu & arctissima custodia incarceratæ detinentur; libelli supplices, consilia, studia & molimina eorum, quæ jam in propatulo sunt, & tot & tam crebra, ut ea jam pene fastidiat nostrum Belgium &c.* pag seq. *At consilia lenta suggerunt. Nempe ergastula, carceres, proscriptiones æternas, etsi iis non pareatur, cædem ac sanguinem. Hæc lenitas ipsorum est, cujus vestigia leget posteritas in variis Belgii civitatibus, quæ adhuc à cæde innocentum rubent & rubebunt cum æterna Reformatorum infamia.* Sed quia post obitum Principis Mauritii, cum successore illius Heinrico nova lux Remonstrantibus oborta videbatur, remitti fervor in animis hominum cœpit, & Ecclesia adeo illorum

paulatim decrescere; quamobrem de duobus præcipuis illius propugnatoribus dicere adhuc restat, nimirum de Simone Episcopio & Stephano Curcellæo, quorum adhuc vasta scriptorum volumina extant. Et Simon quidem Episcopius natus est Amstelodami A. 1583. patre Ecberto Remberti Episcopio, matre Gertruide Johannis, qui mediocri sorte decem progenuere liberos, è quibus tamen duo saltem nimirum noster Simon atque frater ejus Johannes superstites mansêrunt. Simon quod prima jam ætate illustria ingenii & industriæ specimina ederet, studiis consecratus est, & subsidia ultro eam in rem illi subministravit Cornelius Bennig vir consularis. In schola publica teste illius Rectore Petro Vokemanno perbrevi spacio eos in Græca Latinaque lingua progressus fecerat, ut à Senatu in numerum alumnorum reciperetur. Nimirum Batavis majori studia curæ solent esse atque hodie nostris Germanis. Anno itaque 1600. Lugdunum missus in Collegium publicum Illustrium Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinum, cui tum præerat Johannes Kuchlinus antea Ecclesiastes Amstelodamensis. Biennio post patrem, mox quoque matrem amisit. A. 1606. Titulo Magistri in Philosophica Facultate à Matheseos ibidem Professore Rudolpho Snellio ornatus est; Inde præceptoribus usus Francisco Gomaro, Luca Trelcatio & Jacobo Arminio totum se Theologiæ tradidit; Cum vero succedente tempore Arminio præcipue adhæsisset, illa frequens cum eodem consuetudo obstitit, quo minus Amstelodami Sparta Ecclesiastica potiretur. Post illius ergo obitum fama Johannis Drusii in Academiam Franequeranam allectus, eo quod in disputando fervidior erat, odium quoque ibidem Sibrandi Lubberti in se concitavit. Anno autem 1610. à Senatu Roterodamensi ad obeundum pastorale munus in pago Bleswyck vocatus, ejus tamen jam anno seq. autoritatis apud suos habitus, ut ad Colloquium Hagæ Comitum instituendum mitteretur. In Synodo postea mascule Remonstrantium causam egit, & pleraque scripta, quæ eorundem nomine Synodo exhibita fuere, eum autorem agnoscunt; Cum vero, sicuti diximus; ob constantem doctrinæ professionem una cum aliis Belgio excedere cogeretur, non destitit calamo id persequi, quod ore cœperat; præter Confessionem fidei enim in quam omnes Remonstrantium Ecclesiæ consensere, Antidotum quoque edidit ad-

versus

versus Synodi Dordracenæ canones. Post in Gallias concessit, & Parisiis cum Stephano Curcellæo amicitiæ jura sancte coluit, eundemque in partes suas allexit. Inde cum plurimas Galliæ civitates, in quibus Reformatæ Ecclesiæ libero adhuc Religionis exercitio fruebantur, perlustrasset, & persecutionum æstum Contra-Remonstrantes in patria nonnihil deferbuisse audiret, relicta Gallia Roterodamum se vicissim contulit, ibique Ecclesiæ Remonstrantium satis frequenti fidelem operam præstitit, conscripsit tum temporis Apologiam s. Responsionem ad Censuram Professorum Lugdunensium, qua certe communi Remonstrantium nomine, audacter in Contra-Remonstrantes non tantum invehitur; sed Sociniana etiam dogmata sibi non admodum displicere satis aperte profitetur fol. præcipue 20. b. & 107. b. nec non fol. 111. a. &c. Anno 1634. Amstelodamum vocatus, ut ibi Seminario Remonstrantium præesset, quo illi erudiuntur juvenes, qui ibidem in spem Ecclesiæ aluntur. Anno tandem 1643. cum ischuria conflictari cœpit, & adeo quidem graviter, ut undecim dierum spatio ne guttulam quidem urinæ reddere potuerit, amissa itaque primum videndi facultate, mox reliqui etiam sensus officium facere desierunt, & morbo adeo, quo ultra duos menses decubuerat, plane defatigatus die quarta Aprilis animam tandem exspiravit. Curcellæum quod spectat, natus ille Genevæ A. 1586. d. 2. Maij Patre Firmino Ambianensi, cujus frater in patria Advocatus non incelebris: matre Abigaele, Michaëlis Coxii Parisini, Ecclesiæ Genevensis Pastoris filia. Pastor tempore Laniênæ Parisiensis Lugduni in cella quadam ab homine Pontificio tres dies atque noctes occultatus, urbe tandem incolumis evasit. Vix vero Stephanus lucem aspexit, cum brevi post parens eam amisit, à proximo ergo consanguineo Carolo Perotto Pastore Parisiensi educatus, ephebis jam excedens ad studia in Genevensi Lyceo persequenda missus est, cumque ea tempestate Renati des Chartes philosophandi ratio pluribus ibidem placeret, eidem se quoque addixit, in studio autem Theologico potissimam operam collocavit, Theodori Bezæ institutione usus; profectus inde Tigurum, & postea in Academiam quoque Basileensem, ingenio & industria utrobique viris doctis haud vulgariter se commendavit. Statuerat quoque Lugdunensem Aca-

demiam invisere, sed nuncio de Arminii morte accepto in patriam reversus est, ubi A. 1614. Fontis bellaquæ Ecclesiastico muneri admotus, & A. 1621. ab Ecclesia Ambianensi in Picardia ad idem munus obeundum vocatus est. Per decennium quoque ecclesiæ urbicæ Vitriacensi totius Campaniæ celeberrimæ nempe usque ad Annum 1634. Pastor præfuit; sed quod in Canones Synodi Dordracenæ consentire porro non posset, Amstelodamum se contulit, ibidemque prælo typographico Hugonis Grotii rogatu inservit, quo Annotationes ejus in Evangelistas correctius in lucem prodirent. Ea temperantia vitam transegisse perhibetur, ut nunquam genio liberalius indulsisse visus auditusve sit. A. 1648. ex ulcere vesicæ gravissime laborare cœpit, atque in eundem morbum cum A. 1657. recidisset, ipso Ascensionis Christi festo hac vita emigravit, plurimis scriptis memoriam suam posteritati commendare instituit, in quibus eminent seqq. Polemica: nempe Vindiciæ sententiæ Arminii de jure Dei in creaturas contra Mosen Amyraldum Theologum Salmuriensem: Defensio Davidis Blondelli adversus Samuelem Maresium pro Johanna Papissa, cujus Historiam inter fabulas referendam evincere satagit: Quaternio dissertationum Theologicarum adversus eundem Maresium, quibus certe adeo fidem perdidit, ut à Sandio non immerito inter Socinianos relatus sit in Biblioth. ejusd. pag. 109. & seq. Dissertatione quoque alia de esu sanguinis, multis rationibus nititur ostendere, Christianis ut olim, ita nunc quoque ab omni esu carnium abstinendum esse. Restat denique ut eorum nunc scripta huc referam, qui potissimum heterodoxiam Arminianorum impugnarunt. E Reformatis itaque primus adversus eos insurrexit Franciscus Gomarus, edito Specimine doctrinæ Arminianæ. Itidem Wilhelmus Amesius in Coronide ad Collationem Hagiensem, Anti-Synodalibus & Refutatione Nicolai Grevinchovii. Petrus Molinæus in Anatome Arminianismi, cui quidem Joh. Arnold. Corvinus Censuram opposuit: sed istam vindicavit Antonius Walæus. Leydenses Theologi Censuram quoque ediderunt Confessionis Remonstrantium, & cum Episcopius Apologiam scripsisset pro Censura illa, vicissim Leydenses Specimen heterodoxias, ex illa Apologia, stiterunt. Jacobus Triglandius simul Apologiam Libro de Trina Gratia refutavit; seorsim quoque Dissertationes de voluntate Dei edidit.

dit. His acceſſit Abraham Heydanus in Examine Catechiſmi Remonſtrantium. Nicolaus Vedelius Arcana Arminianiſmi luci commiſit, cum iis oppoſuiſſet Curcellæus Vedelium Rapſodum, Vedelius illum libro tertio Arcanorum ſuſtulit. His omnibus acceſſere, qui facta collatione Arminianos palam Sociniſmi poſtularunt, quod è ſola confeſſione primus oſtendere auſus eſt Bodecherus: ex Apologia vero etiam & reliquis eorundem ſcriptis Johannes Peltius. Inter noſtratium vero ſcripta contra Arminianos eminent Abrahami Calovii Conſideratio Arminianiſmi, Balthaſaris Bebelii Septicifmus Remonſtrantium. Chriſtophori Franckii Specimen Controverſiarum cum Arminianis & ejusdem Exercitationes Anti Limburchianæ; denique & Chriſtoph. Sontagius in Veneno Arminianorum ex illorum Apologia ejusdemque Auctario, quibus paſſim utiliſſimas Annotationes adſperſit.



DOGMATA ARMINIANORUM.

I.
DE PRINCIPIO ET ARTICULIS FIDEI.

1. Testimonium Spiritus S. internum ineptum est ad agnoscendam Scripturæ S. divinitatem.

Apol. cap. 1. fol. 27. a. Quomodo, dic sodes, mi Censor, testimonium Sp. S. maxime efficax est, ad eximendum dubitationem de libris Canonicis, ex fidelium animis, si fides de libris Canonicis non supponitur in animis istorum fidelium producta sine testimonio Spiritus Sancti? *Et ib. in fine.* Sic per testimonium Sp. S. non eximeretur dubitatio fidelibus, sed infidelibus, ad credendum alioquin non tantum ineptis, sed prorsus impotentibus, imo à credendo alienis atque aversis fides insereretur. Infidelibus itaque & Sp. S. expertibus convincendis testimonium hoc Sp. S. serviet; At hoc ipsum est quod disertis verbis negat Censor. *fac. b.* Quicquid sit, certum est testimonium hoc Sp. S. etiam sic non concessum iri nisi fidelibus: quia omnes infideles esse ac manere necesse est, quibus hoc lumen Spiritus Sancti non affulget, & quibus affulget, eos infideles manere impossibile est ex Censoris hujus sententia. *Episcop. Disp. 1. Thes. 7.* Testimonium Spiritus Sancti internum, ad hoc ut Scripturam divinam esse, & authoritatem divinam habere intelligatur, necessarium non est. *Limburch. lib. 1. cap. 4. §. 17. pag. 16. 6.* Esse talem Spiritum nemo scire potest, nisi ex Scriptura: & Spiritus suggestio etiam ad Scripturam, tanquam Lydium lapidem, exploranda est. Præsupponi ergo & agnosci debet Scripturæ divinitas, antequam certus esse quis possit, testimonium quod in corde suo sentit, esse Spiritus Sancti testimonium: alias via panditur ad Enthusiasmum.

2. Non renati etiam genuinum & salutarem Scripturæ sensum capere possunt, tantum abest, ut Spiritus S. specialis illuminatio requiratur.

Apol.

Apol. fol. 34. in fin. Ex eo vero quod Remonstrantes sensus Scripturæ necessarios cognitu, ab homine sine interna & speciali illuminatione Spiritus S. intelligi posse statuunt, concludere velle: ergo etiam statuunt, sensum illum Scripturæ, fide accipi atque obedientia compleri posse; usque adeo ineptum & absurdum est, ut nihil supra; Nam certum est Diabolos ipsos Scripturæ S. sensus necessarios cognitu & creditu ad salutem, clare intelligere, quos tamen Censor credere posse atque obedire Deo juxta sensus illos non dicet opinor; Diabolos autem posse intelligere sensus necessarios, id unum evincit, quod seducere homines à fide atque obedientia eorum sensuum, omni studio conentur. *Episcop. disp. 46.* An ulla operatione Spiritus Sancti, sine ullo alio medio opus sit, in voluntate, aut intellectu, aut in Scripturis promittatur ad hoc ut quis credat verbo externe proposito? Nos negativam tuebimur. *Item Disp. 3. de script. persp. th. 3.* Ad hanc intelligentiam consequendam, aliud necessarium non est, quam vis apprehendendi & percipiendi sensum illorum verborum, quæ clare & significanter proponuntur; quæ vis naturalis est, & omnibus ratione præditis communis in omni statu. Unde nec quæsita multo tempore eruditio, nec operosa & elaborata consequentia, nec aliud ullum supernaturale lumen potentiæ superinfusum, eamque elevans ad hanc intelligentiam eliciendam, necessario requiritur. Affectus etiam intercurrentes, qui vim intelligendi obnubilare & opprimere quandoque videntur, non ipsam intelligendi potentiam, sed voluntatem vel intelligendi actum impedire dicendi sunt. *Limburch lib. 1. cap. 6. §. 6. pag. 23. b.* Conceptus autem illi de rebus in omnibus hominibus sunt uniformes, adeo ut, si rem aliquam mente sint concepturi, licet unus distinctiorem & perfectiorem quam alter, omnes tamen eandem illius ideam formaturi sint. Vocabula autem, quibus conceptus suos aliis repræsentant, singna sunt conceptuum; adeo ut, quodcunque homo mente concipere potest, etiam ore proferre ac scripto exprimere possit: quæ enim homo distincte percipit, sensum in se continent intelligibilem: omnis autem sensus intelligibilis ore ac scripto exprimi potest. Verba ergo sunt signa ac repræsentamina cogitationum humanarum, non tantum respectu illius qui verbis illis utitur; sed & ejus, coram quo verba usurpantur; adeo ut eandem cogitationem, quam ille verbis hisce utens in mente sua habuit, etiam producant in animo audientis. *§. 22. p. 27.*

Quæ-

Quæstio solummodo est, de nuda simplicique sensuum ad salutem necessariorum intelligentia; an videlicet requiratur illuminatio specialis ac regeneratio per Spiritum S., ut homo, Scripturam legens, sensus ad salutem necessarios, ea comprehensos, intelligere possit? an vero propria sua luce ita sit accommodata menti nostræ, ut sensus illi ad salutem necessarii illa comprehensi, ab unoquoque mentis suæ compote, solo rationis naturalis lumine intelligi possint? Nos posterius hoc affirmamus.

3. Nulla quoque omnino, quin inepta admodum est distinctio inter sensum Scripturæ Grammaticum & Spiritualem.

Apol. cap. 1. fol. 33. a. Quis tandem est sensus iste Spiritualis quem à sensu Grammatico distinctum esse vult? An est sensus, qui in sensu isto Grammatico continetur, sed una cum Grammatico percipi non potest? an sensus, qui à Spiritu S. menti hominis superfunditur, postquam is Grammaticum sensum adsecutus est, aut ut sensum Grammaticum & literalem adsequatur? *Et fol. b.* Sed quocunque tandem modo sensum hunc spiritualem sensu Grammatico contineri dixerit Censor, concludendum tandem ei erit, dogmata omnia Scripturarum quæ quidem ad salutem cognitu sunt necessaria, semper duplicem continere sensum: Unum qui intelligi potest ab homine, etiamsi animalis tantum sit; alterum qui ab eo intelligi non potest; quo quid vanius & insulsius dici potest aut concipi? *p. 35. a.* Distinxisse itaque Remonstrantes inter potentiam intelligendi Scripturæ sensus, & sensibus istis credendi obediendiq; potentiam observasse debuerat. *Limb. lib. 1. c. 6. n. 22.* Aliud quippe est, Scripturam intelligere, aliud sensui Scripturæ intellecto, assensum præbere; Etiam irregeniti, profani, scelerati, athei, imo diaboli ipsi, sensus Scripturæ ad salutem necessarios intelligere possunt: assensum vero præbere illi soli, quorum in animis nondum omne honesti discrimen exstinctum est, quibusque ea remansere probitatis ac pietatis semina, ut majore Evangelii luce accedente, ad solidam pietatem ac vitæ æternæ amorem illius ope incitari possint.

4. Scriptores Sacri in Historia rebusque levibus memoria labi potuerunt.

Episcop. lib. 4. Instit. Theol. sect. 1. cap. 4. p. 232. Scriptores sacri potuere

tuere labi & reipsa lapsi sunt in rebus levibus & nihil ad salutem pertinentibus. *Et Disput. de Autor. Script. thes. 3.* Adeo ut nullus uspiam sensus, qui alicujus momenti quidem est, & ad religionem pertinet, reperiatur, de quo justa ratione dubitari queat, an divinus sit & an Deum authorem habeat. Minutuli & leviculi quidam sensus, qui ad speciem aliquam contradictionis, aut absurditatis non divini videri possent, quanquam eos pius religiosusque animus operose non consectetur, nec admodum curet. *Hornbeck in Socin. Confut. Tom. 1. lib. 1. cap. 1. sect. 1. p. 5. de Arminio:* Ita & Jacobus Arminius aliquando pro disputatione respondit, Apostolos quandoque quædam scripsisse non ex instinctu Spiritus Sancti, sed ex propria sententia & arbitrio, quod temere probare conabatur ex *1. Cor. 7. v. 12.* de quo Festus Hommius, in specimine Controvers. Belgic. ad Confess. artic. 3. & venerandus Collega D. Voetius, qui idem tunc audivit ex Arminio, atque annotavit in Catechism. Remonstr. qv. 11. pag. 15.

5. *In Veteri Testamento fidei in Christum nulla fit aperta mentio.*

Apol. fol. 91. a. Censor à Remonstrantibus expressam mentionem fieri vult fidei in J. Christum, quæ sub V. T. locum habuerit, cum fidei istius sub V. T. nec in toto Veteri, nec in toto Novo Testamento aperta mentio uspiam facta legatur. *Et vicissim:* Hujus autem fidei, qua in Christum moriturum creditur, mentionem expressam sub V. T. ut facerent Remonstrantes, fine ulla justa ratione ab ipsis petitur, cum certum sit, locum nullum esse, unde appareat fidem istam sub V. T. præceptam fuisse, aut viguisse: imo cum ex N. T. certum sit, communem Judæorum, ipsorumque adeo Apostolorum jam in Christum credentium, etiam post apertam de morte Messiæ mentionem, opinionem fuisse hanc, fore, ut Messias non moreretur, aut morte sua redemtionem fidelibus impetraret.

6. *Promissiones in V. Testamento tantum carnales & corporales sunt: in N. Testameno autem spirituales & æternæ.*

Apol. fol. 151. b. circa fin. Certum enim est præceptum fidei in J. Christum nuspiam in Vet. Testamento clare traditum extare, uti ne-

que in terminis promiſſio vitæ æternæ in eo extat. *Simon Epiſcop. Diſp. 12. theſ. 4. de fœdere Dei.* Differunt in eo, quod duorum priorum fœderum, nempe cum Abrahamo & populo Iſraelitico initorum promiſſa ſpecialia, ſub certo tantum bonorum temporalium genere, nulla diſerta, atque aperta vitæ æternæ mentione, in ipſa fœderis formula proponuntur; poſterioris vero promiſſa fere ſub diſerta, clara, apertaque vitæ ſempiternæ mentione proponantur. *Et Diſp. 14. de N. fœdere theſ. 8.* promiſſa V. Teſtamenti ſunt carnalia & temporalia ad hanc vitam præſentem ſolummodo pertinentia. Promiſſa Novi Teſtamenti duo ſunt, vitæ æternæ quæ remiſſionem peccatorum, & reſuſcitationem ex mortuis ſibi præcedanea habet; & Spiritus S. &c. *Limburch. lib. 3. cap. 16. §. 17. pag. 248. b.* Promiſſa legis, ſecundum literam accepta, erant temporalia, continebantque vitam in terra Canaan quiete ac feliciter tranſigendam: Evangelium autem diſertis verbis promittit vitam æternam: *cap. 17. §. 21. p. 255.* Si homo Jeſus Chriſtus ſit unicus ille Mediator, ſane Veteris fœderis Mediator non fuit; quia tempore promulgatæ Legis nondum fuit homo. *§. 23. pag. ead.* Legis promiſſa, ſaltem quoad literam, erant temporalia; generali promiſſo vitæ continebatur etiam vita æterna, eaque promiſſis particularibus rerum terrenarum tanquam typo adumbrata fuit; unde & multi ſub V. Teſt. eam exſpectarunt. Evangelium autem clara & expreſſa habet vitæ æternæ promiſſa.

7. *Optima Interpretatio Scripturæ eſt, quæ fit juxta rationis ductum, prout nempe ea judicat eam menti revelationis eſſe conformem.*

Confeſſ. cap. 1. §. 16. pag. 7. Optima autem Scripturæ interpretatio eſt ea, quæ ſenſum ejus nativum ac literalem quam fideliſſime exprimit, vel ſaltem quam proxime ad eum accedit. *Et viciſſim:* Senſum autem nativum ac literalem appellamus, non tam eum, quem verba proprie ſumta, præ ſe ferunt (ut quidem ſæpiſſime accidit,) quam eum, qui licet verba rigide accepta eum non inſinuent, tamen recte rationi & ipſi menti atque intentioni ejus, qui verba protulit, convenientiſſimus eſt: ſive ille proprie, ſive figurate enunciatus ſit. *Limburch. lib. 1. cap. 12. §. 5.* Sunt autem partes rationis in Scripturæ explicatione

hæ

hæ præcipuæ 1. ut regulas vitæ generales, Scriptura comprehensas, ad casus quoscunque speciales applicet: *Et vicissim* 2. Ut obscuros ac difficiles Scripturæ S. locos dextre interpretetur, ac proinde nullum Scripturæ sensum admittat, qui recte rationi repugnat, aut evidentem in sese absurditatem continet: quod enim tale est, à Deo, ac proinde Scriptura, revelatum esse non potest. Cui adhæret, ut nullum in Scriptura aut religione mysterium excogitet, quod recte rationi ex diametro repugnat. Non enim ratio revelationi, cum utraque à Deo sit, contraria esse potest. *Iterum* §. 6. *pag.* 47. 4. Quia nisi rationi hæ in religione partes concedantur, impossibile est ullum in Theologia errorem refutare: Nullus enim est, quin opinioni suæ textus aliquos Scripturæ prætexat. Si itaque rationi fas non est sensum, qui ex verbis elicitur, rejicere, tanquam absurdum & rationi adversum, sed nudis verbis acquiescere debet; maxime falsa & absurda, quin & contradictoria sibique repugnantia ex Scriptura elicientur.

8. Tantum ea ad salutem necessaria, sine quibus nemo debito modo præceptis Christi obedire, aut ejus promissis firmiter confidere potest.

Confess. cap. 1. §. 13. *pag.* 6. Necessaria autem ad salutem ea tantum esse intelligimus, sine quibus fieri nullo modo potest, ut quis vel præceptis Jesu Christi recte & prout oportet, obediat, vel divinis ejusdem promissis firmiter confidat: quæque proinde talia sunt, ut sine manifesta hominis culpa negari, ignorari, aut in dubium vocari nequeant. *Et cap.* 2. §. 2. *pag.* 9. Adeo ut sola notitia Dei salutaris dici mereatur, quæ cum praxi pietatis est conjuncta. Cætera vero huc pertinentia, etsi forte magis aut minus vel ad pietatem promovendum, vel ad incidentes quasdam religionis controversias melius intelligendum, ac felicius componendum utilia sint; pro necessariis tamen fidei dogmatibus, quæ citra salutis jacturam ignorari nequeant, haberi non debent.

9. Ea vero apud omnes Christianos in confesso & apertissimi juris esse debent, adeoque nec controversa in præsenti nec de quibus controverti olim possit.

Apol. pag. 12. Qui præter pauca illa, alia adhuc multo plura scitu ac creditu necessaria esse asserunt, iis declarandi ac probandi onus incumbit. Affirmantium est probare: Negantibus sufficit, si dicant se non videre, unde aut quomodo, præter pauca ista, quæ apud omnes in confesso sunt, alia plura adhuc necessaria esse ostendi aut elici possit. *Limburch. lib. 7. cap. 2. §. 12. pag. 901. col. b.* Ita liquebit, rarissimas de dogmatibus ad salutem necessariis inter Christianos esse controversias, sed unanimem ferme omnium, qui Scripturis debitam exhibent reverentiam, in illis esse consensum.

10. Qui Symbolum Apostolicum recipiunt, & vitam præceptis Christi conformem agunt, pro fratribus in Christo habendi sunt.

Apol. cap. 1. pag 38. fin. Hæc omnia etsi talia sint, ut de Symbolo hoc Apostolorum, quod vocatur, prout nunc à nobis legitur, dubitari non injuria possit, imo credi pene debeat id ab Apostolis ipsis, aut Apostolica autoritate scriptum non fuisse: tamen Remonstrantes, ut quanto in pretio illud habeant, declararent, totum illud, tanquam formulam, in quam universus consentit Christianismus, & merito quidem, declarationi suæ inseruerunt. *Limburch. lib. 7. cap. 22. §. 14. p. 911.* Quis determinabit necessarium ad communionem Ecclesiasticam, quod ipse nec ad fidem nec ad salutem necessarium credit? An id cujusque Ecclesiæ particularis judicio determinabitur? At ubi ea Ecclesiis autoritas concessa? 2. Uno tempore ad communionem Ecclesiasticam necessarium erit, quod alio tempore non necessarium: liberum nempe erit, quamdiu ab Ecclesia non est determinatum; accedente Ecclesiæ determinatione, fiet necessarium. *Et pag. 912.* Atque ita pro variis hominum judiciis aliquid simul & necessarium erit, & illicitum. In quas absurditates recidere necesse est, si semel Scripturæ simplicitate relicta, alia ad fidem, alia ad communionem Ecclesiasticam necessaria statuamus.

11. Fidei formulis conscientias docentium adstringi minime convenit; cum sint tantum Declarationes fidei illorum qui eas condidere.

Confess.

Confess. in praef. fol. 4. b. med. Authoritas nulla irrefragabilis & omni exceptione major in Ecclesia, quocunque titulo, praetextu aut specie, seu directe, seu indirecte, in rebus ad Religionem pertinentibus, formulis hisce tribuatur, aut tribui concedatur, ita scilicet, ut conscientiae illorum hominum iisdem tanquam fidei Regulis, sive primariis, sive secundariis adstringantur, aut obligentur: *Eo tantum loco---propria sunt. fol. seq. a.* Nemo ad earum (sc. Formularum) sensus adstringetur aut adstringi se patietur, alia lege, quam quatenus & quamdiu ipse certo deprehendit atque in conscientia sua convincitur, eas cum Scripturarum sensibus convenire. In Disputationibus, collationibus, examinibus ad illas nunquam provocabitur, neque ad illarum incudem revocabuntur Fidei controversiae. *Apol. fol. 5. a. fin.* De hujusmodi ergo formulis quaeritur, quomodo optime, tutissime atque utilissime concipi possint ac debeant? An sic, ut in iis praecise definiatur, quid de singulis controversis dogmatibus constanter, firmiterque Orthodoxis omnibus credendum sit; An vero sic, ut in iis declaretur, simplicibus atque innoxiis verbis, quid ii, qui eas pro suis agnoscunt, de singulis controversis dogmatibus sentiant ac credant. Remonstrantes hunc posteriorem modum probant. *Limburch. lib. 7. cap. 19. §. 35. pag. 887.* Unde nec Synodorum decreta decisiones esse possunt controversiarum, nec regulae, quibus fides nostra alligata esse debeat: Sed solummodo pronuntiata eorum, ex quibus tanquam membris Synodus coaluit, fidem ac sententiam de dogmate controverso enuntiantia; ac proinde indicantia, quid ipsa Synodus credat: non cum autoritate praescribentia, quid ab unoquoque credendum sit. Hinc quod in Synodo statutum est, libero semper fidelium examini subjectum esse debet; neque ulli fraudi esse, quod ex verbo Dei melius persuasus fidem Synodo adhibere detrectet.

12. Libertas prophetandi, qua unicuique licet sentire & docere quod placet, modo pietatem sectetur & colat, non toleranda solum, sed & commendanda est.

Confess. cap. 22. §. 4. p. 68. Doctrinam autem Jesu Christi salutarem tenere, non continuo est, omne id, quod doctrina Christi quoquo modo continetur, adeo perfecte cognitum habere, ut in nullo prorsus articulo, in nullave S. Historia, aut sensu S. Scripturæ, erres aut hæsites: sed id saltem omne probe tenere, sine quo fidei & obedientiæ mandata rite observari, & proinde venia peccatorum ac salus æterna obtineri ex Dei ipsius sententia, nequeunt. Quo circa omnes illas Ecclesias, quæ in necessariæ veritatis fide ac professione consentiunt, pro Ecclesiis Jesu Christi veris habendas esse credimus: etiamsi in multis aliis interim dissentiant, & à veritate alicubi non leviter aberrent. *Apol. pag. 13. b.* Idcirco mutuam tolerantiam & prophetandi libertatem, tanquam singularia media ad veritatis penitiorem inquisitionem & Sectarum diminutionem, commendamus orbi Christiano. *Et pag. 19.* Hinc neminem sic à se dissentientem aut fugiunt aut fugant, si modo pie in Christo & pacifice cum ipsis velit vivere. *Et pag. seq.* Dissentientes aut errantes à se separare, aut se ab illis segregare nusquam mandatum sibi legunt. Nec referre putant Remonst. in quocunque dogmate sit dissensio, dummodo dogma istud Deum & pietatem non lædat, & quid istud profitetur pacem cum dissentientibus colere ex animo paratus sit. *Limburch. lib. 7. cap. 23. §. 11.* Alia est via fortasse commodior fraternitatem colendi: Nempe ut particulares Ecclesiæ, ita prout nunc distinctæ, singulæ à Ministris suis doceantur, & in veritate non tantum fundamentali, sed & aliorum articulorum, etiam controversorum, instituantur: & communis quædam ex omnibus erigatur Ecclesia, seu templum aliquod commune ac catholicum, in quod omnes conveniant communionis suæ testandæ causa: in eoque templo nullæ controversiæ, sed sola ad salutem necessaria, in quibus omnes consentiunt, doceantur: Cœnaque omnibus ut Christianis, sine ulla controversiarum inter Christianos agitatarum mentione, administretur. Ita & pax esset rata, & in sua particulari Ecclesia quisque veritatis etiam non prorsus ad salutem necessariæ cognitione imbui posset. XII. Ut vero fraternitas illa obtineri, & pax semel coalita perpetua esse possit, hæc facienda sunt. 1. Omnes decisiones, quibus dogmata quædam non clare in Scriptura expressa, definita sunt necessaria, sunt abrogandæ aut saltem non urgendæ tanquam decreta quibus necessario standum sit. 2. Nullæ

etiam

etiam tanquam neceſſariæ urgendæ ſunt formulæ loquendi, quæ Scriptura Sacra non continentur, quocunque demum prætextu excogitatæ.

13. *Hæreticus non eſt, qui in articulis fidei fundamentalibus errorem pertinaciter defendit: ſed qui ob res nullius ad pietatem uſus acrem contentionem ſuſcipit.*

Apol. cap. 24. pag. 265. Hæreſis plane eſt involuntaria, quia ex errore mentis eſt & nihil minus quam voluntaria divinæ majeſtatis læſio. Hæreticus enim divinæ Majeſtatis gloriam intendit, & per hæreſin ſuam eam promotam cupit. *Et viciſſim:* Pertinacia non ſignificat voluntatis actum, quaſi Hæreticus, etiamſi de veritate fundamentali convictus ſit, velit tamen ex profeſſo opinioni ſuæ falſæ adhærere, aut quaſi cum ſciat Eccleſiam in judicando de veritate fundamentali non errare, imo errare non poſſe, nihilominus tamen Eccleſiæ judicio acquieſcere de induſtria nolit; Hoc enim merum figmentum eſt. (Loquor de Hæreticis, quos Cenſores ſic vocant, qui circa fundamentalem articulum Religionis Chriſtianæ errant: Non vero de iis, qui volunt inhærere levibus minutiſque litibus & quæſtionibus, quas inutiles & vanas eſſe ſciunt, de quibus agitur Tit. 3. ubi tales *αὐτοκατάκριτοι* vocantur.) Sed ſignificat errorem mentis, in quo quis manere vult, ſive quia rationes non audit, quæ contrarium efficaciter ſuadent, ſive quia rationes per ſe ſatis efficaces pro merito non introſpicit aut conſiderat, ſive quia Eccleſiæ judicium pro infallibili non habet. *Limburch. lib. 7. cap. 20. §. 3. pag. 888.* Profeſſores Leydenſes in Synopſi purioris Theologiæ Diſp. XL. Theſ. 39. & Diſp. L. Theſ. 55. vocant hæreticos, populi ſeductores, errorum exitialium legitime convictos, & pertinaciter blaſphemos; Adeo ut ad hæretici definitionem requirant non tantum errorem, ſed & pervicaciam. §. 4. Nos dicimus: ſi hæc omnia ad hæretici definitionem requirantur, nullius ergo eſſe hominis pronuntiare de alio, quod hæreticus ſit: nemo enim de animo alterius, an legitime convictus ſit, pronuntiare poteſt: ac

ac proinde nec de illius pertinacia. §. 5. Per hæreticum hominem Apoſtolus non intelligit errantem; Sed hominem contentioſum, qui ob res exiguas, nulliusque ad promotionem pietatis uſus aut utilitatis, (quales ſunt ſtultæ quæſtiones, genealogiæ, &c. de quibus verſ. 9.) acriter contendit, turbasque in Eccleſia concitat.

II.

DE DEO, ATTRIBUTIS ET OPERIBUS DIVINIS.

14. Non eſt in hominis mente innata Dei notitia: acquiſita autem & ex principiis Philoſophicis hauſta operoſa admodum multisque difficultatibus implicita eſt.

Apol. cap. 1. fol. 25. b. Remonſtrantes ſequi amant plana, facilia & brevia, quæ rudes & indocti ſine ullo labore ſtatim percipiunt, & doctiſſimi quique coguntur admittere, niſi cavillatores agere & manifeſte prævaricari velint. Quale hoc eſt: iſta ſigna, prodigia, virtutes &c. factæ fuerunt: Ergo Deus eſt; & is quia ea fecit, verus iſte Deus eſt, & Religio, quam iſte præſcripſit, vera ac divina Religio eſt: Hoc argumentum prima ſtatim fronte palpari poteſt. Cætera quæ ex principiis Philoſophicis deducuntur, tam operoſe ſunt elaborata, tot exceptionibus involuta, tot diſtinctionibus, hy-p[illegible]eſibus, poſtulatis intricata, ut indoctus ea ſæpe adſequi non p[illegible] doctiſſimi quique non raro reperiant, quod in iis deſide[illegible]. *Simon Epiſc. Diſp. privat. de Cognit. Dei Coroll. 2, 3.* An cognitio Dei naturalis ſit? diſtingvimus. An cognitio, quæ ex natura habetur, naturalis ſit? negamus. *Limburch. lib. 1. cap. 2. §. 5. p[illegible] 3. col. 4.* Veriſimilius nobis eſt, nullam homini ideam eſſe innatam, ſed intellectum ejus in nativitate tabulæ eſſe inſtar raſæ, nullamque nos rei notitiam aut perceptionem, niſi miniſterio ſenſuum, ope inſtitutionis, aut

aut ratiocinationis, acquirere. Inde eſt, quod in initio, ratiocinandi facultate non ad perfectionem ſui perducta, ideas rerum admodum confuſas formemus: accedente inquiſitione & experientia ſenſim vis ratiocinandi perficiatur, & ideæ magis diſtinctæ concipiantur. *& §. 6.* Licet autem notionem Dei nobis naturaliter innatam non credamus, ex naturalibus tamen principiis ope facultatis ratiocinatricis Deum eſſe ſolide demonſtrari poteſt.

15. Nomen Jehovah ratione originis conſtantiam potius in promiſſis quam eſſentiam notat, neque ſoli Deo eſſentiale eſt.

Apol. cap. 3. fol. 51. b. Ut jam de ipſa voce Jehova nihil dicam, quam tamen certum eſt, non Rabbinos tantum Judæos pæne omnes, ſed complures etiam orthodoxos, lingvæ ſacræ peritos, pro voce plane fictitia habere, nihil certius aut liquidius eſt, quam nomen hoc Creaturis etiam in Scriptura paſſim attributum eſſe. Loca, unde id conſtat, tot ſunt & tam aperta, ut frontem perfricuiſſe cenſeri debeat, qui id negare audet. *Episc. lib. 4. Inſtit. Sect. 1.* Nihil in Scriptura familiarius eſt, quam DEO tribuere quod Angelus nomine Dei facit, & Angelum Dei perſonam ac nomen ſibi tribuere, uti ex infinitis locis conſtat. *Limburch. lib. 2. cap. 1. pag. 51. §. 7.* Vox Jehovah quoniam à verbo הוה derivatur, communis tam Judæorum quam Chriſtianorum opinio eſt, eo eſſentiam Dei denotari; quaſi ſignificet eum qui à ſe ipſo eſt, quique res omnes creatas exiſtere facit, quod ſolius Dei proprium eſt. *§. 8.* Attamen ſi penitius verba Dei conſideremus, *Exod. 6. 3.* dicentis Moſi: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Jehova non indicavi eis: non videtur hæc explicatio eſſe certa; Quomodo enim DEUS dicit ſe Abrahamo cognitum fuiſſe ſolummodo ut omnipotentem, non vero ſecundum eſſentiam ſuam, qua à ſe ipſo ab æterno eſt: cum eſſentia Dei primo cognoſcatur; illaque cognita attributorum divinorum cognitionem acquiramus? Rectius ergo noſtro judicio nominis hujus genuinam ſignificationem illi tradidiſſe videntur, qui conſtantiam Dei in præſtandis promiſſis eo indicari docent: Ita ut Ero qui ero tantumdem ſit, atque oſtendam nunc re ipſa me illum eſſe, quem me fore promiſi: promiſſaque mea Abrahamo facta nunc poſteris ipſius exhibebo. *§ 9.* Quæritur porro de hoc nomine, utrum

Deo ita proprium sit, ut nulli nisi Deo summo, qui à se est, attribuatur. *& mox*: Solum hoc nomen semper usurpatum fuit ad summum ac verum Deum designandum; aut si aliquando creaturis fuit attributum, factum id fuit non absolute, sed ob specialem quam ad summum Deum habebant relationem: Ita aliquando, attributum legimus arcæ fœderis &c. *pag. 52. col. a.* Nonnunquam attribuitur Angelis, quatenus legati Dei speciatim personam divinam repræsentabant, & nomine Dei loquebantur: Quod potissimum liquet, *Exod. 23. 20. 21. &c. Vicissim:* Sic & uni Angelorum qui Abrahamo & Lotho apparuerunt, *Genes. 18. & 19.* Jehovæ nomen attribuitur: quem tamen Angelum fuisse ex *Hebr. 13. 2.* liqvet.

15. Ea tantum scitu atque creditu de DEO necessaria sunt, quæ ad pietatem spectant, nimirum quod sit unus, æternus, infinitus, omniscius, liberrimæ voluntatis, optimus, justissimus & beatissimus.

Conf. cap. 2. §. 2, pag. 9. init. Veruntamen de Natura atque operibus Dei, non necessario tenenda sunt ea omnia, quæ ad divinam essentiam, & omnes operandi modos atque operationum species, quacunque tandem ratione, pertinent: nondum ea omnia quæ vel juxta verisimilia & speciosa scholarum placita, vel ex discursu rationis probabili, de iis affirmari solent: sed ea tantum, sine quibus divina voluntas, in scripturis patefacta, aut recte cognosci aut præstari à nobis non potest: qvum ii demum, qui divinam voluntatem præstant, & mandata ejus servant, Deum vere nosse; contraque qui eandem non præstant, Deum non novisse, passim in scripturis dicantur: Adeo ut ea sola notitia Dei salutaris dici mereatur, quæ cum praxi pietatis est conjuncta. *Bod. p. 19. & p. 20. seq.* §. 4. Attributa illa, quatenus huc quidem necessario pertinent, sunt ista sequentia: I. Deus unus est. §. 5. II. Æternus. §. 6. III. Infinitus atque immensus. §. 7. IV. Omniscius. §. 8. V. Liberrimæ voluntatis. §. 9. VI. Optimus. §. 10. VII. Justissimus atque æquissimus. §. 11. VIII. Omnipotens. § 12. IX Beatissimus seu felicissimus. §. 13. *Apol. Cap. 2. fol. 40.* Præcepta ad voluntatem & effectus tantum refert, indicat non obscure, cognitionem illam naturæ atque operum Dei ad præcepta ista non pertinere, atque idcirco, saltem ratione præcepto-

ceptorum, magis nos debere conformari imagini Dei, quoad voluntatem & effectus, quam quoad mentem: *Ep.ſt.* (*ap. Calov. p. 60.*) *Diſp. 4. th. 3. & 4.* Natura Dei recte cognoſcatur, non neceſſario tenenda ſunt omnia, quæ ad eſſentiam divinam aliqua ſaltim ratione pertinens, quæve vel juxta ſcholarum placita vel ex diſcurſu rationis probabili attribui illi ſolent, ſed ea tantum, quæ neceſſaria ſunt ad hoc, ut cultus illi optimus, & perfectiſſimus, qualem exigit, præſtari poſſit. Hujusmodi quatuor eſſe ſtatuimus. 1. Quod Deus ſit ſupremæ, liberæ, & irrefragabilis poteſtatis atque autoritatis. 2. Quod ſit juſtitiæ & æquitatis inflexibilis. 3. Quod ſit potentiæ irreſiſtibilis. 4. Quod ſit ſcientiæ infallibilis. Quisquis hæc omnia de natura divina certo credit, ac ſtatuit, illi nihil omnino eorum, quæ de Deo ut recte colatur, ſciri neceſſario debent deeſſe credimus. Alia itaque omnia, quæ de divina natura fidenter affirmari ſubtiliter diſceptari, aut probabiliter ventilari ſolent, abſolute neceſſaria ſcitu eſſe non credimus: cujusmodi ſunt ea omnia, quæ circa Eſſentiam divinam controvertuntur, aut cenſoria autoritate tanquam extra omne dubium ponuntur; de diſtinctione Eſſentiæ ab Attributis; ut tributorum inter ſeſe; de ſimplicitatis, immenſitatis, æternitatis ratione ac definitione, aliaque hujusmodi infinita Scholarum placita; deinde omnia ea, quæ circa ſcientiam divinam, ejusq; modos quæri ſolent an ſit idem, quod ipſa Eſſentia, etſi hoc verum ſit, quomodo alia ſcientia libera, alia media eſſe poſſit; an cognoſcat Deus poſſibilia, an infinita; an ſit cauſa rerum, an ſit variabilis? *Limburch. lib. 2. Theol. Chriſt. cap. 1. §. 2. p. 50.* Nulla Dei cognitio in ſola ſpeculatione acquieſcit: ſed cultui Divino cognitio Dei ſubordinatur. Quæ enim in ſola ſpeculatione conſiſtit, ſterilis eſt, ſpuria, neque pro cognitione à Deo habetur. Unde conſequitur, cultum Dei magis eſſe neceſſarium, quam ejus cognitionem. Quoniam enim cognitio Dei non per ſe, ſed cultus ſolius gratia neceſſaria eſt; cultus vero per ſe; inde reſultat. cognitionem non poſſe ejusdem neceſſitatis & dignitatis haberi, quam cultum: propter quod enim aliquid eſt tale, illud magis eſt tale. *& viciſſim:* Hinc colligere licet, quæ Dei cognitio nobis neceſſaria ſit; nim: non exacta eſſentiæ divinæ divinorumque attributorum, omniumque quæ circa illa ventilantur à doctis ac ſubtilibus ingeniis; ſed illa ſolummodo, ſine qua cultus Deo debitus præſtari nequit.

17. Non Dei essentia ita simplex, ut quicquid est in eo, sit ipse Deus.

Apol. cap. 2. p. 42. a. At, mi Censor, hoc est idem illud quod quæritur; An videlicet naturæ divinæ unitas plene percipi non possit, nisi ei tribuatur omnimoda ejusmodi simplicitas, ita ut volitiones ejus liberæ, sint ipsa ejus essentia. *& vicissim:* Nam esto, doctrina de simplicitate Dei sit necessaria ad identitatem Dei & attributorum ejus essentialium percipiendam. Ergo doctrina de Dei simplicitate est talis doctrina, qua omni modo aut sic simplex esse dicitur Deus, ut non tantum attributa ejus essentialia cum essentia ejus unum sint, quod nemo Remonstrantium unquam negare sustinuit, sed ut, e. g. volitiones ipsius liberæ sint unum idemque cum ipsius essentia, imo non nisi ipsissima ejus essentia.

18. Neque Deus secundum essentiam omnipræsens.

Apol. cap. 2. p. 42. b. Nec enim uspiam in Scripturis legitur Deum secundum essentiam suam ubique esse, nedum Deum secundum essentiam suam esse extra cœlum & terram in spatiis omnibus, etiam imaginariis. *Simon Episc. Disp. 4. thes. 10.* Credimus non esse necessarium creditu, quæ controvertuntur de Simplicitatis, Immensitatis divinæ modis, & de Omnipræsentia Essentiæ in locis &c. *Slatius Epist. an. 1608 9. Mart. & 30. Jun. ubique Deum esse scribit non secundum essentiam sed secundum virtutem & potentiam. Verba ejus ibid. hæc sunt:* Constat, Dei manum & potentiam ubique esse, siquidem spiritu oris sui ubique est, non secus ac sol ubivis locorum in terris est, non secundum essentiam suam, sed secundum virtutem suam, & potentiam. Ut verum dicam, non est, cur sententiam illam improbem. Video namque perfectionem rerum mundanarum in hoc esse, ut potentiæ suæ ulterius quam essentiæ extendantur, quam perfectionem procul dubio à Deo habent, qui ista ad imaginem suam creavit. *Rem in medio relinquit Limburch. lib. 2. cap. 6. §. 8. p. 63. col. a.* Sed vero, hæc eum in finem non proponimus, ac si præcise quicquam in alteram partem definiamus, aut omnes omnipræsentiæ divinæ modos tanquam absurdos rejiciamus: Sic enim Omnipræsentia divina abnegaretur. Sed ut ostendamus, non temere, uti quidam faciunt, hunc aut illum omnipræsentiæ divinæ modum definiendum esse.

19. Æter-

19. Æternitas quoque non indivisibile aut absque successione est.

Episc. ap. Quenst. lib. 4. Institut. Sect. 11. cap. 9. ait p. 312. Ad æternitatis hujus constitutionem sufficit perpetua essentiæ & nunquam interrupta vel interrumpenda duratio, sive permanentia. An de ratione æternitatis sit successio, quæri solet? Negant fere omnes Scholastici; qui æternitatem punctum esse volunt, quod coexistat omnibus & singulis temporum differentiis totum ac simul, eaque ratione ab ævo & tempore distingvunt. Sed quæ ratio solida eos moveat, non video, cum duratio omnis ex natura sua importet fluxum momentorum, per prius & posterius distinctorum, qui sine successione esse aut concipi non potest. *Limburch. rem in medio relinquit lib. 2. Theol. Christ. cap. §. 3. p. 59.* Me quod attinet, fateor libens, sive successionem in æternitate statuamus, sive eam ab ea removeamus, utrinque varias occurrere & fere inexplicabiles difficultates: Quia nos æternitatis, quæ duratio est infinita, perfectum & adæquatum conceptum formare non possumus: Concipimus quidem, eam esse æternitatis rationem, ut principio & fine careat: sed durationis principio & fine carentis adæquatam ideam, quæ eam plane & distincte nobis repræsentet, vix concipimus. Ideoque in materia adeo sublimi ex omnibus difficultatibus plene non extricare nos possumus; nec etiam temere quicquam in alteram partem decidi, nedum alteri præscribi potest. *Conf. §. 10. p. 61.*

20. Nullam Deus futurorum contingentium determinatam scientiam habet.

Apol. p. 43. b. Ut futura sunt, cognoscere non potest scientia determinata, nisi in decreto & ordinatione, ut aliquando fiant: At contingentia, ut futura ex decreto, non sunt contingentia, sed necessaria. *Et Episcop. 4. Instit. cap. 18. p. 302. probare conatur:* Non esse necessarium ad salutem credere, Deum futura contingentia præscire.

21. Justitia denique punitiva essentialis DEO non est.

Apol. p. 46. b. Nam statuere justitiam Dei vindicatricem sic esse Deo essentialem, ut Deus vi ejus obligetur & necessitetur ad puniendum peccata, ineptissimum & Deo indignissimum esse, non tantum rationes

complures, sed etiam ista omnia loca probant, quibus Deus misericors, tardus ad iram, clemens, remittere peccata, transgressionum non velle recordari, dicitur. *Acta Remonstr. Syn. Dordrac. f. 107. ad Quaest. Catech. 11.* Num Scriptura doceat justitiam Dei absolute, & simpliciter postulare, ut peccatum puniatur, ea pœna, quam secundum sui gravitatem est commeritum, sic ut non possit Deus illud condonare, nisi illata, vel peccatori ipsi, vel alteri alicui pœna condigna. *Episc. Disp. de Domin. Dei thes. 13.* Quod Deus ad omnia & singula peccata punienda per justitiam suam adigatur, id vero nullo modo credere possumus. *Limburch. lib. 2. cap. 12. §. 29. pag. 90.* Si Deus per justitiam suam vindicativam non potest peccata dimittere impunita, ergo punit necessitate naturali ac absoluta. Atqui hoc est absurdum.

22. *In proponendo mysterio Trinitatis utendum modis tantum loquendi, quæ in Scriptura Sacra habentur, & abstinendum à vocibus, quas humana autoritas induxit.*

Confess. cap. 3. §. 4 pag. 15. Atque hæc de isto etiam mysterio satis: quod quidem admodum sobrie, prudenter, ac religiose tractare, omnino necessarium; & quantum fieri potest, propriis & expressis Spiritus S. phrasibus enunciare, quam tutissimum arbitramur: quum ipse Dei Spiritus sese quam optime noverit, & quam rectissime naturam suam exprimere potuerit, imo etiam quantum necesse ac satis, exprimere nobis in suo verbo voluerit. *Apol. cap. 3. fol. 52. a.* Utinam in Declaratione sua, de hoc mysterio augusto, & humano ingenio inscrutabili, non fuissent locuti, nisi lingva Spiritus Sancti! præstitisset fortasse, invidiam totius mundi sustinere, quam audactor inferre pedem in adytum divinæ Majestatis ulterius, quam Spiritus S. hominibus aperuit. *Ibid. in margine:* In rebus ad divinæ essentiæ Majestatem pertinentibus potius Scripturæ phrasi quam alia ulla humana utendum est. *Limburch. lib. 2. cap. 17. pag. 103. Col. a. §. 3.* Nos quibus non licet esse adeo acutis, quique periculose definiri, tuto ignorari de Deo credimus, quæ Deus nobis in verbo suo non revelavit, ac à nobis ignorari voluit, prætermissis omnibus curiosis quæstionibus, quas à nobis nec capi nec intelligi ingenue fatemur, mysterium hoc divinum ac arduum proferemus, quantum fieri potest iisdem vocibus, quibus Spiritus S. nobis dedit eloqui: consulto abstinentes

nentes à vocibus quas humana excogitavit industria. *& vicissim:* Aut enim phrases à Spiritu S. usurpatæ sufficiunt ad dogma hoc apte explicandum; aut Spiritus S. (quod sine blasphemia cogitari nequit) in præcipui dogmatis (uti ab omnibus, qui phrases hasce urgent, creditur) expositione defecit. *Rursus §. 28. pag. 108.* Si quis reprehendat, non comparere in nostra hac tractatione voces ac phrases, quibus communiter dogma hoc à Theologis tradi solet; *Respondeo:* Nos scripturæ simplicitatem secutos, & à vocibus ac phrasibus illis consulto abstinuisse, quia non tantum ab hominibus sunt inventæ, & quidem in fervore contentionum, & primis Patribus fuere ignotæ: sed & ambiguæ sunt, & vulgari significatione, aut philosophica prorsus ratione non sunt accipiendæ, cum Deo rebusque divinis accommodantur. Ideoque tutius credimus talibus terminis aut nunquam, aut saltem quam parcissime uti; sed phrasiologiam Scripturæ, aut Spiritus Dei in scripturis loquentis si alibi, hic præcipue religiose servandam; ne dum ab ea recedimus, phrasibus crudioribus, aut minus dignis mysterium adeo augustum enuntiemus.

23. *Abstinendum quoque à definitione illa, quod Deus sit unus in essentia & trinus in personis.*

Apol. cap. 1. pag. 32. b. Sed, ut interim quid hac de re sentiant Remonstr. exponatur, sic habeto. An præcise & simpliciter cognitu necessariæ sint harum Quæstionum decisiones, propter evidentem consequentiam quæ ex scripturis deducuntur, nunquam sententiam suam interposuerunt. Quid de earum veritate sentiant, satis exposuerunt in declaratione sua. Qui eas simpliciter & præcise cognitu ad salutem necessarias esse statuunt, eos necesse est myriadas animarum, alioquin piissimarum, de plano damnare, quia profunda istarum explicationum ignorantia laborant, aut evidentem istam consequentiam se videre non posse profitentur. Enimvero, quotus quisque inter omnes Sectas explicationes istas aut intelligit, aut cum judicio atque explicata fide credit? Ejusmodi damnatorium calculum non audent Remonstr. tam levi brachio conjicere in tot milliones hominum piorum, qui Christum & Religionem ejus ex animo amplectuntur. Nonnulli vero diserte Trinitatem in divinitate negarunt, nimirum Joan. Geistean. Confess. sua, Essentia & Personæ in Deo unum & idem sunt, & veretur, si tres Personas statuat, etiam tres Essentias statuendas esse. Evangelici una cum

Papi-

Papistis errant non minus evidenter, quam vehementer, quod non Patrem tantum, illum unum Deum esse credant, sed etiam JESUM Christum Dei Filium, & Spiritum Sanctum, Deum illum unum esse statuant; Quod non tantum cum ipso sensu communi, sed etiam cum claris testimoniis divinis pugnat. *Ibidem:* Hæc pugnant inter se, illum Deum nostrum creatorem Cœli & Terræ esse unum tantum numero, & tres esse, quorum unusquisque sit noster iste Deus; & tres, aut duæ Personæ esse non possunt, ubi una est tantum numero, sive individua essentia, sed ad constituendas plures Personas una, requiruntur plures quam una individuæ Essentiæ. *Hendric. Slat. apert. declar. f. 51.* Æterna Deitas tam simplex est Essentia, ut talis Trinitas Personarum non sit, qualis docetur in Ecclesia Reformata. *Episcop. lib. 4. Instit. cap. 35.* Creditu non esse necessariam dicit ad salutem, quia nuspiam in Scriptura hoc asseratur, nec per bonam consequentiam exinde eliciatur, tum quia honor Christi debitus, id est, fides & obedientia sarta tecta constare possit, absque eo, quod cognoscatur isto peculiari modo genitus esse, tum quod in primitiva Ecclesia per tria secula fides ac professio specialis hujusmodi filiationis ad salutem scitu & creditu necessaria judicata non fuerit.

24. *Neque Judæi culpandi sunt, quod verum DEUM non colant, quia Trinitatem personarum non credunt.*

Limburch. §. 5. p. 468. Quæritur hic, si quis errore aliquo circa essentiam divinam laboret, an dicendus sit alium habere aut colere Deum? Sunt quidam adeo rigidi, qui ejusmodi homines criminis hujus reos audacter pronunciant, quoniam Deum sibi repræsentando aliter, quam revera est, re ipsa Deum sibi forment alium. Sed absit, ut nos eorum temeritati accedamus. *Limburch. lib. 5. cap. 17. §. 6. pag. 468.* Judæi quoniam alium nullum agnoscunt Deum, quam qui cœlum ac terram creavit, majoresque ipsorum ex Ægypto eduxit, alienum Deum habere dici non possunt: non enim aberrant ab objecto cultus divini; eandem enim nobiscum essentiam divinam agnoscunt: sed eam tribus personis esse communem ignorant. Horrendum itaque nobis est, Deum, quem Judæi colunt, vocare fictitium: Quid enim est Judæos à religione Christiana, quasi in ea alius colatur Deus ab eo quem ipsi colunt, alienos reddere? Præsertim, cum nusquam hæc fides à Deo tanquam ad salutem necessaria, exigatur.

25. In

25. *In veteri quidem Testamento nullum de ea vestigium.*

Apol. cap. 7. pag. 91. Censor à Remonstrantibus expressam mentionem fieri vult fidei in I. Christum, quæ sub V. T. locum habuerit, cum fidei istius sub V. T. nec in toto veteri, nec in toto N. Testamento aperta mentio uspiam facta legatur. *& rursus:* Hujus autem Fidei, qua in Christum moriturum creditur, mentionem expressam sub V. T. ut facerent Remonstrantes, sine ulla justa ratione ab ipsis petitur, cum certum sit, locum nullum, esse, unde appareat Fidem istam sub V. T. præceptam fuisse, aut viguisse: imo cum ex N. T. certum sit, communem Judæorum, ipsorumque adeo Apostolorum jam in Christum credentium, etiam post apertam de morte Messiæ mentionem, opinionem fuisse hanc, fore, ut Messias non moreretur, aut morte sua redemtionem fidelibus impetraret.

26. *Est quædam supereminentia Patris respectu Filii, ita ut hic illi subordinetur, & Spiritus S. Patri vicissim atque Filio.*

Episc. lib. 4. Inst. c. 32. Dignitate pater superior, quia principium & causa, ut sint Filius & S.S. Pater est: Dignius autem est esse à nullo, quam esse ab alio, & generare quam generari, spirare quam spirari. Potestate, id est, jure sive Dominio, quia Patri jus est mittendi, dandi Filium, effundendi S.S. neutri vero jus est in Patrem. Hinc Pater nunquam missus, aut datus, sed semper mittens sive dans legitur. *Idem cap. seq.* Certum esse ex Scripturis, Personis his tribus divinas perfectiones tribui non collateraliter aut coordinate, sed subordinate, ita ut Pater solus naturam istam divinam & perfectiones istas divinas à se habeat, sive a nullo alio, Filius autem & S.S. à Patre. *Et vicissim:* Enim vero hac subordinatione posita, certum est, Patri soli proprie istam divinitatis PERFECTIONEM sive ἀρχὴν competere, quod eam à se ipso, id est, à nullo alio habeat. A nullo enim habere esse suum proprie est primum & summum esse, in qua divinitatis ἀρχὴ est & fastigium. *Limburch. lib. 2. cap. 17. §. 25. p. 107.* Ex hisce colligimus, essentiam divinam à Filio & Spiritu Sancto esse communem. Sed & ex hisce non minus constat, inter tres hasce personas subordinationem esse quandam; quatenus Pater naturam divinam à se habet, Filius & Spiritus Sanctus à Patre: qui proinde divi-

nitatis in Filio & Spiritu Sancto fons est & principium. *& rursum:* Sed & est quædam supereminentia Patris respectu Filii, & Patris ac Filii respectu Spiritus Sancti, ratione dignitatis & potestatis: Dignius siquidem est generare quam generari, spirare quam spirari: Mittens etiam in missum potestatem habet, non autem missus in mittentem. DEUS autem Pater dicitur passim misisse filium; & Filius omnia quæ facit ad Patrem refert.

27. *Non itaque Filius Dei commode αὐτόθεος dicitur.*

Armin. præfat. ad Hippoly. & in artic. perpend. fol. 4. *& Declar. ad D. Ordin. fol. 60.* Ambigue dicitur, Filium quoad Essentiam esse à se ipso, & propterea periculose; & Filius Dei male αὐτόθεος appellatur, quatenus significat Essentiam non habere communicatam à Patre, habere, tamen communem cum Patre. Et nullo modo tanquam bene dictum excusari potest, Filium Dei αὐτόθεον esse. *Simon Episcop. Disp. priv. 11. Corollar. 3.* An Filius Dei αὐτόθεος sit? Distingvi quidem posse, sed propter periculum, abstinendum putamus.

28. *Neque ob solam generationem ab æterno Christus Filius Dei dicitur.*

Apol. cap. 3. pag. 48. b. Hæc nativitas, hæc filiatio, non est æterna illa nativitas, nec æterna illa Filiatio; Ergo non unica tantum generatio, nec unica tantum Deitatis communicatio. *Vicissim:* Propter Sanctificationem itaque hanc, & missionem in mundum, Christum Filium Dei non minori jure esse ac dici posse concludit, quam Magistratus aliique, propter munus excelsum & egregium, quod gerunt inter mortales. *Rursus:* Patet, Christum Filium Dei vocari, imo a Deo genitum dici, quatenus à Deo ex mortuis suscitatus, & ex terra, veluti ex utero, rursum eductus fuit in vitam. *Iterum pag. 50.* Gratiosa Deitatis communicatio non est essentiæ communicatio, sed dignitatis ac gloriæ, non quæ Deo essentialis est, sed quæ divinæ dignitati ac gloriæ similis est. Naturalis generatio, qua talis, non confert nisi essentiam: gratiosa generatio confert dignitatem, gloriam & excellentiam specialem, quæ eum cui confertur, similem reddit ei qui eam confert. *Limburch. lib. 2. cap. 17. §. 10.* Quæri hic posset: An ergo sola Filii Dei appellatio evidens atque irrefragabile argumentum sit, ad probandum, quod Filius ejusdem cum Patre naturæ divinæ vere sit consors? *Resp.* Si appellatio hæc solitaria inspi-

inſpiciatur, neque ex aliis Scripturæ S. locis, quibus Filii Deitas comprobatur, illuſtretur, ſola ad hoc evincendum ſufficiens eſſe non videtur: Quoniam certum eſt, Domino noſtro JESU Chriſto reſpectu humanæ ſuæ naturæ, ob gratioſam divinæ Majeſtatis communicationem Filii Dei appellationem ſæpius in Scripturis eſſe attributam; & quidem quadruplici potiſſimum reſpectu. 1. Quatenus ex Spiritu Dei Sancto eſt conceptus. 2. Ratione muneris ſui Mediatorii, ipſi à Patre demandati, ut eſſet promiſſus ille Rex Iſraelis: 3. Reſpectu reſuſcitationis ſuæ ex mortuis in vitam immortalem, per quam à Deo Patre de novo quaſi è gremio terræ genitus eſt. 4. Quoniam ex mortuis ſuſcitatus, & in cœlum ad dextram Dei Patris exaltatus, conſtitutus eſt hæres omnium bonorum cœleſtium.

29. Neque ex adoratione divinitas ejus poteſt colligi.

Apol. cap. 2. fol. 39. Sed ne Cenſor exiſtimet Remonſtrantes ad quæſtionem hanc ſuſpicioſam, directam, atque apertam declarationem declinare, ita habe: Cultum, quo Deus ex ſeſe ob naturam ſuam divinam digniſſimus eſt, hactenus diſtinctum eſſe volunt à cultu, quem Scriptura Chriſto JESU, ut mediatori tribuendum eſſe dictat, quod cultus, quem JESU Chriſto contra-diſtincto à Deo Patre Scriptura tribuendum eſſe dictat, eſt cultus, non quo JESUS Chriſtus ratione naturæ divinæ, quam per generationem ex Patre habet, dignus eſt, ſed qui JESU Chriſto ut mediatori in tempore à Patre aſſignatus & attributus eſt, quemque Chriſtus adeptus eſt propter obedientiam, quam Patri ſuo præſtitit ad mortem usque crucis, quam juſſu Patris ſui voluntarie pro ſalute generis humani ſubiit. *Limburch. lib. 5. cap. 18. §. 10. p. 472. b.* Non ſequitur, Deum Filio ſuo, à ſe in mundum ut Mediatori miſſo, reſpectu muneris ſui hunc honorem non poſſe communicare: præſertim cum ſit inferior honoris ſpecies, quæ ad gloriam Dei ipſius tendit. Videmus Deum attributa quædam ſua hominibus, ſed ſpecie ac gradu inferiore, communicare, quæ tamen ex ſe ſolus poſſidet. *Mox:* Quidni & adorationis gloriam filio ſuo, tanquam legato ſuo, munere ſibi demandato fideliter functo, communicare poſſit? *Et § 11. p. 473.* Neutiquam vero ſequitur, Deus non permittet, ut gloria ſua alteri impune detur ab hominibus: Ergo ipſe gloriam ſuam filio ſuo ut Mediatori communicare non poteſt. *§. 13.* Quarto objiciunt: Adorabilitas eſt proprietas incommunicabilis Dei. *Reſp.* Adorabilitas independens, & quæ ex eſſentia

Deum esse statuant. *Idem.* Sequitur satis Spiritum Sanctum non esse Personam, sed vim & efficaciam Dei, per quam res aliquo modo sanctificantur; nec Spiritum Sanctum esse unicum illum verum Deum.

31. *Potius dicendum Spiritum S. esse Spiritum Filii, quam eundem ab illo procedere.*

Simon Episcop. lib. 4. Instit. Theol. 344. Non æque clarum ac certum est ex Scripturis, tam recte dici Spiritum S. ἐκπορεύεσθαι, i. e. procedere, atque emanare à Filio, quam recte dicitur, eum procedere à Patre, cum hoc Scriptura diserte asserat; non illud: nedum tam recte asseri, una eademque numero spiratione emanare Spiritum S. à Filio & à Patre. *Et pag. 345.* Sufficere ad salutem, si credatur firma, sed simplici fide, Spiritum S. procedere à Patre, & esse etiam Filii Spiritum; quia id utrumque diserte in Scripturis expressum extat.

32. *Cœlum supremum & Angeli nec non rudis illius materia, è qua corpora postmodum condita sunt, longo tempore prius creata videntur quam reliqua corpora.*

Episcop. lib. 4. Instit. Sect. 3. cap. 1. pag. 346. & cap. 3. p. 349. existimat, Deum, cum cœlum hoc condidit (multo ante hexaëmeron Mosaicum tempore) Angelos etiam condidisse, nec ut Angeli, seu Ministri essent, sed tanquam cœli incolas & domesticos suos ac quasi contubernales (Deum etiam cœlo includit, angelosque Deo hactenus æquat ceu contubernales καὶ συνοίκους, non vero ministros Dei) nec brevi tempore in isto domicilio fuisse, sed diu admodum in eo versatos tandem sive superbia, sive alia aliqua libertatis suæ nimia, ut putabant, circumscriptione & limitatione adductos, magnam partem à Deo defecisse longa ac diuturna rebellione, donec postmodum in terram illam, quæ tempore isto, quo Angelorum Resp. vel mundus duravit, desolata jacuerat, ceu in tartara & abyssum præcipitarentur. *Eam sententiam secutus quoque Limburch. lib. 2. cap. 19. p. 117. §. 2.* Historia creationis nobis describitur *Genes. 1.* neque aliunde peti potest. Eam nos distinguimus in primam & secundam. Prima nobis est Cœli supremi ejusque incolarum Angelorum, nec non materiæ illius rudis ac indigestæ, ex qua postea mundus hic visibilis formatus est, productio ex nihilo. §. 3. Creationem autem

tem hanc longo tempore secundam antecessisse credimus: quod colligimus ex verbis, in principio, quæ denotare videntur principium, quo Deus aliquid extra se producere cœpit; quando incepit esse quod factum est, & ante quod factum erat nihil. *Et cap.20.§.4.pag.120.* Nobis maxime probabilis est illorum sententia, qui credunt Angelos diu ante mundum hunc visibilem à DEO conditos, & cœli supremi incolas fuisse.

33. *Angelos quosdam in bono esse ita confirmatos, ut labi porro nequeant, nondum omnino certum est.*

Apol. cap 6.pag.67.b. Angelos bonos nunc necessario bene agere, sive per gratiam sic esse confirmatos, ut non possint non bene agere, nullo solido argumento aut testimonio probari potest. Et variant hac de re Theologorum judicia: Non diffitentur id quidem Remonstrantes: Absit. *& pag.77.* Sed huic suæ sententiæ vel opinioni, tanquam certo & indubitato axiomati, fidere se, & probationes superstrui posse negant. *Limburch. lib.2.cap.20.§.12.pag.121.& seq.* De Angelis bonis: Quæritur, an ita in gratia Dei sint confirmati, ut deficere aut in peccatum incidere amplius non possint? Nos quod attinet, ita statuimus: Aut volumus eos adhuc subesse legi promissis ac comminationibus sancitæ; aut non amplius esse sub lege, sed jam obedientiæ suæ præmium à DEO consecutos. Si prius dicamus, dicendum videtur, impossibile non esse ut in peccatum non incidant. Si vero posterius, quod nobis maxime probabile videtur; fieri nequit, ut in peccatum incidant; *Rursus §.14.pag.122.b.* De Angelis malis: An vero omni bonum quid faciendi potentia privati sint, difficilior quæstio est: quoniam hic Scripturam non habemus præeuntem. Nobis tamen dici posse non videtur, diabolos omni bonum faciendi facultate penitus privatos esse, sed propria obstinatione in malo perdurare.

34. *Probabile est conservationem creaturarum in eo saltem esse positam, quod Deus illas non velit destruere.*

Apol. cap.6.pag.68.a. An actus ille, qua Deus res omnes conservat, sit vis sive actus potentiæ, inter Scholasticos hodieque controvertitur:

tur: plerisque, imo fere omnibus, conſervationem actum negativum habendum, non autem poſitivum contendentibus, non ſine magna veri ſpecie. *Limburch. lib. 2. cap. 25. §. 7. p. 139.* De conſervatione quæritur, an ſit actus Dei poſitivus, quo Deus immediate in rerum eſſentias influit, easque de novo continuo creat, adeo ut conſervatio nihil ſit aliud quam continua creatio: an vero actus negativus, non quo Deus ceſſat ab omni actione: ſed licèt potentia ſit inſtructus inſuperabili omnibus irreſiſtibiliter eſſe ſuum adimendi; tamen eſſentias vires ac facultates rerum creatarum non vult deſtruere, ſed eas vigori ſuo per creationem indito, quoad usque ille perdurare poteſt, relinquere; interimque procurat, ne ab aliis adimatatur, & de omnibus abunde proſpicit, quæ ad earum conſervationem requiruntur. Nobis quæſtionis hujus deciſio neceſſaria non videtur: Cum utriusque ſententiæ patroni ſententiam ſuam ad Dei gloriam facere contendant. *& §. 8.* Interim non probamus illorum argumentationes, qui conſervationem eſſe continuam creationem lumine naturali notam contendunt. *pag. 140. §. 10.* Hæc tamen eum in finem à nobis non diſputantur, ut illam conſervationis rationem impugnemus; Sed, ut oſtendamus, nullam evidentem eſſe rationem, quæ nos eam neceſſario ſtatuere cogat; verum poſſe quæſtionem hanc indeciſam in medio relinqui; præſertim cum & ab alia parte non absque ſpecie objiciatur, per hanc ſententiam conſervationem cum creatione confundi; cum tamen multum diſtent, rem non exiſtentem ex nihilo producere, & efficere ut res jam exiſtens in ſtatu ſuo perduret: Neque etiam capi poſſit, quomodo res, uti quotidie videmus, paulatim ad interitum vergant: ſi enim eas Deus continuo creat, quomodo verguntad interitum? Si non creat, quomodo ad momentum ſupereſſe poſſunt?

35. *Numerus hominum, qui victuri, ſunt ab æterno à Deo non eſt definitus, multo minus conjugia eorum, hora nativitatis atque mortis,*

Armin. in Decl. ſentent. fol. 100. Deum futura contingentia decreto ſuo determinaſſe ad alterutram partem, (intellige quæ à libera creaturæ voluntate patrantur,) falſum, abſurdum, & multiplicis blaſphemiæ prævium, abominor, & exſecror. *Limburch. lib. 2. cap. 26. §. 5. p. 143.* Hic oritur quæſtio: An numerus hominum æterno decreto à Deo ſit definitus, & ita in tempore per ejus providentiam hominis generationes dirigantur,

rigantur, ut nec plures vel pauciores homines nasci possint, quam revera nascuntur? Resp. Nullo modo: §.6.pag.144. Hinc porro consectarium elicimus; Quod quidam de conjugiorum fatalitate docent, quasi omnia æterno Dei decreto sint prædeterminata, fundamento carere, imo falsum esse: Si enim hominum nativitas præcise non est determinata, nec conjugia postea ab hominibus contrahenda determinari potuerunt. Et §.16.pag 145. Quia uniuscujusque nativitas, uti vidimus, absoluto Dei decreto non est determinata, nec mors determinari potuit: initio enim vitæ non definito, nec terminus definiri potuit.

36. *Prædestinatio non est quorundam hominum determinate, sed saltem confuse.*

Apol.fol.101. Decretum prius nude conceptum, non est decretum de personis certis, nominatim vitæ æternæ destinandis, sed tantum decretum de conditione, qua Deus personas, id est, homines omnes saluti vult destinare -- prædestinatio non necessario est, prædestinatio certarum personarum ad salutem quæ nominatim fiat. Decretum Remonstrantium de facto nullas certas personas prædestinat. *S·m.Episcop.Disp.5. th.10.* Providentiam Dei eversum ire videntur ii, qui statuunt Deum ad salutem, & exitium æternum ante destinasse, & ad utrumque finem perducere voluisse, nominatim certos quosdam homines, qui ex primo illo creato descenderent.

III.
DE STATU HOMINIS INSTITUTO ET DESTITUTO.

37. *Corpus est pars hominis minus principalis, & anima solum organum.*

Apol. cap.19.pag.217.4. Nec fieri potest ut solide lis hæc decidatur, quamdiu certo non constat; An hoc corpus pars essentialis hominis, an vero instrumentum tantum sit animæ humanæ, quatenus in hac vita ejus ministerio indiget, ad se in eo sustentandum, & quod in futura vita plane necessarium non erit. *Episcop. lib.4 Theol. Sect.3. cap.4.fol. 354.* Decisionem non modo non necessariam ad salutem, sed etiam incertam

certam dicit, & hypothesibus talibus innixam philosophicis, de quibus, cur dubitare non liceat, nulla justa causa sit, adeoque eam soli Deo relinquendam, & ut quisque de ea statuat liberrime quod optimum videbitur, permittendum esse, arbitratur. *Limburch. l. b. 6. cap. 11. §. 38. pag. 780.* Cum enim anima præcipua hominis pars sit, solaque cogitationis conscia; corpus autem organum, quo anima utitur ad functiones quæ ministerium corporis requirunt, peragendas; sequitur eundem superesse hominem, licet pars essentiæ ejus, sed minus principalis, immutata sit. Corpus enim non sentit proprie, nec voluptatem aut dolorem percipit; cum perceptio quævis cogitationis actus sit, cujus corpus non est capax; sed sola anima in corpore sentit ac percipit.

38. *Imago Dei, ad quam homo conditus, præcipue consistit in Dominio in creaturas.*

Confess. cap. 5. §. 4. pag. 17. Homines initio tantum duos condidit Deus, virum & fœminam: ac corpus quidem viri ex terra, fœminæ autem ex costa viri formavit: & utrumque spiritu rationali & immortali donavit; imo ad imaginem & similitudinem suam creavit; inque hoc mundo, velut regno pulcherrimo, in gratiam ipsorum adornato; quinimo in mundi ipsius amœnissimo paradiso, veluti palatio quodam augusto, ut cæterarum creatarum rerum Dominos, Principesque collocavit ac constituit. *Apol. cap. 5. fol. 59. b. fin. & seq.* Quid ad rem facit, si dicant Remonstrantes, imaginem Dei potissimum consistere in Dominio ejus in cæteras creaturas, si id quod imagine Dei comprehensum vult Censor, nihilominus tamen homini tribuant, etiamsi sub ratione imaginis id non comprehendant? An ista res tanti est, ut Censura digna sit? Sed & causas habuerunt Remonstrantes exceptione omni majores, cur ita judicaverint. I. Quod imago Dei, ad quam Adamus creatus fuit, diserte aut præcipue in Dominio non autem diserte, nedum præcipue, in immortalitate hominis, constituta dicatur isto in loco, ubi homo ad imaginem & similitudinem Dei factus legitur, *Genes. 1. 26.* II. Quia imago Dei diserte homini adhuc tributa legitur, post peccatum commissum. *Limburch. lib. 2. cap. 24. §. 2. pag. 155.* Illa imago aliud nihil est, quam eximia quædam qualitas & excellentia, qua homo Deum speciatim refert: hæc autem est potestas & dominium, quod Deus homini dedit in omnia à se creata; Quod ipsa Dei verba manifeste arguunt, *Genes. 1. 26. & in med.* Hoc enim Dominio DEUM proprie refert, estque quasi visibilis

Deus in terra super omnes Dei creaturas constitutus. Et in hoc Dominio imaginem Dei fuisse sitam, non obscure etiam colligitur ex *1. Cor. 11. 7.* ubi vir, ob Dominium ipsi in uxorem concessum, speciatim imago ac gloria Dei dicitur. *Vicissim* §. 3. Hujus Dominii respectu homo recte Deum referre dici potest, & Dei instar esse in terra. Est enim Dominium hoc universale, & in omnes creaturas visibiles, nulla excepta.

39. Homo secundum naturam ante lapsum spectatus ferebatur inordinate adversus eam; Justitia autem originalis instar freni eum à peccato prohibebat.

Armin. artic. perpend. fol. 18. Inclinatio ad peccatam ante lapsum in homine fuit, licet non ita vehemens, & inordinata ut nunc est. *Joan. Arnoldus Corvinus contr. Molina. cap. 8. Sect. 1.* Justitia Originalis freni instar fuit, quod præstabat internæ concupiscentiæ ordinationem, eo ablato non potest non vehementius in objecta, ac quidem inordinate, adeoque illicita, præceps ferri. *Joan. Geyster. Confess. sua:* Deus homini repugnantiam indidit adversus legem, & in Christo fuit natura, in qua fuit affectus repugnans voluntati Dei, licet non fuerit peccatum, quia assensus, seu voluntas eam non sunt secutæ.

40. Etiam ante lapsum Adam mortalis fuit: lapsum saltem moriendi consecuta est necessitas.

Apol. cap. 4. fol. 56. b. fin. & seq. Neque vero huic repugnat, quod ex Disputationibus M. Episcopii refert Censor, eum statuere, hominem ante peccatum etiam mortale corpus habuisse, ut cætera animantia. Aliud enim est mortale corpus habere, aliud corpus certo vel necessario moriturum: aliud corpus, quod potest mori, aliud corpus, quod certe morietur, aut quod non potest non mori. Mortalitas Corpori Adami, vel potius, ut rectius loquar, homini Adamo (mors enim est suppositi totius, non partis hujus aut illius in supposito destructio) ante peccatum naturaliter competebat, quatenus etiam tum homo animalis, & per unionem natura sua dissolubilem, compositus erat. Mors & moriendi necessitas non competebant ei naturaliter, sed ex sententia Judicis, & quatenus transgressor erat divini pacti. *Limburch. lib. 2. cap. 24. §. 8. pag. 137. seq.* Recte colligitur, nisi peccasset homo, eum à morte futurum fuisse

fuisse immunem. Inde vero non recte hominis immortalitas infertur; aliud quippe est mortalitas, aliud mors seu moriendi necessitas, imo ipsa corporis formatio ex pulvere terræ huic veritati adstipulatur: Sicut enim ex principiis suis coaluit, ita etiam in ea dissolubile est: indiget cibo ac potu ad sui sustentationem etiam in statu integritatis, *Genes. 1. 29. 11. 15. 16.* immortales autem illis non indigent; ideoque eorum in futuro seculo nullus erit usus, *1. Cor. 6. 13.* Imo nisi in se mortale fuisset primi hominis corpus, nec etiam post peccatum homo mori potuisset, nisi natura ejus plane à DEO fuisset immutata, & ex immortali facta mortalis. Attamen mortalitatem istam, nisi homo peccasset, in perpetuum à moriendi actu immunem conservasset Deus: & hunc in finem vitæ arborem in medio paradisi collocavit, ut illius virtute vitam suam homo continuaret, peccato vero commisso hominem è paradiso expulit, & ab arbore hac disjunxit, ut ita medio illo illustri vitam continuandi privaretur, & ad certam mortem properaret. *Et vicissim pag. 138. eod. §.* Specialius enim mentem suam exprimentes, fatentur hominem ratione principiorum ex quibus constat, & qualitatum illi adhærentium, in se habuisse moriendi possibilitatem: nihilominus tamen immortalem esse, quia simul etiam adjunctam sibi habet potentiam non moriendi, & ab actuali morte ex Dei beneficio certissimam immunitatem peccato non interveniente. Atqui illud idem est, quod nos affirmamus.

41. DEUS si Adam vesceretur fructu arboris vetitæ, tantum mortem temporalem, non æternam, nedum in illa pœnam sensus interminatus est.

Apol. cap. 4. fol. 57. Cum de æterna morte loqvuntur Remonstrantes, in hac de Adamo quæstione, (de morte enim æterna, quam actualiter peccantibus, atque inprimis contemtoribus Evangelii comminatur Deus jam non agitur) non intelligunt mortem illam, quæ æterna pœna sensus, sive cruciatuum infernalium æterna perpessio dicitur, quasi videlicet Deus eam Adamo vel sine ulla morte corporali interventura, comminatus fuerit, vel post corporalem mortem prius inflictam, Adamo ex morte iterum suscitato, inflicturus fuerit. Nusquam enim pœna hæc Adamo, aut denunciata aut inflicta legitur: Sententiam Adami vide, & res liquebit luce clarius: Nec verba, morte morieris, istam pœnam vel verisimiliter postulant; Sed intelligunt mortem corporalem sive dissolutionem animæ & corporis, quam præcedunt mala omnia ad

mortem disponentia, & quam deinde æterna pœna damni id est, divinæ visionis sive gratiæ & gloriæ æterna privatio, subsequitur. Hæc mors ista est, quam sententia divina expressam credunt. Aliam mortem, id est, pœnam æterni sensus ut statuant nulla autoritas, nulla æquitas, nulla ratio cogit, imo sententiæ divinæ autoritas, æquitas & ratio cogunt, ut aliam non statuant *& pag. 83. b.* Mors ambigue dicitur temporalis, vel quia in tempore homini accidit & ad tempus tantum durat: Vel quidem in tempore quia accidit homini, sed tamen ita durat, ut nunquam sit finienda: ista, non autem hæc mors, proprie solet vocari temporalis. Eam autem Deum comminatum fuisse Adamo & posteris ejus, si legem transgrederentur, nusquam legitur. Et, si DEUS eam comminatus fuisset Adamo, ejusque posteris, necesse fuisset, Adamum ejusque posteros ex morte ista iterum resurgere, & postea in æternos cruciatus præcipitari, de quo sane Scriptura ne γρῦ quidem meminit. *Limburch. l b.3. cap. 2. § 4. pag. 176. seq.* Quæritur, quis hujus comminationis sensus sit, & quid Deus voce mortis comprehenderit? Quidam Theologi considerantes, quod mors triplici significatu alibi in Scriptura accipiatur, quod designet vel mortem naturalem, sive animæ à corpore separationem; vel mortem spiritualem, quam illi collocant in totali impotentia ad quodvis bonum, qualis in mortuis est ad vitæ opera exercendum; vel mortem æternam, quæ consistit in conjectione animæ ac corporis in ignem æternum; hæc omnia voce mortis hic comprehensa volunt. Verum ne ea quæ de triplici mortis significatu aiunt, nunc examinemus, quod in sequentibus fiet, dicimus nos solam animæ à corpore separationem, seu mortem necessariam, & ad quam homo variis miseriis esset perventurus hic designari.

42. Peccatum Originis formaliter est privatio justitiæ originalis, quam demum sequitur prava concupiscentia.

Joh. Arnold. Corvin. cont. Molin. cap. 8 pag. 118. fin. & seq. Peccato originali inesse privationem justitiæ originalis, & inordinatam ad peccandum proclivitatem, non contradicimus: sed quando quidem ex hac illa (ut ais) nascitur, non immerito cogitandum relinquit Arminius Disp. XXXI. de effectis peccati primi, annon sola ista carentia sit proprie vocandum ipsum originale peccatum. Et eo quidem maiori jure id facit, quod (ut ille ibidem, ut vero ipse hic §. 3 non obscurè differis) illa

sola

sola sufficit ad peccata quævis actualia committendum. Cum enim justitia originalis fræni instar fuerit, quod præstabat internæ concupiscentiæ ordinationem; eo ablato non potest non vehementius in objecta, ac quidem inordinate, adeoque in illicita præceps ferri. Rectitudinem autem justitiæ originalis homini fræni instar serviisse dicimus, non quod affectus inferiores superioribus & rationi, ipsa ratio Deo repugnarent in innocentiæ statu, vel ad inferiora propensio jam esset inordinata; sed quia hominem totum ejusque affectus Deo subjectos continuit, & ejus beneficio effectum, ut affectus legi Dei sine ulla molestia se subjicerent, ac facile & cum voluptate homo Deo obedire posset. Ab Arminio non dissentit Thomas, cujus verba sunt 12. seq. 82 a. 1. ad 3. Ex peccato originali sequitur aliqua inclinatio in actum inordinatum non directe sed indirecte; scilicet per remotionem prohibentis, id est, originalis justitiæ, quæ prohibebat inordinatos motus. Quare cogitandum etiam hic tibi est, an §. 2. recte carentiam justitiæ ac proclivitatem ad injustitiam recenseas ac juxta se mutuo colloces, tanquam partes peccati originalis? In primis quia dum hoc facis, Deum authorem istius peccati facis. Nam cum peccatum originis sit peccati primi pœna, ideoque sit à Deo puniente; erit tum etiam à DEO ista positiva inordinata proclivitas. *Limburch. tamen peccatum originis non tantum in privatione sed etiam in Concupiscentia prava consistere scribit lib. 2. cap. 29. §. 10. pag. 156.* Quod addunt, peccatum esse nihil, ac proinde ejus causam esse nihil positivum, sed defectum, abusum sc. voluntatis creaturæ liberæ; ac proinde possibilitatis peccati causam esse, quod creatura quædam ita perfecta non est, quin libertate voluntatis suæ abuti possit; Frivolum plane est.

43. Peccatum Adami imputatur posteris ejus, quatenus Deus eandem pœnam, quæ Adamo propter peccatum irrogata, in posteros ejus transire permisit.

Apol. cap. 7. fol. 84. Fatentur Remonstrantes peccatum Adami à Deo imputatum dici posse posteris ejus, quatenus Deus posteros Adami eidem malo, cui Adamus per peccatum obnoxium se reddidit, obnoixos nasci voluit, sive quatenus Deus malum, quod in pœnam Adamo inflictum fuerat, in posteros ejus dimanare & transire permisit. At nihil

cogit eos dicere peccatum Adami posteris ejus sic fuisse à Deo imputatum, quasi Deus posteros Adami revera censuisset ejusdem cum Adamo peccati & culpæ, quam Adamus commiserat, reos. Imo nec Scriptura, nec veracitas, nec sapientia, nec bonitas divina, nec peccati natura, nec ratio justitiæ atque æquitatis permittunt, ut sic Adami posteris peccatum Adami imputatum fuisse dicant. *Lim.burch.lib.3.cap.3.§.8.p.184.* Quod itaque imputationem peccati Adami attinet, qua statuitur, Deum primum Adami & Evæ peccatum omnibus ipsorum posteris ita imputasse, ut omnium peccatum sit, omnesque in Adamo peccaverint & propterea mortis ad condemnationis æternæ rei facti sint, eam hisce quidem argumentis impugnamus.

44. *Adamus per peccatum justitiam originalem non amisit.*

Apol. cap. 7. pag. 85. b. init. Si peccatum esset veneni instar, ita ut, sicut venenum qualitate contraria sua nativum hominis calorem extingvit: Sic peccatum etiam qualitate sua contraria justitiam extingveret, speciem aliquam haberet, quod dicit Censor: At tantum abest, ut peccatum, instar veneni, qualitate aliqua contraria justitiam extingvat, ut actio sit, quæ à voluntate non minus libere producitur, quam actio justa. *in med.* Etiamsi per justitiã hoc loco non intelligeretur nisi actio justa, quæ injustitiæ sive actui injusto contraria est, tamen inepte diceretur is, qui injustam actionem facit, justitiam, id est, justam actionem abjiciendo amittere, & multo ineptius adhuc mereri amissionem justæ actionis. Cessat enim prius ac desinit justa actio, quam fit injusta, quia utrumq; simul fieri impossibile est, non quia ea, quæ ante facta est, extingvitur, abjicitur, aut amittitur. *& circa fin.* Justitiam originalem vult esse, non actionem, sed qualitatem, donum vel habitum infusum à Deo, & de illo quæritur, an uno peccandi actu meritorie simul & actu amissa sit? Certe ne quidem de habitibus acquisitis dici potest, quod uno peccandi actu excutiantur, quanto minus de infusis istis? quin imo, ratio recta non sinit, ut id dicatur. *Limburch.lib.3.cap.2.§.24 pag.180.* Quæritur hic, an Adamus per peccatum sibi contraxerit impotentiam ullum in posterum bonum operandi? Resp. Adamum amisisse quidem justitiam illam originalem (quam vocant) seu potius, excidisse ex statu innocentiæ & integritatis, in statum peccati: Etiam Adami appetitum magis inclinasse in malum, quam ante perpetratum peccatum. *Vicissim:* Deinde Adami appeti-

tus,

tus, postquam semel peccavit, pronior redditus est ad concupiscendum illicita; perinde uti in omnibus, qui peccati dulcedinem semel gustaverunt, fieri solet. §. 25. Non tamen contraxit Adamus impotentiam ullum in posterum bonum operandi: actus enim peccati non tollit potentiam in contrarium. §. 26. Tum, si impotentia ullum in posterum bonum operandi fuerit in Adamo, ea alium quam Deum autorem habere non potuit, qui Adamum ob peccatum impotentia illa punivit; Adamus autem sibi eam alio modo contraxisse dici nequit, quam meritorie. Dicere enim Adamum & actu & meritorie potentiam illam sibi ademisse, absurdum est; actu enim illa se privando, mereri non potest, ut ea spolietur; si vero peccato suo meritus est, ut Deus illum ea privet, actu eam non abjecit.

45. *Peccatum Originis seu ab Adamo descendens malum leve tantum, vitium atque infirmitas est.*

Apol. cap. 7. fol. 84. b. Quis sani cerebri capiat per privationem justitiæ originalis ob peccatum, relictum esse peccatum aliud distinctum tum ab illa privatione, quæ ipsa peccatum esse creditur, tum ab illo peccato, propter quod privatio illa facta est? Insaniendum est ei, qui hanc privationem capere vult. *Et vicissim Remonstrantes:* Peccatum originale nec habent pro peccato proprie dicto, quod posteros Adami odio Dei dignos faciat: nec pro malo, quod per modum proprie dictæ pœnæ ab Adamo in posteros dimanet, sed pro malo, infirmitate, vitio aut quocunque tandem alio nomine vocetur, quod ab Adamo justitia originali privato in posteros ejus propagatur: unde fit, ut posteri omnes Adami eadem justitia destituti, prorsus inepti & inidonei sint, ad vitam æternam consequendum, aut in gratiam cum Deo redeundum, aut ad vitam inveniendum, qua ad vitam, aut in gratiam cum Deo redeant, nisi Deus nova gratia sua eos præveniat, & vires novas iis restituat ac sufficiat, quibus ad eam possint pervenire. *Rursus circa fin.* Peccatum autem Originis non esse malum aliud, id est, aut malum culpæ aut malum pœnæ proprie dictæ, quod vocant, ratio manifesta arguit: Malum culpæ non est, quia nasci plane involuntarium est, ergo & nasci cum hac aut illa labe, infirmitate, vitio, vel malo. Si malum culpæ non est, nec potest esse malum pœnæ, quia culpa & pœna sunt relata. *Limburch. lib. 3. cap. 4. §. 3. pag. 158.* Sed quæritur, an præterea in homine sit corruptio quædam originaria, seu habitus

tus peccandi ab Adamo in omnes ipsius posteros propagatus, quæ vere ac proprie sit peccatum, per quam intellectus & voluntas omnesque affectus adeo sint depravati, ut solummodo in malum inclinent, imo omnes homines natura propensi sint ad odium Dei & proximi? Hanc communiter urgent Doctores contra Remonstrantes &c. Sed vero ejusmodi corruptio, nec cum Sacra Scriptura, nec cum recta ratione conciliari potest.

46. Ob peccatum Adami infantes ex illius posteris natos, qui mali adhuc nihil ipsi commiserunt, æternis cruciatibus addici posse horribile est.

Apol. cap. 7. pag. 87. Quicquid sit de Pelagio, id perinde est Remonstrantibus. Nam pro certo statuunt, quicquid in contrarium Augustinus aliique judicaverint, Deum nullos infantes, sine actualibus & propriis peccatis morientes, æternis cruciatibus destinare velle, aut jure destinare posse, ob peccatum quod vocatur Originis, quod nulla propria culpa contrahi ab infantibus dicitur, idque ex peccato alieno, & quod ipsorum esse creditur, non aliam ob causam, quam quia DEUS id ipsis imputare vult. Aliena hæc est à divina bonitate & ratione recta opinio, imo incertum, utrum in ea major absurditas, an crudelitas præponderet. Innocentium & tenellarum animarum sangvinem nimis vilem & cruciatuum æternorum supplicia nimis levia censeant necesse est, qui tam horridæ sententiæ subscribunt, aut in gratiam ullorum hominum sive Patrum, sive Conciliorum, ei fidem adjungunt. *Limburch. lib. 3. cap. 4. §. 25 p. 195.* Cum jam abunde ostensum sit, nullum proprie dictum peccatum esse in infantibus, cum in lucem eduntur; sequitur nec actuali peccato inquinatos esse ante suam nativitatem. Sed præterea ab omni ratione alienum est, infantibus, qui nondum usu rationis pollent, qui nesciunt quid sit honestum & inhonestum, tribuere peccata actualia.

47. Leviores lapsus utpote motus primo primi & involuntarii etsi non sunt nisi materialiter peccata, neque tamen natura venialia, ob gratiosum tamen fœdus formaliter peccata non esse putantur,

tur, quæ sc. pœna sequatur & propter quæ homo excludatur à spe veniæ, si ab iis casu quodam se non expurget.

Confess. cap. 7. §. 6. pag. 26. Peccata quædam sunt talia, ut leviores lapsus potius dici mereantur, quam crimina: per quæ, juxta gratiosum Dei fœdus & paternam bonitatem, non excluditur homo à spe vitæ æternæ; licet se ab eorum aliquo nondum omnino exsolvat: si modo sciens prudens sibi ipse difficultatem non injiciat ab iis se exsolvendi, aut alia quacunque ratione in iis manendi: sed quod in illa incidat per solam incogitantiam, fragilitatem, inadvertentiam, aut subitam aliquam passionem contingat: sive ex naturæ aliquo temperamento, sive ex consvetudine mala, sive ex improviso aliquo casu &c. id oriatur. *Apol. cap. 7. fol. 85. a.* Culpa nisi sit voluntaria culpa esse non potest. *Vicissim:* Contra naturam peccati est, ut censeatur peccatum aut ut proprie peccatum imputetur, quod propria voluntate commissum non est. *pag. 86.* Remonstrantes negant actus illos, qui seqvuntur destitutionem sive privationem illam divinam, esse formaliter peccata, id est, illos valide obligare ad pœnam eos, qui actus illos patrant. Non negant quidem actus illos materialiter peccata dici posse, quatenus actus sunt difformes voluntati divinæ; at negant eos formaliter esse peccata, quæ sc. ad pœnam obligent eos, à quibus fiunt. Nemo enim obligari jure potest ad impossibilia, quæ quidem ex actione ejus, cui obligatus est, prorsus sunt impossibilia, nedum ut obligetur ad pœnam, eamque majorem, imo omnium gravissimam, nisi impossibilia ista faciat. Crudelitatis & tyrannidis apex foret ejusmodi obligatio: Aut necessaria ad præstandum quod jubetur, relinquenda sunt, aut, si semel ablata fuerint per modum justæ punitionis, restituenda sunt, ut obligatio sit justa ac valida. *& pag. 89.* Leviores lapsus, qui ex vera infirmitate, ignorantia, inadvertentia, subita aliqua & levi passione aut occasione fiunt, & è vestigio desinunt, dicunt Remonstrantes à Deo non censeri inter ea peccata, propter quæ homines excludere vult ex regno cœlorum; aut à quibus omnino liberos atque exsolutos esse necesse est eos, qui salvari volunt, aut spem salutis æternæ certam concipere: Dicunt itaque contingere posse, ut I. quis ab istis infirmitatibus & lapsibus non omnino se exolvat, etiamsi quantum potest operam det, ut iis in hac vita se exolvat. II. Ut pœnitentiam

tentiam de iis ex professo non agat, non quia eam agere non vult, sed quia contingit aut accidit quod eam non agat; & tamen juxta fœderis gratiosi formulam æternum salvetur. Juxta fœderis gratiosi formulam, inquam: Neque enim credunt Remonstrantes lapsus illos ejusmodi esse, ut natura sua sint veniales, quasi Deus propter eos non posset hominem excludere ex regno cœlorum, si ex rigore cum eo vellet agere: Absit! Sed credunt Deum ex pura gratia & misericordia propter eos neminem excludere velle, quam diu lapsus sunt, qui ex vera infirmitate proveniunt; cujus rei signum certissimum est, quando ex hominis voluntate abest propositum & studium ab iis se non exsolvendi, aut de iis pœnitentiam non agendi, etiamsi actualis exsolutio & pœnitentia non adsint. *Limburch. lib. 3. cap. 4. §. 9. pag. 190.* Primo itaque motus concupiscentiæ primo-primos, nullo adhuc accedente voluntatis consensu, esse peccata, gratis asseritur. *Et lib. 5. cap. 4. § 9. pag. 408.* Sed quæritur de primis illis cogitationibus, seu motibus primo-primis, uti vocant, an & illi peccatis annumerandi sint? Resp. Per motus illos primo-primos intelliguntur primi affectuum impetus & commotiones, ex posito objecto grato vel ingrato, absque ullo non tantum deliberato proposito, sed & delectatione morosa: Hos credimus peccata non esse, sed tantum naturales commotiones, ex objecti grati vel ingrati repræsentatione in nobis excitatas. *Et cap. 79. pag. 699. § 13.* Dices: nos tamen statuere motus primo primos concupiscentiæ in nobis esse posse absque peccato? Resp. Fateor: modo non procedant ex peccandi habitu: sed motus sint naturales erga objectum amabile. Atqui illi motus primo-primi non sunt objecti illius amor: sed naturalis tantum complacentia in re, quæ naturali nostro desiderio consentanea est.

48. Peccatum in Filium hominis est, quo illi divinitatis splendor denegatur: in Spiritum Sanctum vero, quando opera ejus adscribuntur Diabolo, vel divina esse, negantur.

Limburch. lib. 5. cap. 4. §. 26. Salvo aliorum judicio, blasphemia hæc in Spiritum S. nobis designare videtur ejusmodi peccatum, quo opera miraculosa, à Servatore nostro virtute Spiritus S. patrata, adscribantur diabolo: cum tamen illi, qui ea ita blasphemabant, aut persvasi essent, non posse talia nisi virtute divina fieri: aut saltem nulla experi-

perientia aut argumento verisimili id evincere possent. Recte hæc blasphemia vocatur in Spiritum Sanctum, quia Spiritus S. directe læditur, & Spiritus infernalis vocatur. Opposite ad blasphemiam in Filium hominis, qua persona Filii proprie læditur; quando consideratur ut filius hominis, seu homo vilis & abjectus, absque ullo regio splendore rejicitur, tanquam falso se Messiam jactitans; aut quando ipse blasphematur tanquam commessator & potor.

IV.
DE JESU CHRISTO SALVATORE.

49. *Fides explicita de Christo Salvatore admodum ad salutem necessaria non est.*

Apol. cap. 7. fol. 91. b. Lex fuit pædagogus in Christum, *Gal. 3. 24.* unde & fides venisse dicitur sub N. T. ibidem vers. 2. aliaque in eandem sententiam. Quod si quis hoc sufficere non credat, is videat, quomodo ex V. aut N. T. probare possit apertam atque expressam rerum istarum, quæ fidei expressæ in Christum objecta sunt, mentionem factam esse sub V. T. Remonstrantes fatentur se id deprehendere hactenus non potuisse. Fidem interim illam, quæ in promissionem Dei generalem, quæque in typos atque umbras ferebatur, credunt à Deo censitam fuisse, ac censeri recte posse pro fide in Christum, eadem plane ratione, qua Isaac, qui erat semen illud Abrahamo promissum, Christus appellatur, & promissio de semine isto, promissio de Christo *Gal 3. 16. & 19.* inprimis si umbras & typos istos intelligerent esse umbras & typos venturi Christi, quamquam id paucos admodum intellexisse verisimile est. *Limburch. lib. 4. cap. 11. §. 11. pag. 362.* An ergo omnes, qui Evangelii cognitione sunt destituti, tanquam carentes medio, quo ad vitam æternam pervenire possint, certo damnandis sint adnumerandi? Resp. Illud neutiquam videri verisimile: Certum & indubitatum credimus, neminem, quem Deus Evangelii cognitione dignatus non est, condemnandum, quia officia in Evangelio ad salutem adipiscendum necessario requisita, quale propositum est fides in JESUM Christum, non præstitit; sed solummodo quia naturæ legem transgressus est. *Et vicissim pag. 363.* Quod si qui-

dam gratia hac communi recte utantur, & pro virium sibi per illam concessarum modulo honestati naturali operam dent, illos etiam pro ratione status, in quo degunt, Deo gratos esse credimus, neque à salute prorsus exclusos; saltem igni infernali non adjudicandos. *Hendric. Welsing. lib. de offic. hom. Christ. fol. 3.* Scriptura nusquam mentionem aliquam facit fidei in Christum, nisi eo tempore, quo ipse advenit. Causa hujus erroris (nimirum de fide ante Christi tempora) est, quod creditum sit, nusquam salutarem & justificantem fidem esse, quam fidem in Christum. Aspice tantum fidem in Deum, quæ hominem eadem præditum Deo ipsi acceptum reddit, etiam ante adventum Christi, sine ullo respectu illius fidei in Christum ipsum, idem fides ea præstitit.

50. Forma specifica unionis duarum in Christo naturarum non consistit in indistantia & substantiali earum conjunctione; in quo vero alias quocunque nomine id veniat perinde est.

Apol. cap. 8. fol. 93. Forma specifica personalis unionis non consistit, nec statui potest, in sola substantiali naturæ divinæ & humanæ indistantia sive conjunctione; Alioquin enim non modo tota Trinitas (quippe essentialiter ubique præsens) vere incarnata esset, sed etiam quilibet homo, immo quælibet bestia, aut planta, denique quælibet creatura, licet abjectissima, unionis hypostaticæ revera particeps esset. Aliud itaque quid necessarium esse dicit, præter istam indistantiam, in quo forma specifica unionis istius sita est: Quid autem illud sit, non definit sc. Vorstius: Sive enim certo nomine exprimatur & vocetur vel influxus vel illapsus arcanus personalitatis τȣ̃ λόγȣ, vel alia aliqua singularis Deitatis operatio, per quam humana Christi natura ad hypostasin τȣ̃ λόγȣ quasi intime attracta sit, vel extraordinaria quædam Dei dispensatio, ut Tertullianus loquitur, sive dicatur certo nomine exprimi non posse, ut Scholastici plerique volunt, id ei perinde est.

51. Christus secundùm humanam naturam non fuit omnino impeccabilis.

Limburch. lib. 4. cap. 13. §. 18. pag. 375. Objiciunt tamen in contrarium exemplum Domini nostri JESU Christi, qui Deo Patri obedivisse & quidem perfecte, dicitur, & tamen peccare non potuerit. *Et post paucа:*

ca: Resp. Quod ad Dominum nostrum JESUM Christum, probari nequit, ipsum in diebus carnis suæ respectu naturæ suæ humanæ, à potentia præcepto divino, de redimendo humano genere per mortem suam, non obediendi fuisse immunem; quod si quis peccandi potentiam vocare velit, nos de voce non multum contendemus. (Quamvis peccatum proprie sit, per quod quis pœnæ divinæ reus fit, quod in Christo locum habere non potuit.) Quoniam enim nulla facta est naturarum confusio, quæ causa, quod impeccabilitas, naturæ divinæ attributum, magis communicata sit humanæ naturæ, quam reliqua attributa; aut, quam humanæ naturæ attributa communicata sunt divinæ; Imo si Dominus impeccabilis prorsus fuisset ratione naturæ suæ humanæ, nobis per omnia similis, solo peccato excepto, dici non posset, ut legimus *Hebr. II.17. IV.15.* sed summa inter ipsum & nos dissimilitudo esset: nec illius obedientia, uti passim fit, nobis in exemplum proponi posset.

52. *Christus pro nobis non satisfecit, ut pœnas nostras sufferret nobisque justitiam promereretur.*

Apol. cap. 8. pag. 97. Satisfactio itaque Mediatoris pro peccatoribus nec necessaria fuit nec possibilis. Ratio: Quia jam efficaciter volentem salvare, movere ad volendum salvare nec necesse, nec possibile esse ex terminis patet: At Satisfactio Christi nulli alii fini servit, quam ad movendum Deum ut peccatoribus bene velit, id est, ut peccatoribus reconciliari & cum iis in gratiam redire velit. *& f. b.* Meritum Christi, eo ipso quia meritum est, ut medium statuitur, quo procuratur non tantum salus peccatoris, sed ipsa divina gratia, id est, quo Deus movetur ut velit salutem peccatoris, quam alioquin velle non poterat, ex Censorum mente. Quare, cum Deus statuitur jam ante destinatum meritum Christi, voluntatem illam salvandi efficacem habere, fieri non potest, ut meritum Christi tanquam medium subordinetur isti voluntati. Et hoc est perpetuum Censoris σφάλμα, quod Christum ejusque meritum in voluntate executiva præcedere velit salutem nostram, sive dationem salutis, vel, uti aliquando loquitur, voluntatem dandi salutem, cum de eo non quæratur, sed de ipsa volitione sive voluntate Dei efficace, qua salutem peccatoribus vult efficaciter. *Et mox fol. 98. a.* Effectus meriti Christi est reconciliatio Dei cum peccatoribus. Reconciliatio autem activa aliud nihil est, quam efficientia voluntatis salvandi, loco

voluntatis perdendi. Itaque aut voluntas salvandi efficax non præcessit, aut, si præcessit, Christi peccatoribus reconciliationem cum Deo non promeruit. *Limburch. lib. 3. cap. 13.* § *7. pag. 228.* Quæritur, an Dn. JESUS sustinuerit pœnas damnatorum, vel, uti alii loqui amant, damnandorum? ita docent quidam, quod Deus Pater omnium electorum peccata Filio suo imposuerit, eorumque pœnas ab ipso exegerit, Christumque eas & in horto & in cruce pendentem sustinuisse. Quidam eorum adeo crude loquuntur, ut dicant, Christum ante mortem dolores aut cruciatus infernales in anima sustinuisse: gaudium & fiduciam, quod ex fide & fiducia solet emanare, non tantum non sensisse, sed loco ejus sensisse pressuram & vexationem, proficiscentem ab ira DEI, non adversus ipsum absolute, sed quatenus sponsor noster fuit: & non tantum timuisse, sed & sensisse iram Dei. Atqui sententia illa manifeste est falsa, rationi rectæ ac Scripturæ repugnans, atque in Dn. JESUM, ac Deum Patrem ipsum manifeste injuria. *Et lib. 3. cap. 21.* §. *2. pag. 268.* Si Christus hac ratione pro nobis meritus sit justitiam, ipseque eam ita pro nobis præstitit, ut nos in ipso legi Dei per omnia simus conformes, nihil à nobis potest exigi, ut justitiæ illius participes simus, ne quidem ut meritum id fide apprehendamus. §. *6. pag. seq.* Satisfactio Christi dicitur, qua pro nobis pœnas omnes luit peccatis nostris debitas, easque perferendo & exhauriendo divinæ justitiæ satisfecit. Verum illa sententia nullum habet in Scriptura fundamentum. *Et rursus*: Si Christus omnes peccatis nostris debitas pœnas plene sustinuit & exhausit, nihil Deus nobis ex gratia condonare posset.

53. *Christus perfectioribus præceptis Legem V. Testamenti auxit, vitæque æternæ promissionem subjecit.*

Apol. cap. 12. pag. 138. Sic Remonstrantes, inquit Censor, transibunt in Socini castra: Papæ! quantum crimen! Imo vero, sic cum antiquitate pene tota sentient. Est enim constans & communis veterum pene omnium sententia, Christum JEsum nova quædam & perfectiora præcepta legis Mosaicæ præceptis addidisse. *Et rursus*; I. nunc & Socinum sententiæ hujus autorem facito, pro qua tota pene Antiquitas stetit. Promissionem vitæ æternæ à Deo sub V. Fœdere factam, aut lege Mosis comprehensam fuisse non solus nec primus Socinus, sed eadem multis

multis retro ante seculis negavit Antiquitas: utrumque hoc prolixe varii probarunt iique antiquitatum peritissimi scrutatores. *Armin. Disp. de Leg. & Evang. comp. thes. 6.* Tertium discrimen inter legem, quatenus per Mosem data est, & V. Testam. vocatur, & Evangelium, qua nomine Novi Testam. venit, & in materia promissionum & mandatorum. Promissiones enim V. T. pleræque sunt corporales, promittentes terrenam hæreditatem convenientem veteri homini: Evangelium vero continet promissionem cœlestis hæreditatis, congruentis novo homini. *Episcop. Disp. de conv. & discrim. V. & N. Test. thes. 5.* Secunda differentia V. & N. Test. est in speciali materia promissionum. Promissiones legis enim, præfigurantes cœlestem beatitudinem, fuerunt temporales, & de terrena felicitate. Evangelium vero vocatur, introductio melioris spei *Hebr. 7. v. 19. & 8. v. 6.* Dicitur continere maxima, & pretiosa promissa. *2. Pet. 1. v. 4.* Nimirum, plenariam remissionem peccatorum, copiosam donationem Spiritus S. & vitam æternam[illegible]quando in cœlo degendam.

54. *Idem ergo non immerito Legislator dicitur.*

Apol. cap. 13. pag. 143. Interim hoc notandum sedulo hic venit, quod Censor admodum solicite, tum hic, tum alibi sæpius, id cautum velit, ne Christus Dominus noster credatur legislator, aut Evangelium ejus credatur Lex esse, quæ opera illa sancta, instar Legis alicujus, præscribat ac jubeat. *& fac. b.* Quid vero etiam est, quod clarius, disertiusque in Evangelio traditur, quam Christum Legislatorem nostrum esse? An non ipse passim dicit; Hoc est mandatum meum: Mandatum novum do vobis: Vos Discipuli mei eritis si feceritis quæcunque ego mandavi vobis: Audistis dictum fuisse Veteribus: Ego vero dico vobis? An non ipse mandata sua sancit promissionibus præmiorum & pœnarum comminationibus? Et quid aliud quæso est Legislatorem esse? *Cap. 15 fol. 151.* Non enim dicunt Remonstrantes finem adventus Christi fuisse, ut ista mandata nobis ferret, nosque per eorundem observationem salvatum iri doceret, sed tantum Christum, qui venit in mundum, mandata illa nobis dedisse, eaque ad obtinendum æternam salutem observatu necessaria esse. *Limburch. lib. 3. cap. 16. §. 4. pag. 245.* Est quæstio, utrum Christus sub Novo Testamento præcepta dederit proprie dicta, quorum obedientiam sub conditione promissæ salutis ab hominibus exigit? Contra-remonstrantes Christum in munere suo mediatorio vix aliter quam Sacerdotem considerantes, qui plene Deo Patri pro

omnibus

omnibus electorum peccatis ſatisfecit, eorumque loco legem implevit, negant Evangelium continere præcepta, quæ in eo occurrunt, eſſe ſolummodo repetita ex Lege, quorum obedientiam non ſub ratione legis, aut conditionis præſtandæ ab electis Dominus exigit; ſed in ipſis Spiritus ſui virtute efficit; adeo ut aliquid præcipiens, revera promittat quid ipſe in electis effecturus ſit. Verum illa ſententia omnem obedientiæ neceſſitatem penitus evertit, omneque ſtudium ſanctitatis exſtinguit.

55. *Sed mandata Chriſti non eum rigorem exigunt atque illa Moſis.*

Apol. cap. 15. f. 152. Remonſtrantes ubique ſic ſtatuunt: Præcepta iſta omnia pariter obſervatu neceſſaria eſſe, ſi quis ſalutis per Chriſtum particeps eſſe velit; At præcepta iſta omnia obſervare non eſſe ea adeo plene, rigide ac præciſe obſervare, ut nunquam in ullum eorum impingas, ſive per inadvertentiam, ſi[illegible]r ſubitam aliquam paſſionem, ſive per aliam aliquam improviſam ὁρμὴν; imo credunt hoc fieri poſſe, &, ſi modo accedat pœnitentia, Deum talem cenſere eorum loco, ac ſi præcepta omnia, prout oportet, plene ac rigide obſervaſſet. Et hac in re obſervatio præceptorum Evangelica differt à Legali, quod hæc plena, rigida & præciſa eſſe debeat, & ſi unum modo interveniat peccatum, nec remiſſioni nec pœnitentiæ locus ſit; illa vero, ut plena, præciſa & rigida ſit obſervatio, non requirat, dummodo abſit voluntas nihil unquam faciendi quicquam contra ullum Legis ſeu præceptum ſeu interdictum & in melius ſemper proficiendi.

56. *Cultus ei præſtandus præcipue quatenus Mediator noſter eſt.*

Confeſſ. cap. 8. §. 8. pag. 30. Hiſce quidem officiis ſuperſtruitur, & agnitio, & cultus JESU Chriſti proprius, quatenus Mediator eſt. *Cap. 16. §. 1. pag. 54.* Et hactenus quidem præcipue de agnitione & cultu ſolius DEI actum eſt. Hanc autem partem excipit agnitio & cultus JESU Chriſti proprius, qua quidem is Mediator eſt, §. 2. Itaque qui JESUM Chriſtum, quatenus Mediator noſter ap. Deum eſt (præſertim ex quo tempore ad ſummam illam ſublimitatem evectus, inque patris ſui throno, ad dextram ipſius collocatus eſt) ſancte ac religioſe colit. *Apol. cap. 12. fol. 135. b.* Nam Chriſto JESU ut Mediatori, ac proinde ut homini à Deo honorem adorationis, datum eſſe ſtatuunt, quia Scriptura id diſerte

non

non uno in loco adfirmat. *Et vicissim fol.153.b.* Tota enim vis argumenti in eo posita est, quod Deus Pater Christo ut Mediatori gratiose, adeoq; ex promisso, honorem & dignitatem hujus cultus communicaverit. *Limburch. lib.5. cap.18. §.1. pag.470.* Licet ab objecto cultus divini omnes creaturas excluserimus, non tamen hoc ad JESUM Christum Dominum nostrum, ut Mediatorem inter Deum & homines, & gloria ac honore coronatum, & ad dexteram Dei Patris exaltatum, extendendum est. Quanquam enim quatenus homo, creatura etiam est; tamen ratione exaltationis suæ & muneris Mediatorii adeo longe supra omnes creaturas superexaltatus est, ut honor religiosus ipsi ab omnibus, tanquam ipsorum Domino, maxima cum animi devotione ac reverentia sit tribuendus.

57. *Non tamen summus ut Deo patri.*

Apol. cap. 12. pag. 138. Nam Deus se ipsum non abnegat, cum Filio suo JESU Christo, ut homini honorem adorationis concedit. Honor enim iste non est honor, quo Christus, qua Mediator adoratur supra ipsum Deum, aut ut summus ac supremus Deus, cui ex se honor ille debetur; absit! hunc honorem, hanc gloriam sibi soli integram semper servat Deus. *Limburch. loc. cit. §. 2.* Cultus qui JESU Christo competit, duplex concipi potest: vel quatenus est Deus Filius, seu Deus; vel quatenus est Mediator, in mundum missus, & postea in cœlum exaltatus & constitutus rex, accepta potestate in omnia. Prior cultus non est alius ab eo, qui Deo Patri exhibetur: Posterior cultus non est absolute summus & qui Christo Mediatori à se competit; sed cultui Patris subordinatus, & à Patre gratiose ipsi communicatus: & exhiberi præcipitur. Unde liquet, ipsum non terminari in Christo ipso; sed tendere ad gloriam Dei Patris; sive expresse, sive tacite ad Patrem referatur: perinde uti honor legato exhibitus non in legato terminatur, sed ad gloriam regis, à quo missus est, tendit.

58. *Etsi enim naturalis Dei Filius: adoptivum tamen etiam dici non repugnat.*

Apol. pag. 49. b. Clarissime in adoptione res patet. Is qui naturaliter filius alterius est, vere quidem filius adoptantis fit, etsi non proprie, quia in jura omnia filii succedit, non aliter quam si proprie ex adoptante genitus esset. *fol. 50. a.* Ista duo sibi invicem ex diametro non

 repugna-

repugnare, id unum fortissime evincit, quod Christus etiam secundum naturam humanam, Filius Dei natus fuerit, & tamen gratiosa divinæ potestatis, dignitatis & gloriæ communicatione, Filius Dei factus fuisse, & nomen supra Angelos omnes excellentissimum, videl. nomen Filii hæreditasse dicatur in Scripturis. *Et vicissim:* Non desunt inter Reformatos, qui id non dubitant adserere, quia sic Filius Dei, sive ex Spiritu divino conceptus ac natus fuit: ubi autem nativitatis jus locum habet, ibi adoptio locum habere non potest. Adoptio enim, est mera generationis imitatio seu simulatio, uti Jureconsulti loqvuntur.

V.
DE HOMINE IN GRATIAM RESTITUTO.

59. *Ad conversionem hominis prærequiritur animus natura docilis & educatione probus.*

Apol. cap. 10. pag. 118. b. Notandum est obiter; A Remonstrantibus hic affirmari ad fidem vel adsensum fidei obtinendum requiri ex parte hominum docilitatem & probitatem non quasi fieri nullo modo possit, ut alii ad finem etiam adducantur, aut dociles & probi reddantur: Nihil minus, sed quod sine docilitate & probitate animi adsensus fidei commode, Nota bene vocem hanc commode, elici non possit. *Vicissim:* Nemo, qui ad Christum vocatur, talis est, qualem eum natura finxit. Educatio, conversatio, institutio, aliaque discriminant mortales maximam partem, eosque variis adfectionibus imbuunt. *Et in fine atq; fol. seq.* Neque vero negandum omnino videtur, conditionem temperamenti cujusque hominis vim magnam habere ad mores animi, ad virtutes & vitia. Pro ratione ejus aptior vel ineptior quisque est ad docilitatem & probitatem animi consequendum. Præcipuam tamen vim habent educatio & institutio. Atque inde fere discrimen petendum est. *fol. 119.* Atqui docilitas, quæ nos aptos reddit ad virtutes, sive ad honestatem morumque castitatem, quomodo non reddat nos aptos ad res divinas? *fol. 120.* Docilitas naturalis, nisi affectibus & præjudiciis præoccupata sit, magis aptos eos reddit ad fidem & fidei documenta facilius & libentius admittendum, quia documenta fidei rationi rectæ non

non disconveniunt, etiamsi à sensibus remota sint. *Limburch lib. 4. cap. 11. §. 4. pag 360.* Licet autem omnes homines sint corrupti, & ex se inepti ad cogitandum, quæ ad salutem æternam ducunt; non tamen omnium æqualis est corruptio, nec per consequens omnes æque sunt inepti ad fidem vocationi Evangelicæ præbendam. *Et mox*: Sunt quidam, qui omnem rectæ rationis usum excusserunt, seque ita totos uni sive pluribus peccatis manciparunt, ut se nulla ratione ab eo avelli permittant, neque ullam prorsus disciplinam meliorem velint admittere, etiam quando ipsis offertur. Hi animi improbitate ac malitia laborant, taliumque non est fides. *§. seq.* Alii eousque non sunt prolapsi: carnales quidem & terrena sapientes; sed tamen non omne rectæ rationis dictamen respuentes; in quibus proinde quædam docilitas superest; eaque in aliis pro peccatorum & peccandi assvetudine diversa, vel major, vel minor. Quidam assveti quidem sunt secundum rectam rationem & conscientiæ dictamen vivere, & virtutem sectari; nondum tamen decreto animi tam firmo, ut propter illam omnia velint abnegare: Non quia animi improbitate laborant, sed cognitione idonea destituuntur: aut enim non satis intelligunt, æqvum esse, ut ob bonæ conscientiæ studium patiantur; aut non satis apprehendunt vitæ æternæ certitudinem & præstantiam, quam malorum illorum toleratione, & bonorum alias sibi gratorum abnegatione, consecuturi sunt. &c. *Rursus:* Alii hisce sunt inferiores, assveti nimirum cupiditatibus carnis, etiamsi ratio dictat eas esse fugiendas; consvetudine tamen peccandi carnisque illecebris delinitì, promoveri nequeunt ut iis valedicant, virtutique operam dent, nisi certi sint, per earum abnegationem se bonum multo majus consecuturos; tum enim ratio, melioris boni spe suffulta, vires acquirit majores, voluntatemque antea dubiam ac fluxam, in alteram partem impellit.

60. *Verbum Dei non nisi moralem influxum præstat.*

Conf. ss. cap. 11. §. 4. pag. 36. Ut autem commode assensus hic à nobis eliciatur, duo imprimis necessaria sunt: I. Argumenta talia ex parte Dei, quibus verisimiliter nihil opponi potest, cur credibilia non sint & fidem non mereantur ea, quæ credenda nobis proponuntur. II. Pia docilitas, vel animi probitas in eo, à quo fides ista postulatur. *Apol. cap. 14 p. 145.* Auxilium morale, verum est auxilium & quod solum voluntati liberæ, ut auxilium, dari potest. Quare, qui præter potentiam creden-

di, auxilium insuper morale (quocunque demum modo id Deo subministrare libeat) accipit à Deo, eoque auxilio motus præstat, quod Deus præcipit, is cur non possit, imo cur non debeat Deo acceptum ferre totum id, quod actu præstat & præstando consequitur? Hujusmodi auxilium fideles à Deo petere & fidelibus a Deo ordinarie dari dicunt Remonstrantes. *Episcop. Disp. 15.* Ad fidem hanc concipiendam, aut habendam duo requiruntur: 1. Recta dispositio ejus qui crediturus est. 2. Argumenta vel adscita, quibus moveatur ut credat. Thes. 10. Argumenta quæ hominem movere debent, ut credat, vel sunt externa, puta miracula seu opera extraordinaria vi facta, vel interna, quæ ex ipsius Evangelii substantia promuntur, & talia, quibus verisimiliter nihil opponi potest. *Limburch. lib. 4. cap. 14. §. 14. pag. 385.* Atqui omnis hæc operatio non physica, sed moralis actio est, cui resisti ab homine potest, quæque ut effectum habeat, requirit animum minime refractarium.

61. *Impotentia vero si qua in aliquo reperitur, non ea naturalis est: sed moralis, diuturna obstinatione & prava consvetudine contracta.*

Apol. cap. 10. fol. 121. Cum Remonstrantes dicunt, Fidem esse in omnium potestate, non id volunt, quasi omnibus & singulis omni tempore facile ac proclive sit credere, & ex fide obedire Deo, quando tantum volunt: Absit! sed hoc tantum volunt, per Deum ac divinam bonitatem & clementiam non stare, quo minus ii, qui primitus ad fidem vocantur, possint Deo vocanti credere ac parere. Potentiam etiam ad credendum homini nunquam prorsus negari, nec penitus adimi à Deo; sed quæcunq; homini accidit impotentia, eam à voluntate hominis sola provenire, eamque non tam physicam quam moralem esse impotentiam, quæ ex diuturna obstinatione & consvetudine tergiversandi nascitur, unde homo adeo ineptus ad credendum, adeoque alienus, a credendo redditur, ut impotenti similis fiat. *Cap. 17. pag. 160. b.* Peccatum Adami, &, quod ex eo nulla sua propria culpa contraxerunt, peccatum Originis, eos adamantinis vinculis tenet constrictos, ut non possint non, tam in principio quam in medio & fine DEO vocanti obluctari. Atque hæc eorum ingratitudo contumacia vocatur, eodem credo, jure, quo rupes aut scopulus contumax vocatur, qui respuit aquas, à quibus alluitur. Pudet hæc tam turpia, tam fœda, tam insana multis refellere.

Lim.

Limburch. loc. cit. p. 361. §. 6. Non ergo omnes natura indociles sunt & improbi: non enim indocilitas oritur ex natura, hominique connata est; sed institutione, & potissimum prava assvetudine adsciscitur: Si enim à natura esset, æqualis esset in omnibus; naturalia enim omnibus sunt æqualia.

62. *Opera bona non spectanda è persona, à qua proficiscuntur: sed è forma sua & cum recta ratione conformitate.*

Apol. cap. 6. fol. 73. & seq. Ut actio moraliter bona sit, sufficit si rectæ rationi conveniat, id est, si fiat ex animo, qui virtutis, honestatis & probitatis studio revera ducitur, etiamsi Legis & Evangelii notitia careat, & à quo exclusum est tum propositum faciendi quicquam contra divinæ voluntatis regulam, tum privatæ gloriæ studium: ut enim formaliter includatur, tum propositum faciendi tantum id, quod lex divina vel Evangelium jubet, tum studium divinæ gloriæ, tum fides in Christum, actionis moraliter bonæ natura non postulat, uti ex rei natura satis liquet: multi enim fuerunt omni ævo, hodieque sunt, qui de Lege & Evangelio ne fando quidem audiverunt, quos tamen moraliter bonos ac virtuosos esse aut fuisse nemo facile negaverit. *Et cap. 10. fol. 122.* Virtus est virtus, à quocunque ea exerceatur. Et quicquid cum recta ratione congruit, id virtutis nomine dignum est. Vera Dei cognitio non facit ut opus rectæ rationi congruens virtus sit, sed ut opus rectæ rationi congruens Deo sic placeat, ut id remuneratione dignum censere velit. Nihil enim, etiamsi optimum sit, Deo sic placet, ut id remuneratione dignum censeat, nisi quod ex obedientia divinæ voluntatis, sive ex deliberato Deo obediendi animo proficiscitur. *& p. 6.* Potius collegerit quis eos, qui ex ista firma certaque animi persvasione aliquid faciunt, non peccare. Et cum persvasio illa esse possit etiam in iis, qui vera Dei cognitione carent, ut in judæis & gentilibus multis, efficietur itaque fieri posse, ut quis non peccet, inprimis cum id, quod ratio recta bonum esse dictat, facit, etiamsi cognitione Dei vera careat. *Limburch. lib. 4. cap. 11. §. 6. pag. 361.* Tandem quidam hisce omnibus meliores, sed pauci admodum, Deo serviunt secundum notitiam quam habent; sed tamen, quia Evangelii cognitione destituti sunt, etiam quibusdam vitiis laborant, à quibus per Evangelium mundari debent, virtutibusque destituuntur,

quas non nisi per Evangelii gratiam acquirere possunt. Hi vocantur pii, & Deum timentes *Act. 10. 34. 35.* nempe pro ratione status in quo sunt, ut distingvantur ab iis, qui jam per Spiritum JESU Christi, regeniti Deum timent, ipsique placent ad vitam æternam: & justi qui resipiscentia non indigent, *Luc. 15. 7.* quia non tam egebant resipiscentia, id est, totius vitæ anteactæ mutatione, quam illuminatione intellectus. *Et mox:* talesque ordinarie, quam primum Evangelii verbum ipsis annuntiatur, credunt. *Denique:* Hi licet aliis minus sint corrupti, indigent tamen gratiosa Dei vocatione ad resipiscentiam agendum omnium peccatorum, quibus hactenus indulserunt, fidemque in JESUM Christum concipiendum. Quod evidentissime ex exemplo Cornelii liquet. *Iterum* §. 7. Quæri hic posset, unde hæc in hominibus docilitas? Resp. A gratia illa communi ac generali, quam Deus per opera Creationis ac Providentiæ omnibus hominibus communicat. Siquidem Deus non tantum hominibus rationem dedit, ut fax esset, quæ omnibus ipsorum actionibus præluceat: sed & per opera Creationis ac Providentiæ homines ad se vocat, ipsorumque rationem excitat, ut ea contemplando benignissimum sapientissimum ac potentissimum creatorem, omniumque gubernatorem, agnoscant & debite revereantur, ut ita favorem ejus consequantur. *Nec non* §. 9. *pag.* 362. Quæ manifesto ostendunt gentes & naturali rationis lumine, & generali illa gratia, quæ ex operibus Dei percipitur, eatenus potuisse honestati operam dare, ut eorum conscientia ipsos coram Deo ut criminum graviorum non reos, absolvat.

63. *Hinc etiam irregeniti, & qui adhuc peccatores, possunt servire DEO secundum interiorem hominem.*

Apol. cap. 11. fol. 130. Cæterum fieri posse, ac non raro fieri, ut ii, qui per Spiritum Christi regeniti non sunt, imo qui peccatores sunt & vocantur, bonum etiam velint, malum oderint, mente serviant legi Dei, delectentur lege Dei, quoad interiorem hominem, aliaque similia, multa Scripturæ loca docent. *Et pag. seq. Phrasis ista, diligere Deum ex toto corde &c.* familiariter seu moraliter accipienda est, prout exprimens istam perfectionem, quam habitus virtutis confirmatus dare potest ac solet. Habitus autem confirmati perfectio, non in eo tantum aut potissimum sita est, quod cor eorum, in quibus habitus iste confirmatus est, sincerum sit & ἀνυπόκριτον, ita ut omne id, quod recte faciunt, ex affectu sincero

cero ac non simulato faciant, uti Censor se credere significat: Nihil minus. Perfectio ista incipientibus & proficientibus non minus est communis quam adultis & perfectis in pietate, imo sinceritas sive perfectio ista ἀνυπόκρι]τ@ locum habere potest in iis etiam, qui plerumque adhuc peccant, sicut in incontinentibus manifestum est. *Limburch. lib. 5. cap. 3. §. 5. pag. 402.* Quaeritur itaque, an ad boni operis essentiam requiratur, ut ex vera in Christum fide procedat? ita communiter docent Contra-Remonstrantes, omnia irregenitorum opera, sive eorum qui vera in Christum fide destituti sunt, esse peccata; & licet speciem quandam obedientiae coram hominibus repraesentent, esse coram Deo tantum hypocrisin; imo licet sint recta, & rationi, imo patefactae divinae voluntati consona, esse tamen, quamdiu fide in Christum sunt destituti, coram DEO solummodo splendida peccata. Nos è contra dicimus, in bono opere simpliciter considerato conditionem hanc necessariam non esse: sed eam solummodo requiri in opere Evangelico, quod Deus gratiosae vitae aeternae praemio se remuneraturum promisit: in reliquis sufficere ut normae suae, id est, rectae rationi congruant, hoc est, ut ex animo virtutis amore inflammato procedant, destituto licet scientia Legis & Evangelii: dummodo homo alienus sit á proposito quicquam divinae voluntatis regulae, á Deo ipsi inditae, adversum faciendi, aut á propriae laudis studio. Sententia autem contraria dura est ac horrida, & tam Scripturae, quam rectae rationi adversa. *Et §. 10. p. 403.* Natura boni operis praecise non requirit, ut proprie illi fides in Christum inclusa sit, aut directa aut expressa absit intentio Deum facto suo honorandi: modo generalis adsit intentio Deum colendi, & natura actionis honestae talis sit, ut per se ad honorem Dei referatur; & homo ipse alienus sit tum á proposito quicquam voluntati divinae adversum faciendi: tum à propriae laudis studio. Quicquid enim normae suae congruit, virtus est, á quocunque peragatur. Tales fuere multae actiones Ethnicorum, & quas Christiani merito erubescant, Socratis, Phocionis, Aristidis. &c. imo & Stoicorum, qui docuerunt, virtutem sui solius causa esse colendam; nec deserendam, etiamsi maximi propter eam sint sustinendi cruciatus, eo quod animum intus voluptate rationali demulceret.

64. Homo in conversione sua gratiae vocanti cooperatur, neq; in illa adeo pure passive se habet.

Apol, cap. 17. fol, 179. b. seq. Rationes sunt I. Quia conversio per istas voces

voces denot ta, ipsis hominibus præcipitur. A fineum autem & absurdum foret, effectum istum, qui nullo modo ab homine pendet aut pendere potest, sed ab illa gratiæ efficacia una ac tota pendet, homini præcipere. II Conversio ista cum jam actu exercita est, ipsi homini tribuitur, adeo ut homo ipse dicatur, sibi ipsi facere cor novum & spiritum novum, circumcidere cor suum, salutem suam operari, &c. & tribuitur ei sub ratione virtutis & obedientiæ, quam Deus præmio vult afficere; imo cum assignatione laudis, *Rom.2.29. 1.Cor.4.5.* & concessione gloriationis, quam homo in se ipso habeat. *Gal.6.3.* Absurdum autem & alienum foret, effectum istum tribuere homini sub ratione virtutis, cum laudis attributione, & gloriationis concessione, qui nullo modo pendet à cooperatione hominis, sed in homine sine homine productus est, & ab efficacia vocationis totus atque integer dependet. *Et fol.seq.150.b.* Usus ille bonus & cooperatio ista liberi arbitrii cum gratia bonum salutare sunt Remonstrantibus, & usus iste bonus, gratiæ tanquam principali & primariæ causæ ab ipsis adscribitur, & tamen efficax gratia ab usu isto libero non à gratiæ natura aut mensura efficax ab ipsis vocari creditur. Hæc non pugnant: Gratiæ enim, cui cooperatur liberum arbitrium, motio tota moralis est, non physica. Motio autem ista principalis & primaria adeoque tota moralis causa est, per quam producitur consensus in voluntate. Et tamen consentientibus pene omnibus Philosophis ac Theologis, moralis omnis actio efficax vocatur, non à natura aut mensura actionis ipsius, sed ab usu & cooperatione liberi abritrii. *Limburch. lib.4. cap.13.§.20. pag.376.* At vero in potestate hominis est verbum illud quod audivit, cujusque sensum intelligit, meditari, rationum quibus ejus veritas ac divinitas adstruitur, pondus attentius inquirere, verbi naturam exactius examinare. &c. *& pag.seq.§.27.* Itaque omnes actus & operationes, quibus verbum circa homines operatur, considerantibus, liquet, hominem in quovis instanti libertate tam rejiciendi verbum quam recipiendi præditum; Et nisi ea semper adesset libertas, nulla esset virtus obedientiæ: quæ enim obedientia, ubi ad actionem certam homo determinatus est? nullum vitium inobedientiæ: quæ enim inobedientia, quando homo facit, quod evitare non potest? Proinde nec honor & laus, nec vituperium, multo minus remuneratio, & supplicium justa esse possunt: Qui enim non potest nolle, indignus est præmio: qui non potest velle, indignus supplicio. *Nicol. Grevinchov. contra Ames.pag.205.* Voluntas secundum libertatem suam cooperatur in sua ipsius

ipsius determinatione,& in executione gratiæ cooperantis,& ita concausa, sive necessaria conditio est, sine cujus concursu Deus in illam non influit, nec voluntas determinatur à gratia, nisi voluntas cooperetur. *fol. 209.* Arbitrium & gratia concausæ sunt, & arbitrium est causa partialis, partialitate causæ, non effectus. *fol. 219.253.* Non alienum est à Scriptura, & veritate, si quis affirmet fideles non quidem ex se ipsis, aut per seipsos, semetipsos tamen discernere ab infidelibus. Quis te discernit? in promptu causa est, ego meipsum discerno.

65. Possibile est quosdam converti & salvari per internam revelationem, aut extraordinariam aliquam externam, aut per revelationem luminis naturalis, extra cognitionem Christi etsi non sine respectu ad illum.

Apol. cap. 17. pag. 158. Eos qui beneficio gratiæ istius Legi naturæ obseqvuntur, Deo gratos esse, & vel salute æterna per extraordinariam gratiam donari, vel beneficiis majoribus gradatim à Deo affici, ut ad salutem æternam pervenire possint. *Hendric. Welsirg. lib. de offic. hom. Christ. fol. 3.* Scriptura nusquam mentionem aliquam facit fidei in Christum, nisi eo tempore, quo ipse advenit. Causa hujus erroris (nimirum de fide ante Christi tempora) est, quod creditum sit, nusquam salutarem, & justificantem fidem esse, nisi fidem in Christum. Aspice tantum fidem in Deum, quæ hominem eadem præditum Deo ipsi acceptum reddit, etiam ante adventum Christi, sine ullo respectu ullius fidei in Christum ipsum, idem fides ea præstitit. *Adolph. Venetor. in Declar. fol. 131.* Ad quæstionem istam, num posse salvari per Christum absolute, & sine ulla exceptione necessarium sit, quod isti, qui ipsius beneficii participes erunt, intelligere debent ea omnia, quæ de ipso Evangelistæ, & Apostoli prædicarunt, & conscripserunt? respondeo minime. Ad quæstionem istam, num unica via ad salutem capessendam sit Christi vita, passio, mors, resurrectio, ascensio in Cœlum, & intellectus omnium eorum, quæ de JESU intelligenda sunt? respondeo, non. *fol. 134. 135.* Quare tam severus esse deberem, quod miseras Gentes, quæ hanc patefactionem, & tam claram doctrinam, quam Apostoli habuerunt, habere non potuerunt ad minimum, & quibus [illegible] verbum hac de re forsan patefactum fuit, & tamen vitam piam duxe[illegible] semper enim subintelligendam

dam volo) has condemnem, & credam Deum cum his sine ulla misericordia secundum rigorem acturum? Quare crederem Deum plus exacturum à quopiam, quam ipsi dederit? Cui parum datum est, an etiam plus ab eo, quam illud parum exigetur? Capere non possunt quænam hæc proportio justitiæ futura sit. Imo plurimos homines salvos posse fieri, sine plena historiali fide; imo postquam iisdem Christianis fides manifesta fuit, facile est intelligere, si modo examinemus semel, quantum scientiæ unusquisque veteratorum Christianorum nunc habeat. Gentes fidem habuerunt, qua crediderunt Deum esse, quæ ab illis exigitur. *fol 138.* Nego hanc propositionem, neminem posse salvari, quin Christo per veram fidem insitus sit. *Limburch. lib. 4. cap. 11. § 11. pag. 363.* Alterutrum itaque statuendum: Aut à Deo, licet cognitione Christi destitutos, donari salute; non tamen sine respectu ad Christum, sed solummodo propter Christum, qui se redemtionis pretium dedit pro omnibus hominibus: potest quippe Deus per extraordinariam gratiam fructus sacrificii Christi etiam imputare illis, quibus nulla sua culpa Christi cognitione carere contigit; ut ita tota salus nostra in Christo fundetur: potest enim Deus homini beneficium sibi ignotum ex superabundanti gratia applicare: alias juxta ordinariam Dei gratiam, respectu eorum quibus Christus prædicatus est. *Et mox:* Aut, si nullos nisi in Christum credentes salutem adepturos velimus, dicendum eos, qui lumine naturali recte utuntur, atque ita ad fidem in Christum, quando Evangelium ipsis prædicatur, concipiendum præparati, sicque ad vitam æternam dispositi sunt, majore à Deo gratiæ luce donandos, & Evangelii cognitione illustrandos, ut ita per fidem in JEsum Christum salutem adipiscantur; imo antequam Deus tales perire sinat, extraordinario potius medio usurum, quin vel Angelum de cœlo missurum, cujus ministerio vel de ratione salutem consequendi, vel de medio ad Evangelii cognitionem perveniendi instruatur; uti olim Cornelio contigisse legimus. *Rursus:* Si quis ergo naturali lumine recte utentes in statu suo absque ulteriore Evangelii luce oppetere contingat, iis vel salutem ob Christum, licet ipsis incognitum, ex superabundanti gratia donari credibile est.

66. *Qui ergo credituri sunt, ante dispositi esse debent ad vitam æternam; ut vero à maledictione sint liberi vitæque æternæ participes fieri queant, porro fides requiritur.*

Apol.

Apol. cap. 18. pag. 193. b. Pelagianum non est, nedum plane Pelagianum, statuere dispositionem prærequiri in eo, qui Evangelio crediturus est. Id pene omnes Antiqui Patres unanimiter statuerunt. Sed Pelagianum est statuere, dispositionem illam viribus naturæ fieri posse ab homine sine ulla præveniente gratia. Scripturæ vero tantum abest ut repugnet, statuere dispositionem prærequiri in eo, qui crediturus est, ut id non uno in loco apertissime in ea expressum legatur. *Et in fine nec non pag seq.* Dispositio enim illa, & quæ dispositioni isti congruit vita, non sufficiunt ad hoc, ut quis à peccati dominio liber sit, & digne Deo vivere dici possit, atque ita ad vitæ æternæ hæreditatem obtinendam sit idoneus. Fide in Christum præterea opus est, ut à dominio peccati plenè liberetur, atque ita maledictionem effugiat, & vitæ æternæ hæres fiat. Non quælibet dispositio, sed ea demum, quæ Deo digna est, sufficit ad vitæ æternæ præmium consequendum. At hæc sine fide in Christum, juxta Evangelii sententiam, haberi non potest: Aliud itaque est dispositum esse ad fidem istam, & per consequens ad vitam æternam, quæ per illam obtinetur; aliud à peccati dominio & maledictione liberum esse. Apparet id manifeste, *Act. 10.34.35.* ubi diserte Petrus ait: Vere deprehendo Deum non respicere ad personam, sed in quavis gente acceptum esse ei quemvis, qui eum timeat & operetur justitiam: ubi quin de iis loquatur, qui nondum credunt in JEsum Christum, occasio dicti istius arguit. Nempe Cornelii Centurionis exemplum, cujus nondum Evangelio credentis pietatem Deo gratam fuisse indicare voluit: Et tamen hunc eundem salutis æternæ hæredem, & sic à maledictione liberum non fuisse manifeste satis indicatur, *Cap 11.14.* cum dicitur Angelus astitisse Cornelio, eique dixisse ut Petrum ad se accersi juberet, ex quo intelligeret ea, per quæ servandus erat ipse, & tota ejus domus. Dispositus itaque ad vitam æternam, imo & Deo acceptus erat Cornelius, antequam credebat, & tamen salutis & vitæ æternæ particeps nondum erat, proinde nec à maledictione liber. Et sane, hoc solius fidei in Christum privilegium est, quod per eam à peccati dominio & maledictione liberi fieri possumus. *Limburch. lib. 4. cap. 7. §. 7. pag. 342.* Juxta hanc observationem τεταγμένοι ad vitam æternam erunt, qui se ipsos, auxilio gratiæ antea à Deo acceptæ, disposuerunt ad vitam æternam, quacunque conditione sibi à DEO oblatam, amplectendum. *Vicissim:* Atque ita hi τεταγμένοι, qui se ipsos gratiæ generalioris ope disposuerunt ad vitam æternam, eleganter opponuntur incredulis Judæis, qui se indignos judicabant

cabant vita æterna. §. *9. pag. 343.* Ex Deo esse dicitur hic procedere auditionem verborum Dei, ex quorum auditu fides oritur. *Rom. 10. 15.* aliud ergo quid denotat, quam regenitum esse. nim: dispositionem quandam habere bonam ac Deo gratam, quæ accedente verbo Evangelii & Spiritus divini gratia fidem concipere potest, & ordinarie solet. *&* §. *10.* Unde liquet, aliquam ad fidem dispositionem reliquam esse in iis, qui se non plane manciparunt peccato, omnemque rectæ rationis usum non excusserunt; quatenus animum non ita prorsus à pietate aversum habent, quin accedente verbi divini luce, pietatis veræ amor in iis accendi possit: quanquam hæc dispositio in omnibus non est æqualis, sed in his major, quam in aliis: unde nec omnes æque prompti ad fidem amplectendam, nec iidem quovis tempore perinde apti.

67. Fides illa etiam in negotio Justificationis obedientiam præceptis Christi præstitam includit.

Confess. cap. 10. §. 2. pag. 34. Necesse est, ut fidei præscriptum non alio modo hic consideretur, quam quatenus proprietate sua naturali obedientiam fidei includit. *Et rursus:* Tantum abest, ut huic obedientiæ ac pietati aut ipsa opponi debeat aut jure possit. *Et c. seq. §. 1. fin. p. 35. & seq.* Fides novam obedientiam ipsi Jesu Christo à nobis debitam, id est, non sterile aliquod obediendi propositum, aut affectum sine effectu, sed ipsum verum & actuale obsequium ex sese continuo parit, & sibi conjunctum semper habet. *Apol. cap. 10. fol. 111. fac. a.* Ita obedientia non vocatur à Remonstrantibus forma fidei, neque est obedientia, quæ à fide, ut proprietas à forma, distingvitur; sed est genus fidei & causa, seu fœcunda mater obedientiæ istius Evangelicæ, de qua hic agimus, quæ obedientia fidei idcirco vocatur, quia ex fide præstatur DEO eam jubenti & præscribenti. *fol. 113. a.* Remonstrantes statuunt, quod per fidem in negotio justificationis intelligendus sit actus fidei, quatenus includit in se totam obedientiam hominis Christi, lege fidei, id est, Evangelio præscriptam. *Limburch. lib. 5. cap. 11. §. 10. pag. 443.* Tantum abest, ut fides in negotio justificationis non sit obedientiæ nostræ opus, ut etiam opera, quæ producit, includat, totamque obedientiam evangelicam. *Et lib. 6. cap. 4. §. 30. pag. 746.* Fides autem ipsa est actus obedientiæ nostræ, quem Deus nobis præscribit, & quem liberrime Deo præstamus, quique obedientiam omnium DEI præceptorum ex se producit. Esse actum obedientiæ

dientiæ nostræ, patet, I. Quia à Deo nobis præcipitur; *Rursus:* Et sane concipi non potest, quid fides sit, si non sit actus obedientiæ nostræ.

68. *Consideratur ergo ut actus noster, quem DEUS præscripsit.*

Apol.fol.111.fac.b. At si fides non concipiatur ut opus, ut actus noster, quomodo fieri potest ut concipiatur intelligibiliter, ut à DEO nobis præscripta & mandata? Nam sub præceptum proprie dictum, quod nobis fertur, nihil potest cadere nisi actus noster. Hæc res adeo plana est, ut Scriptura ipsa fidem idcirco vocet opus Dei, quod videlicet Deus ipse id à nobis fieri postulat. *Paucis interjectis:* Nam si fidem concipiunt ut instrumentum apprehendens, id est, quatenus est apprehendens, necesse est ut eam concipiant, quatenus est opus sive actus noster. Instrumentum enim quatenus est apprehendens, aliud nihil est quam instrumentum, quatenus agit, sive apprehensionem, quæ instrumenti actio est, exercet. *Et vicissim:* Nam instrumentum qua tale, non cadit sub præceptum, sed instrumentalis actio. Actio vero necesse est ut nostra sit actio, quando nobis præscribitur, aut à nobis ex præscripto aut mandato Dei, quando nobis mandatur ut credamus, & quid à nobis fit, quando credimus. *Limburch. lib.5. cap.11. §.10.* Fidem autem illam nolunt esse obedientiæ nostræ actum, sed instrumentum justitiam Christi apprehendens, & opponi fidei quatenus actus est. Verum multis laborat absurditatibus, quin & secum consistere non videtur sententia hæc. *Et mox:* Capi non potest, quomodo fides sit instrumentum justitiam Christi apprehendens, & tamen non actus noster: si enim fides concipiatur quatenus est opus seu actus noster. —

69. *Totamque adeo pœnitentiam, quin & Renovationem sub se comprehendit.*

Confess. cap. 10. pag. 33. Vitam autem ac veram fidem hanc appellamus, quæ necessario sibi conjuncta habet bona opera, totiusque vitæ sinceram emendationem, juxta præcepta JESU Christi institutam. *§.3.* Hac igitur ratione considerata fides, totam hominis conversionem, Evangelio præscriptam, ambitu suo continet: quæ ipsa non tantum pœnitentiam, vulgo sic dictam, sive contritionem, ac dolorem serium de peccatis præteritis: sed resipiscentiam etiam plane ac proprie acceptam;

five sinceram mentis, animi, & totius vitæ mutationem in melius juxta Scripturam complectitur. *Limburch. lib. 4. cap. 14. pag. 385.* Tota itaque similitudo in eo consistit; quod homo per actionem illam gratiæ divinæ totus immutetur, novamque vivendi rationem inchoet; itaque si comparetur ratio ejus vivendi cum priore vitæ instituto, novus omnino homo videatur, renovatus secundum intellectum, affectus, voluntatem & opera.

70. *Incommode vero dicitur Justitiam Christi nobis imputari, atque hoc pacto nos ex fide in Christi meritum justificari.*

Apol. cap. 10. pag. 112. b. fin. Atque hinc obiter etiam patet, cur Remonstrantes phrasin illam Christi justitiam nobis imputari, in declaratione sua non usurpaverint, non quod eam benigna interpretatione in commodum sensum flecti non posse credant, sed quod, si rigide accipiatur, consistere non possit cum illa, quæ propria & genuina est Ecclesiarum Reformatarum sententia, qua justitia nobis imputari dicitur propter Christi meritum, & obedientiam. Nam si utramque in rigore velimus veram esse, necesse est ut dicamus justitiam Christi nobis imputari propter justitiam Christi. *Limburch. lib. 5. cap. 11. pag. 443.* Nec justitia Christi proprie nobis imputatur; sed propter justitiam Christi nobis à DEO gratiose justitia imputatur: neque fides solam Christi justitiam respicit: sed integrum Christum, non tantum seipsum pro nobis ut victimam offerentem; sed & mandata nobis præscribentem & sanctimoniæ studium exigentem. *Et lib. 6. cap. 4. §. 39. pag. 747.* Ex hisce jam intelligitur, quomodo fides nobis imputetur in justitiam: quia obedientiam nostram quam ex fide præstamus, quæque imperfecta est, Deus gratiose propter Christum æstimare vult ac si perfecta esset: veluti si creditor debitori, qui mille florenos debet, & centum solvendo tantum est, reliqvum condonet, & partem hanc solutionis gratiose imputet in totam solutionem.

71. *Bona opera autem præcedunt utique justificationem.*

Apol. cap. 10. fol. 113. a. Omnes consentientibus calculis agnoscunt, Fidem vivam non mortuam Fidem, quæ conjuncta sibi habet bona opera, imo quæ sine bonis operibus nec est, nec esse potest, esse Fidem illam veram justificantem, ut vocant, quæ ista proprietate ab historica & tempora-

poraria ac miraculorum fide, ut ajunt, distingvitur. *Et vicissim in fin.* Sane, si dicatur fidem requiri ad justificationem, quatenus vel qua est viva Fides, necessitas bonorum operum & pietatis Christianæ fortius adstruitur, quam si dicatur Fidem requiri ad justificationem, quæ viva est. *Limburch. lib. 6. cap. 4. §. 43. pag. 748.* Ultimum judicium, in quo sententiæ justificationis & condemnationis executio locum habebit, pronuntiabitur non tantum secundum fidem, sed & secundum opera. *Et vicissim:* Si enim omnia opera à Justificatione excludantur, imo & ipsa fides quatenus est opus, necesse est hominem justificandum considerari absque omni opere bono, ac proinde adhuc impium. Quanquam concipi non potest, quomodo hoc statuentes, tamen fateantur fidem vivam ad justificationem requiri. *& §. 46.* Acriter autem hic contendere, an fides quæ viva, an vero quatenus viva est, nos justificet; sive, an opera ad justificationem requirantur necessitate solum præsentiæ, an vero etiam efficientiæ, inutile judicamus; dummodo utrinque in confesso est, Deum ad justificationem exigere fidem vivam: fidemque non esse vivam, nisi per bona opera; neminemque justificationem consecuturum, nisi viva fide præditum.

72. *Imo necessaria sunt ad salutem.*

Apol. cap. 10. fol. 113. a. Paucas tantum Lutheranorum, quos duros seu rigidos vocant, Ecclesias excipe, quæ etiam propositionem istam, qua bona opera necessaria dicuntur, saltem necessitate præsentiæ (non dico tantum ad justificationem, sed etiam ad salutem) tanquam falsam & noxiam damnare non dubitant; quibus omnes pœne Ecclesiæ Reformatæ reclamant. *Limburch. l. b. 5. cap. 78. §. 9. pag. 694.* Qui hominem sola fide absque operibus sanctitatis justificari docent, fidemque hanc in sola meritorum JESU Christi applicatione collocant, qua credunt Christum non tantum plenarie pro ipsorum peccatis satisfecisse, eorumque pœnam in se suscepisse; sed & legem Dei ipsorum loco implesse, justitiamque quam Christus præstitit, à Deo Patre sibi imputatam, non aliter ac si ipsi legem accurate observassent. Illa enim doctrina stante omnis Deo obediendi necessitas ruit. Si enim Christus ita pro nobis satisfecit, sine propria sanctitate non tantum justificari, sed & salvari possumus; quoniam quod Christus nobis absolute impetravit, nullo prætextu denegari nobis potest. *Cap. 79. §. 8. pag 698.* Obedientia quam Deus sub æternæ pœnæ comminatione exigit, est perfecta; utpote respondens stipulationi fœdere divino contentæ; quam nisi homo præstet, salutem

con-

consequi nequit: si vero ab homine præstita sit, Deus illi ut justus judex, absque justitiæ suæ violatione, salutem adjudicare potest, & revera adjudicaturus est.

73. *Ad legem tamen non adeo rigide exigenda.*

Apol. cap. 15. fol. 152. Remonstrantes ubique sic statuunt: Præcepta ista omnia pariter observatu necessaria esse, si quis salutis per Christum particeps esse velit: At præcepta ista omnia observare, non esse ea adeo plene, rigide ac præcise observare, ut nunquam in ullum eorum impingas, sive per inadvertentiam, sive per subitam aliquam passionem, sive per aliam aliquam improvisam ὁρμὴν; imo credunt hoc fieri posse, &, si modo accedat pœnitentia, Deum talem censere eodem loco, ac si præcepta omnia, prout oportet, plene ac rigide observasset. Et hac in re observatio præceptorum Evangelica differt à Legali, quod hæc plena, rigida & præcisa esse debeat, & si unum modo interveniat peccatum, nec remissioni nec pœnitentiæ locus sit; illa vero, ut plena, præcisa & rigida sit observatio, non requirat, dummodo adsit voluntas nihil unquam faciendi quicquam contra ullum Legis seu præceptum seu interdictum & in melius semper proficiendi. *Armin. resp. ad 9. quæst. fol. 176.* Præstatio Legis secundum mentem postulantis est æstimanda, qui cum aut rigide velit in summo perfectionis gradu illam observari, aut secundum ἐπιείκειαν tantum, respondebitur bifariam: Nempe, si postulet secundum ἐπιείκειαν, & vires, quas contulit, proportionatæ sint postulato, non posse hominem talem legem Dei perfecte præstare, si consideretur ut præstanda secundum rigorem. Si vero postulet secundum ἐπιείκειαν, & vires collatæ sint proportionatæ, quod dicendum est, quum Evangelico fœdere postulet, respondendum est, posse perfecte salvari. *Simon Episcop. Disp. 16. thes. 7. & 9.* De hisce (scil. tribus resipiscentium gradibus) omnibus & singulis, quod vere resipiscentes sint, affirmari posse statuimus, dummodo operam dent, ut ab habitu peccandi immunes sint, hoc est dedita opera nihil contrarium præceptis JESU Christi faciant: deinde ut ad majorem semper perfectionis gradum adspirare non desinant, singulique suas infirmitates corrigere magis magisque allaborent. Utrumque per gratiam Dei non possibile tantum, sed cuilibet ad hoc ut Christianus sit, necessarium esse statuimus. Cæterum ad resipiscentiam requiri negamus, ut quis nunquam quippiam vel minimum committat,

mittat, quod divinæ voluntati per JESUM Christum revelatæ contrarium sit: sufficere credimus, si ea, qua diximus, ratione, plerumque scilicet, & dedita opera tale nihil faciat, fragilitatum & infirmitatum rationem non habebit misericors ille pater &c. *Limburch. lib. 5. cap. 79. pag. 697.* Diximus nos Deum in Evangelio non exigere rigidam illam, perfectam, & numeris omnibus absolutam, nulloque unquam peccato interruptam; adeo ut exitium & damnationem æternam comminetur omnibus, qui vel minimo deliquerint: sed benigni instar patris nobiscum agere, &, licet lapsus fidelium suorum non approbet, eos tamen sincere ipsum quærentibus & peccatorum pœnitentiam agentibus, gratiose condonare velle. Exigit enim Deus sub N Fœdere resipiscentiam, ac promittit remissionem peccatorum. In Fœdere Novo igitur Deus de jure suo recedit: totam quippe obedientiam nostram vult esse resipiscentiam à peccatis, ac continuum in ea progressum. At resipiscentia peccatum præsupponit: nec in posterum omnem peccati actum penitus excludit: quoniam peccandi habitus statim penitus evelli nequit: hinc aliquando facilis in id relapsus, præsertim in initio; contra quod si homo continuo studio depugnet, sensim id debellabit, & indies majores in sanctitate progressus faciet. Et hoc respectu Evangelium aliquoties vocatur gratia, opposite ad legem Mosis, in qua rigor ille obtinuit. *& §. seq.* Justus est Deus, sed & absolutus Dominus, nullique superiori obnoxius; potest ergo de jure suo recedere, neque rigide exigere omnia, quæ jure exigere posset; sed legem præscribere gratia & indulgentia quadam temperatam. *§. 10.* Concedimus legem, etiam Christi, vetare omne peccatum: nec ullum posse dari peccatum, quin legi divinæ sit adversum. At hoc inter nos non controvertitur: sed, utrum lex Christi eo cum rigore omne vetet peccatum, ut non promittat veniam lapsuum intercurrentium, si eos sequatur pœnitentia, & homo sincere in pietatis studio pergat? Hoc est quod nos urgemus.

74. Siquidem si ea secundum moderationem evangelicam spectetur, non tantum à regenitis ita servari potest, ut amplius contra eam non peccent.

Confess. cap. 7. §. 8. p. 26. In Veteri Testamento non omnino defuerunt, qui gratiæ istius divinæ auxilio adjutii Deum crediderunt, & per fidem coram ipso integre ac sincere ambulaverunt; vitaque juxta

Dei voluntatem composita, dominium peccati excusserunt, & per eamdem vivam fidem etiam vere justificati fuerunt, sive à reatu peccatorum absoluti, & æternæ vitæ præmio donati: prout in Abelis, Enochi & Abrahami, Patris omnium credentium &c. exemplis liquet. *Apol. cap. 11. pag. 131.* Etsi enim de omnibus omnino regenitis, tam incipientibus & proficientibus, quam perfectis & adultis, aliquo modo recte dici possit, quod non peccent & non possint peccare, quatenus scilicet peccare significat peccandi habitu & consvetudine laborare, aut plerumque in peccatum vel peccata incidere; tamen, si vis phraseos propria videatur, de iis potissimum dici & accipi debet, qui jam in pietate confirmati ac stabiliti sunt, adeo ut animum habeant à peccando alienissimum, & peccatum vel peccatores, ut ait Propheta David, perfecto odio habeant, contra vero justitiæ ac pietatis studio & actibus usque adeo delectentur, ut ægre ferant bene aliquid agendi occasionem sibi non dari. *Et cap. 17. p. 155.* Falsum est sententiam istam, quæ statuit hominem peccatorem (nam de eo loquimur, uti Censor ipse fatetur; Quæstiones enim ceteræ, quæ Catholicis cum Pelagio erant: An homo virtute naturæ implere possit legem, sic ut à prima nativitate nullum in omni vita peccatum admittat: An per gratiam possit transigere vitam omnem sine peccato, &c. huc non pertinent: de peccatore enim agimus) per gratiam Dei præcepta omnia divina præstare aut complere posse, Pelagii cramben aut hæresin esse: nedum hæresin damnatam in Concilio Carthaginensi aut Milevitano. *Et eadem pagina paucis interjectis:* Quo pertinet, quod Augustinus non dubitat fateri, Deum possibilia mandasse, & quidem isto sensu, quod & singula & omnia singuli & omnes fideles per gratiam Dei implere valeant, usque adeo ut in sermone 191. de tempore dicat, se execrari blasphemiam eorum, qui dicunt, Impossibile aliquid homini præceptum esse à Deo, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus, in commune posse servari. *Armin. in artic. perpend. fol. 30.* Regeneratio hominem spiritualem facit, potentem ad resistendum peccato per gratiam Dei assistentem. Qui dicit regenitos posse per Dei gratiam Legem perfecte præstare in hac vita, ille non Pelagianus est, neque gratiæ divinæ facit injuriam, neque Justificationem ex operibus stabilit. *Simon. Episcop. Disp. 14. §. 5.* Præcepta moralia non tantum possibilia, sed etiam per gratiam Christi credentibus facilia esse, asserere non dubitamus. *Et Disp. 16. thes. 7.* Adulti, proficientes, incipientes, resipiscentes, de his omnibus & singulis affirmari posse statuimus, dummodo operam dent,

ut

ut ab habitu peccandi immunes sint, hoc est, dedita opera nihil contrarium præceptis JESU Christi faciant; deinde ut ad majorem &c. — utrumque per gratiam Dei non possibile tantum, sed cuilibet ad hoc ut Christianus sit, necessarium esse statuimus. *Limburgh. lib 5. cap. 79. §. 14. pag. 699.* Dicimus eundem obedientiæ modum, quem ad salutem necessarium ostendimus, etiam homini fideli ac regenito esse possibilem; nimirum, non omni modo perfectam obedientiam nulloque unquam ne minimo peccato interruptam; sed quæ studio sincero ac habitu sanctitatis constet, quæ omnem peccati habitum, actusque graviores ac præmeditatos excludat. *Et §. 15. pag. 700.* Deus mandatorum suorum obedientiam exigit, addito non tantum promisso salutis, sed & comminatione æterni supplicii, nisi præstetur: Ergo possibilis est. Alias Deus impossibile quid ab homine exigeret, & propter conditionem impossibilem non præstitam, eum æterno supplicio addiceret. Quod ab omni justitiæ & æquitatis ratione est alienum.

75. *Sed etiam ut hac ratione in hac vita perfecti quoque dici queant.*

Confess. cap. 11. §. 6. pag. 37. Unde gradus quidam hujus fidei distingui solent, pro quibus porro ipsorum credentium ac resipiscentium, seu renatorum, hoc est, eorum qui per fidem bona opera faciunt, tres diversæ classes vel ordines oriuntur: Primus ordo est Incipientium, qui Evangelio quidem vere assentiuntur; sed propter consvetudinem peccandi inveteratam, & habitum quendam inolitum, cum magno labore, molestia & lucta carnis, subinde adhuc ebullientis, & contra Spiritum (seu mentem Spiritu Dei per Evangelium illustratam) recalcitrantis, impetus ac motus domant ac subigunt. II, Proficientium, qui beneficio fidei jam aliquandiu severiori & castigatiori vitæ assvefacti, & in studio pietatis plusculum exercitati, facilius & minore cum resistentia à peccandi consvetudine se continent: etiamsi aliquando non levem adhuc luctam intra se sentiant. III. Adultorum, sive aliquatenus perfectorum, h. e. eorum, qui jam in pietate confirmati, auxilio fidei suæ, cum voluptate, gaudio & delectatione quadam, sanctimoniæ operam dant: & justitiam ac veritatem toto corde, tota anima, & omnibus viribus suis diligunt; adeo ut Scriptura de iis potissimum asserat, quod non peccent, imo, quod non possint peccare &c. Non quod nunquam, ne quidem per errorem, aut subitam aliquam passionem, vel

aliam similem infirmitatem (imprimis in gravi aliqua tentatione) delictum ullum, vel minimum, committere possint; aut nunquam reipsa committant (non enim est homo in terra, qui non peccet) sed quod vitiosos habitus jam prorsus exuerint, & à consvetudine peccandi abstineant: & proinde, si forte in peccatum aliquod incidant (quod tamen non nisi perraro accidit; quamdiu quidem ipsi sunt, & permanent vere regeniti) id tantum per errorem, vel obreptionem, vel aliquam mentis obnubilationem contingat. *Apolog. cap eod. p. 133. Locus 1. Cor. 4. v. 4.* arguit manifeste, fidelem eo usque pervenire posse, ut nullius peccati, aut culpæ (nequitiæ vocem inseruit Censor de suo, sine ulla autoritate aut ratione) conscius sibi sit, quæ sane ingens, si non summa perfectio est in hac vita. Quando autem dicit Apostolus se in eo, vel idcirco, non esse justificatum, eo non significat se peccatis & vitiis tam multis laborare, quæ remitti à Deo necesse sit, ut coram eo justus sit, sed tantum sibi supremum & peremtorium de se judicium non competere: sed Deo judici & agonothetæ, qui cum certissima scientia & sine gratia, sine odio judicabit suo tempore: fieri quippe posse, ut quamquam conscientia propria sua ei non dictet, quod in aliqua re officio suo defuerit, secus tamen quædam, quam oportet fieri. *Arminius in Declar. sentent. ad ordines f. 59.* Multus sermo seritur de perfectione fidelium, sive regenitorum in hac vita; spargorque ego hac de re aliter sentire, quam decet, fereque ut Pelagiani, videlicet quod regeniti in hac vita præcepta Dei perfecte servare possint; ad hoc respondeo, quamvis ita sentirem, propterea tamen pro Pelagiano haberi non deberem, neque ex parte, neque in totum, modo videlicet hoc adjicerem solum, id ipsos posse per gratiam Christi, nequaquam autem citra eam; quod tamen fidelis præcepta Christi in hac vita perfecte servare posset, nunquam dixi: sed neque id negavi unquam, verum totum in medio semper reliqui. *Limburch. lib. 5. cap. 79. §. 11. pag. 698.* Quicunque igitur toto animo peccatis valedicit, paratusque est Deo in omnibus obedire, quæ novit & noscere potest à DEO præcepta, perfectus est, uti Deus est perfectus: quia perfecte obedit Deo, quoniam ex toto corde obedientiam præstat. Quod adeo verum est, ut & illi, qui primum sincere peccato valedicentes totos se studio sanctitatis tradunt, licet cum molestia ac gravi lucta peccato resistant, ejusque aculeos nonnunquam percipiant, perfecti esse dicendi sint, quia pro ratione status sui perfecti sunt. Voluntas enim ipsorum, quæ obedientiæ principium est, plena & perfecta est; licet ipsa

actio

actio non cum omni alacritate, imo & cum molestia, perficiatur. *Et pag. seq. §. 14.* Cum autem tres sint regenitorum gradus, incipientium, qui peccato sincere quidem valedicunt, sed cum molestia cum eo luctantur: proficientium, qui minore cum lucta & majore cum alacritate peccato resistunt: & adultorum, qui jam peccati habitum debellarunt, & cum voluptate virtutem exercent; distinctius paulum sententia nostra explicanda est. Certum est, necessarium esse omnibus, si salutis æternæ velint esse participes, ut saltem primum regenerationis gradum assequantur: sine ullo enim nulla salus. Quod si illum assecuti statim moriantur, nullum est dubium quin ex legis Evangelicæ formula salute sint donandi. Si vero vitam eorum continuet Deus, necesse est ut ad secundum adspirent, eumque consequantur. Quod si illum consecutis vita continuetur, similiter necesse ut ad tertium contendant, eumque assequantur. Deus enim amorem sui exigit ex toto corde: Is autem nuspiam subsistit, sed semper ulterius tendit. Ad hunc modum etiam dicimus hominem regenitum supremum regenerationis gradum consequi posse; ut nempe, postquam primum assecutus est; ad secundum atque ita porro ad tertium ac supremum pervenire possit.

76. *Electi ergo etiam dicuntur hujus intuitu obedientiæ.*

Confess. cap. 9. §. 2. p. 32. Deus decrevit ad honorem filii sui dilecti omnes & solos vere in nomen ipsius credentes, sive ipsius Evangelio obedientes, & in fide atque obedientia ista ad mortem usque perseverantes, per ipsum ad salutem & vitam æternam eligere sibi in filios, adoptare, justificare, Spiritu S. obsignare & tandem glorificare. *Apol. cap. 18. p. 190.* Eodem plane sensu, quo ii, qui Deo vocanti obediunt, id est, in quibus Deus finem vocationis suæ adsequitur, vocari solent *κλητοὶ*, & vocatio eorum *κλῆσις*, cum effectu sc. *Et vicissim:* Et hoc eodem sensu ii, qui Evangelicæ prædicationi, ad quam audiendam & fide recipiendam à Deo ex cætera hominum turba gratiose selecti sunt, assentiuntur, id est, in quibus Deus adsequitur finem suum, ut Evangelio obediant & promissæ vitæ æternæ spem concipiant, electi à Deo vocantur. *Epist. Disp. 7. th. 9.* Scripturis non convenit, quia illæ passim asserunt, Deum salutem decrevisse hominibus sub conditione obedientiæ, & fidei, vel Legi, vel Evangelio præstitæ, neq; ullius alterius inconditionati decreti mentionem uspiam faciunt. *Et Disp. 8. th. 3.* Electionis & reprobationis causa

 unica,

unica, mera, & absoluta non est Dei voluntas, sed respectus obedientiæ, & inobedientiæ. *Limburch. lib. 6. cap. 3. §. 6. p. 738.* Sed quoniam Deus eos quos vocat, ad certum aliquem finem vocat, quem sine libera eorum obedientia non assequitur, fidem nempe, & per fidem salutem æternam; hinc illi, in quibus istum finem assequitur, vocantur propriissime electi. *Et pag. seq §. 8.* Electionem autem sequi fidem atque obedientiam nostram, ipsumque adeo electionis objectum esse hominem fidelem consideratum ut talem, constat ex omnibus illis locis, in quibus fides & conversio requiruntur, tanquam conditio ad salutem.

77. *Qui vero in fine demum vitæ delictorum suorum pœnitudine tanguntur, ad ordinariam gratiam confugere vix possunt, de eorumque salute non immerito dubitatur.*

Apol. cap. 11. p. 136. Quando enim resipiscentia & resipiscentiæ renovatio tota à solo DEO, & divina speciali gratia pendere creditur, tota ratio impossibilitatis, ut vel resipiscamus, vel ad resipiscentiam renovemur, ab eadem ut pendere dicatur necesse est. *Limburch. lib. 5. Theol. Christ. cap. 13. §. 17. p. 452.* In excessu fiduciæ opponitur nimia confidentia, quando quis fiduciam salutis æternæ obtinendæ concipit, sibique favorem Dei adscribit, cum tamen ob peccata sua Deum iratum timere, ejusque pœnam horrere debeat; saltem illam fiduciam concipere non possit, quam sibi temere arrogat. Tales sunt, qui profanam & impiam vitam absque ulla resipiscentia duxerunt, & in morbo, morte instante, omnia promissa, solis fidelibus facta, sibi maxima cum fiducia applicant. Quamvis enim talibus, si serio se ad DEUM convertant, quod tamen quam sit difficile nemo ignorat, in extraordinaria Dei gratia aliquod refugium reliquum concedamus, quo excitari possunt & retineri, ne in desperationem incidant; nulla tamen talibus facta leguntur vitæ æternæ promissa, quibus eadem animi πληροφορία qua fideles & vere regeniti sibi salutem applicare possint: sed solum vere resipiscentibus, resipiscentiam suam non sola tristitia aut peccati detestatione, aut sterili vitæ emendandæ proposito, sed facto ipso totiusque vitæ renovatione testantibus: *Matth. III, 10. VII. 21. Rom. XII, 2. Eph. IV, 22. 23. 24.* Fiducia itaque quam concipere possunt, licet ipsos à desperatione præservare possit, inferior tamen est fiducia vere fidelium claris Dei promissis innixa.

Ita-

Itaque promissa divina sibi applicantes, temerariam concipiunt fiduciam, eaque decepti & de statu suo securi, non eam quam oportet animi demissionem & peccati detestationem adhibent; atque ita à peccatorum reatu non absoluti, dum temere sibi salutem adscribunt, certum sæpe inveniunt exitium. *Et cap 85. §. 8. p. 727.* Quia gratiam Dei, qua conversi fuerant, sibi inutilem & inefficacem reddiderunt: in prima enim conversione omnem illius virtutem & efficaciam, qua ex animalibus in spirituales convertuntur, agnoverunt; ab illa itaque deficientes contra gratiæ divinæ virtutem à se agnitam animum suum obdurarunt, adeo ut jam, respectu illius indurationis, inefficax sit ad ipsos convertendum: nova enim illi virtus non accedit, quam prius non agnoverunt, & sua impietate sibi irritam non reddiderunt. Hinc explicari potest, phrasis, *Hebr. 6. 4.* impossibile esse ut renoventur ad resipiscentiam, quod per ordinariam Dei gratiam, quæ in Evangelio omnibus affertur, impossibile sit, quia illam sibi inefficacem reddiderunt: Non possint autem restitui, nisi per novam Dei gratiam, quam quidem Deus non expresse promisit; sed si ardentibus precibus eam peccator à Deo petat, convenienter naturæ Novi Fœderis, benigne largiturus est.

78. *Hi ergo qui eos jubent in merito Christi confidere, latam hominınibus ad impietatem viam pandunt.*

Limburch. lib. 5. cap. 13. §. 17. pag. 453. Videant autem illi, qui docent hominem, licet conscientia ipsum accuset, quod adversus omnia Dei mandata graviter peccaverit, nec ullum eorum servaverit, & etiamnum ad omne malum propensus sit, sine ullo suo merito ex mera DEI misericordia, justum censeri omnemque Christi gratiam & sanctitatem ipsi applicari, modo beneficium istud firma fide amplectatur: Videant, inquam, num hac sua doctrina hominibus secure peccandi, & in peccato ad mortem usque perseverandi & interim promissa vitæ æternæ temere sibi applicandi, ansam præbeant. Si enim sola illa fides ad justificationem sufficere doceatur, proclive erit peccatoribus sibi in mediis peccatis ac sceleribus blandiri, hac sola fiducia, quod Christus pro se justitiam exercuerit ac justitiæ divinæ satisfecerit. Qua latior ad impietatem & carnalem securitatem fenestra aperiri posse non videtur.

VI. DE

VI.
DE ECCLESIA ET REBUS ECCLESIASTICIS.

79. *Ea Ecclesia proprie Christiana dicitur, quæ per Christum Salvatorem in diebus carnis collecta & per Discipulos ejus deinde propagata est.*

Confess. cap. 21. §. p. 67. Porro cœtus illi &c. (cujus omnia & singula membra, & mutuam quandam inter se, & cum unico ac vero capite suo Dn. N. JEsu Christo, spiritualem communionem obtinent) sicut revera sunt; ita etiam jure vocantur Ecclesia JESU Christi. *Apol. ad idem cap. p. 232. init.* In hoc capite non agitur nisi de Ecclesia Christi, quæ per Ministros illos, de quibus Cap. præced. actum fuit, colligitur. *Et mox:* Quare inepte hic Censor postulat agi de Ecclesia Veteris Testamenti. At titulus tamen est, inquit, de Ecclesia JESU Christi in genere, quæ utramque Ecclesiam tum N. Test. tum Vet. comprehendit. At per Ecclesiam JEsu Christi, Ecclesiam JEsu Christi patefacti, & revelati in carne tantum intelligunt, ut ex re ipsa & connexione Capitis hujus cum præcedente manifestum est. Quo ipso propositum non habuerunt negare fideles Vet. Test. ad Ecclesiam JEsu Christi ullo modo pertinere, & per Christum aliquando salvatum iri; Absit! Nihil minus. Sed de Ecclesia N. Test. tantum egerunt, quia istud ordo & series tractationis postulabat. Quod attinet quæstiones illas, An Ecclesia Vet. Test. eadem specie fuerit Ecclesia, cum Ecclesia N. Test. sive, An ea specie fides in JEsum à Deo præscripta fuerit sub V. Test. quæ sub Novo, an eadem præcepta & promissa sint sub V. Test. quæ sub Novo, aliasque ejus generis plures, ut eas hic in sua declaratione tractarent & deciderent, nec necessarium nec operæ pretium putarunt. Quid enim hoc ad Christianum hominem facit, sive quæstiones illas sciat sive nesciat? ut quis Christianus sit, & ad Ecclesiam JEsu Christi hodie pertineat, ea sola fide opus est, quæ in Nov. Test. præscribitur. *Et p. 234. med.* Nam definitio ista non pertinet ad omnem Ecclesiam. Non enim Ecclesia omnis est cœtus vocatorum revera credentium in JEsum Christum, & simul revera Christum profitentium. *Limburch. lib. 7. cap. 1. §. 11. p. 795.* Unde colligere licet, pios, qui ante Christi adventum vixerunt, ad ipsius Ecclesiam, proprie loquendo, non pertinere:

tinere: Olim enim Deus variis modis & per varias partes locutus est patribus per prophetas: nunc autem ultimis hisce temporibus nobis locutus est per Filium; *Hebr. 1.1.* Unde & lex vocatur sermo per Angelos dictus, gratia per Dominum annuntiata; *Hebr. 11.3. & vicissim p. seq.* Propriè ergo non Christi mediatoris, sed Dei Ecclesia dicendi sunt, prout communiter in Scriptura vocantur. *§. 13.* Anxie autem hic disceptare, utrum fides hæc specie distincta fuerit ab ea, quæ nunc exigitur, ac proinde, utrum Ecclesia V. Test. eadem specie fuerit cum Ecclesia N. Testament. inutile planè existimamus. Nihil enim quæstionis hujus decisio ad fidei nostræ confirmationem ac promotionem pietatis confert. Si qui sint, qui ob eandem vitæ æternæ communionem & ob fidem in JESUM Christum venturum, quam valde explicitam faciunt, illam eandem cum Ecclesia N. Test. faciunt, fruantur illi judicio suo; modo ne alios, id secum pari cum confidentia non asserentes, non condemnent.

80. Ecclesiæ vox non designat ordinem statumque inter docentes atque auditores.

Apol. cap. 22. p. 233. Ecclesiæ, de qua hic agitur, vox in Scholis fere aliter accipi solet, quam in Scripturis. In Scholis accipitur pro cœtu & statu formato & certo quodam ordine modo coadunato: qualis status & cœtus est, ut Bellarminus ait, populi Romani, vel regni Galliæ, vel Reipubl. Venetorum. At in Scripturis rarissime ejusmodi statum significat: sed plerumque simpliciter multitudinem (magnam, parvam) credentium in Christum, aut religionem ejus simul profitentium, nulla habita ratione ad definitum statum & ordinem, qualis in Repub. sive civitate est. *& p. seq* Quare falsum est quod Censor ait, ubi non status ordoque, non est Ecclesia, si significatio vocis Ecclesiæ, prout eam Scriptura usurpat, attendatur: Status ad Ecclesiam, qua Ecclesia est juxta Scripturæ phrasin, non pertinet: imo Ecclesia semper ante statum est: Hinc Ecclesia nunquam Pastorem in Scripturis complectitur. Nec mirum, Pastor est Ecclesiæ Pastor; Ecclesia dicit quidem relationem ad docentem vel vocantem, sed non ut cum illo ordinem & statum formans, sed ut illius doctrinæ subscribens. *& p. 334.* [illegible] inde omnis Ecclesia certo ordine & statu cum Christo per ministros certosque ritus conjuncta fit. *Limburch. lib. 7. cap. 13. §. 10. p. 846.* Quod ad locum attinet *Matth. 18. v. 18.* &c. Nondum erat Ecclesia quædam formata, quæ externo presbyterio regebatur &c. Ecclesia ergo hoc in loco denotat cœtum plurium fratrum,

 nomen

nomen JESU invocantium, sive jam plene formatum, sive externo presbyterii alicujus regimine, nondum directum.

81. *Non semper nec ubique praecipue ubi coetus nondum formati, missione opus est: sed jus ad eum vel formandum vel docendum habent, qui iis donis instructi deprehenduntur.*

Apol.cap.21.fol.225.b. De missione proprie dicta, quaeritur, de qua ita statuunt Remonstrantes: Missionem, seu immediatam, qualis fuit Apostolorum, seu mediatam, ut ita loquamur, qualis fuit ordinatio Episcoporum per Apostolos, aut eorum successores, non existimant esse praecise necessariam ad constituendum ministrum Evangelicum, sive ad hoc, ut quis jure & legitime Evangelium per Apostolos praedicatum, porro aliis hominibus praedicet: Ubi coetus formati sunt, & in coetibus jam certus ordo constitutus est, fatentur mediatam seu ordinariam missionem locum habere & posse, & debere: Ibi enim ut mittantur, id est, vocentur, qui coetus istos ex ordinis constituti praescripto doceant, ordinis & decori ratio postulat. At ubi coetus nondum sunt formati, aut ordo nullus in coetibus adhuc constitutus est, ibi praedicandi Evangelium jus habet, quicunque donis ad docendum idoneis, juxta Canonem Apostolicum *1. Tim.3. Tit.1.* praeditus est, quem populus aut rogat ut doceat, pro modulo suo, aut quem docentem ultro audire sustinet. Alia missione hic opus non est. A Deo mittitur, quisquis hac ratione populum vias Dei docet, non quidem si praecisa missionis, sive verbi mittendi significatio, sed si usitata tantum attendatur. *Episc. p. part.3.Disp.26.th 4.* Nunc nullam esse missionis necessitatem, imo cuivis idoneo licere verbum DEI publice docere. Ea vero, quia paulo post conscriptam Apostolorum doctrinam locum habere desierunt, missionis illius necessitatem cessasse etiam [illegible] dicendum est: ac proinde fas licitumque esse homini Christiano non tantum in [illegible] necessitatis casu, [illegible] enormi aliqua Ecclesiae [illegible] vel corruptione, sed quovis etiam tempore verbum divinum docere, [illegible] modo idoneus sit & qui doceri volunt, id serio [illegible] obnixe postulent. *[illegible] lib. 7 c. 4. §. 14 p. 808.* [illegible] Ecclesiae institutione, cum ordo certus nondum est constitutus, [illegible] ejus restitutione, quando ordo collapsus est, alii [illegible] qui secundum [illegible] receptum missi sunt, a veritate deficientes errores periculosos

varias

variasque superstitiones loco veræ ac solidæ pietatis introduxerunt, & pertinaciter retinere cupiunt, ejusmodi missionem, ut legitime quis docendi munus exercere possit, necessariam esse negamus. *& §. 5. ibid.* Ad legitimam itaque ministri missionem sufficit, ut cœtus aliquis fidelium quendam ex medio sui, secundum ordinem Apostolicum exploratum, sibi constituat ministrum, illique jus concedat in Ecclesia ordinarie docendi ac publice loquendi, omniaque quæ decorum Ecclesiæ & auditorum ædificationem spectant, suo nomine administrandi.

82. *Esse inter presbyteros qui regant Ecclesiæ corpus, eidemque præsint, novum inventum est, & contra Ecclesiæ primitivæ consuetudinem inductum.*

Confess. cap. 21. sect. 7. Manifestum est (ex Episcopis & Presbyteris) aliis in alios imperium & potestatem proprie dictam nullo jure divino competere. *Apol. cap. 21. p. 228. b.* Et rem hanc quod attinet, etsi Remonstr. litem nemini propter eam movendam esse statuant, jure sane ac merito Presbyterorum hanc distinctionem, in Presbyteros docentes, & Presbyteros regentes tantum, novitium *εὕρημα* vir iste Clarissimus pronunciavit. Nihil in toto N. Test. est, quod distinctioni isti fundandæ sufficit. Tota antiquitatis praxis ei repugnat; & non paucæ sunt rationes, propter quas merito culpari debeat, nisi quidem necessitas eam exerceri postulet; quo casu eam non inutiliter in Ecclesia usurpari posse, haud invitè concedimus: non ut Apostolicam institutionem, sed ut ordinationem humanam. *& fol. 229.* Quod attinet praxin antiquitatis, ex ea vid. id demonstrari posse idoneis documentis, ut Censor asserit, ingentis audaciæ & temeritatis est, adeoque tam clare refellitur à Theologis Anglis, aliisque antiquitatis peritis, ut verbum addere non sit necesse. Hæc tamen, ut jam diximus, sic accipienda non sunt, quasi ordinem sive regimen illud Ecclesiasticum, quod in Ecclesiis Reformatis receptum est, illicitum aut damnandum putemus, sed ut appareat istud tale non esse, quod ab Apostolis in Ecclesiis constitutum, & ubique necessario observandum ad Apostolorum seu præscriptum, seu exemplum, censeri debeat. *Iterum p. 230.* Eusebius Hist. Eccles. lib. 3. cap. 4. *Ex Discipulorum Pauli numero fuit Timotheus, qui Ecclesiæ, quæ est Ephesi, primus Episcopatum obtinuisse creditur. Titus, qui Ecclesiis in Creta præfuit. &c.* cui consentanee ad fidem Epistolarum Pauli ad Timotheum & Titum diserte uterque Titus & Timotheus Episcopi vocantur. In fin. Epist, 2. ad Timot.

 hæc

hæc verba ſunt: *Scripta eſt Romæ ſecunda ad Timotheum, qui primus Epheſi ordinatus fuit Epiſcopus, cum Paulus iterum ſiſteretur Cæſari Neroni.* In fin. Epiſt. ad Titum dicitur: *Ad Titum, qui primus Cretenſium Eccleſiæ ordinatus fuit Epiſcopus ſcripta ex Nicopoli Macedoniæ.* Si dicas inſcriptiones has de ſubſtantia Epiſtolarum non eſſe, & ſuppoſitias eſſe, non quidem admodum refragabimur. *Limburch. lib. 7. cap. 4. §. 9. p. 807.* De Presbyteris ſimiliter quæritur, an eorum duo fuerint genera alii docentes, alii regentes, ut hodie communiter obtinet in Eccleſiis Reformatis. *Reſp.* Quin ordo ille quarundam Eccleſiarum ſtatui ſit accommodatus, mihi nullum eſſe dubium. *Et in fine §.* Ordinem autem illum ab Apoſtolis inſtitutum fuiſſe, aut Apoſtolorum tempore obtinuiſſe, ut hodie Reformati contendunt ſolide probari non poteſt. *Confer §. 10. & 11. ſeq.*

83. Magiſtratui non licet animadvertere in Hæreticos, neque decet Eccleſiam brachii ſecularis poteſtate adverſus eosdem uti.

Confeſſ. cap. 24. §. 8. p. 75. Diſciplina porro hæc non eſt ejusmodi actio, quæ cum carnali poteſtate, ſeu mundana auctoritate, aut vi ulla coactiva, ab Eccleſia exercetur: ſed tantummodo voluntaria ipſius Eccleſiæ ſeceſſio, aut ſegregatio ab eo, cum quo tanquam cum Diſcipulo Jeſu Chriſti, amplius vivere ipſis non licet. *§ 9.* Quare ii, qui diſciplinam hanc non tantum cum poteſtate carnali, & vi coactiva exercent: ſed etiam ad corporales punitiones (præſertim ſub prætextu hæreſeos vulgo ſic dictæ) poteſtatem nimiam, imo prorſus alienam, & illegitimam ſibi arrogant; quinimo conſcientiarum, ac prophetiæ libertatem rei ipſi opprimunt: & ſalutare hoc remedium, à Servatore noſtro ad peccatoris emendandum, ſapienter inſtitutum in mortiferum deleterium transmutant. *Et c. p. 25. § 4 p. 78.* Neque tamen aut juris, aut officii ejus eſt Decreta Synodica per ſecularem ullam vim Executioni mandare: eosque qui iis ſubſcribere in conſcientia gravantur, aut minis aut mulctis, nedum exiliis, carceribus, vinculis, coercere ac cohibere. *Apol. cap. 24. pag. 259.* Nulla carnalis coercitio, nulla pœna errantibus conſtituta à Deo eſt: Nulla ratio recta conſtitui permittit. *Et poſt pauca:* Nulli homini aut Eccleſiæ judicium infallibile de erroribus aliorum delatum eſt. Quare ſi coercitiones illæ admittuntur, quid erit Chriſtianiſmus aliud quam gladiatorum in ſe invicem concurrentium arena, ac mutua inquiſitio, invicem rediens incarceratio, relegatio ac flagellatio. *Et in fine:* Nihil jam dico de lege

Domini

Domini nostri sanctissimi simul ac mitissimi, quæ nil nisi amorem, benevolentiam, caritatem, aliaq; pietatis officia spirat, quæq; non in errantes solum, sed in hostes, inimicos & osores extendi jubet, cum quibus coercitio ista carnalis è diametro pugnat. Nunc tamen dico, coercitionem hanc legi naturæ & rectæ rationi esse contrariam: Error coerceri non potest externa vi: Errans pœnam non meretur, judicium peremtorium de errore nulli mortalium competit, nisi quod pro se & suo animo quisq; facit. Judicium suum, nulli jus in alterum dat, nisi ab illo secedendi, quem periculose errare credit. Hoc innoxie facere potest & tenetur, nihil amplius. *p. 277. b.* Aliud est hæresis, aliud crimen. *Et mox:* Illam qui punit, aut puniri curat, criminis culpam coram Dei tribunali gravissimam committit; quia crimen voluntaria culpa est, hæresis plane involuntaria & proprie dicta innocentia est. *Vicissim p. 278. fac. a.* Quare qui Ecclesiæ jus competere dicunt, ut Magistratum animet aut armet in capita eorum, quos hæreticos putant, ii salutare remedium Ecclesiasticæ disciplinæ, quod Ecclesiæ concreditum est ad errantes, & qui nulla sua culpa alios seducunt, (de istis enim peccatoribus hic agit declaratio) rationibus, beneficiis & censuris suis emendandum, in deleterium converterunt, & quod saluti eorum destinatum erat, ad evertendum ac destruendum eos convertunt. *Lim. b. r. b. lib. 7. cap. 10. §. 36. p. 897.* Magistratui non licet quemquam ad amplectendam hanc aut illam opinionem, aut ad communionem cum Ecclesia publica, si eam à veritate salutari recedere, aut peccatorum, hominem è regno cœlorum excludentium, ream credit, vi cogere: Licet tamen illi improbos ac turbulentos homines, religionem prætendentes, quoties contra leges politicas delinqvunt, pro facti ratione punire. Non licet Ecclesiasticis personis contra hæreticos, qui vere hæretici sunt, secularè brachium invocare: licet tamen ab iis recedere; neque amplius communionem cum iis sacram habere.

84. *Magistratus non habet jus inhibendi religionis cujusq; exercitium in privatis ædibus.*

Conf. ff. cap. 25. §. 4. p. 78. Quin neque iis, qui extra publica loca, quæ juri Magistratus subjecta semper manent, modestè, & salva semper obedientia superioribus debita, solius Religionis & conscientiæ causa convenire, aut cœtus agere volunt, molestiam facessere debet, aut jure potest: puta edictis, proscriptionibus, militum incursionibus, aliisque violentis agendi modis; sed libertatem iis, Deum publice colendi sartam tectam conservare. *Apol. cap. 25. pag. 256. b.* Remonstrantes hactenus

ubique & semper attribuerunt & attribuunt etiamnum Magistratui potestatem carnalem & vim coactivam, in personas, loca, & functiones publicas. *Rursus:* Sed extra loca publica jus nullum, nullam vim coactivam competere iis statuunt in conscientias aut actiones privatorum, quæ religionis aut conscientiæ solius causa fiunt: Hæ solius divini fori sunt, & ad tribunal humanum non pertinent. Qui contra faciunt, ii usurpant divinam potestatem in terris, & reos se faciunt Læsæ divinæ Maiestatis. Conscientias autem & actiones privatorum cum dico, non id tantum volo, quasi Magistratus vi coactiva neminem possit cogere ad hoc aut illud credendum aut sentiendum, sed quod suum cuique de Religione sensum & judicium liberum relinquere teneatur. *& fol. seq.* Sed hoc volo, Magistratum vi coactiva nulla uti posse, qua impediat subditorum in locis privatis ac propriis religiosa exercitia, quæ ad sensum, & professionem illam fovendam faciunt, & ad quæ subditi ex lege Dei ac Domini sui se obstrictos credunt. Hæc vi publica inhibere aut turbare, est conscientiis vim facere, & pabulum necessarium subducere. Quod vita sine pabulo est, id est Religio sine exercitio. Tum, exercitia quædam communia & quæ non nisi in cœtu fieri possunt, Religio ipsa dictat, adeo ut sine illis Religio trunca sit & mutila. Quare & ea libera atque inoffensa permitti necesse est. *Limburch. l. b. 7. cap. 2. § 7. p. 898* Magistratus judicium exerceat in rebus suæ cognitioni subjectis: protegat bonos, puniat malos. Doctrinam quam veram judicat in templis publicis doceri procuret, omniaque adhibeat media placida, quibus dissentientes sub. liti ad communionem cum Ecclesia publica invitentur & persvadeantur, sive per colloquia amica, sive paterna ad conciones publicas audiendum invitatione. Neminem autem religionem contra conscientiam suam amplecti cogat, nec exercitium religionis a sua diversæ in privatis ædibus per vim aut edictorum severitate impediat.

85. *Neque debet prophetandi libertatem seculari sua potestate supprimere.*

Apol. cap. 24 p. 273. b. Libertas itaque prophetandi est liber istius interpretationis usus, ita ut quis, juxta illam Deum colere permittatur, eo cultus modo, quem a Deo sibi præscriptum credit, absq; ullo dissentientium odio aut infectatione & legum publicarum, ad honestam & civilem conversationem pertinentium violatione. Libertatem itaque hanc constituit bonæ conscientiæ & sanctæ atque innoxiæ vitæ studium; pro scopo non est ibi libertas, sed libertatis abusus quæritur. Conscientiæ

tiæ stimulus excludit pruriginosam omnem libidinem altercandi, & rixandi de levibus, minutis, & nullius aut exigui usus quæstionibus, quæ nec scientem juvant, nec ignoranti nocent. *Et mox.* Innoxiæ vitæ studium excludit seditiones, factiones, convitia, maledicta, & includit liberam & liberalem dissentientium tolerantiam, sive ea fiat in iisdem sive in diversis cœtibus. Hæc est libertas illa, quam Remonstr. sartam tectam custodiri volunt, & quam in Declaratione sua opprimi dicunt ab iis, qui hæreticidium, vel quamlibet corporalem eorum, qui hæretici vocantur, coercitionem aut suadent aut non improbant. *pag. 275. b* Hujusmodi Scriptum si extingui non vult Apostolus, sed uti est *1 Joh. 4.1* probari, examinari & dijudicari ab omnibus ac singulis fidelibus, profecto omnino liberum eum esse vult in Ecclesia. Libertas autem nulla est, si spiritus iste una cum homine ipso aut incarceretur, aut suffocetur, aut strangu-letur. At inquit Censor: An Spiritus est quod cuiq; insana & corrupta mens, contendendi libido adeoque malus Spiritus suggerit? Nihil minus. Sed hoc ipsum est Spiritum extingere, aut [illegible] sibi [illegible]re, Spiritum, qui cum Spiritu nostro non convenit, pro insana & corrupta mente, libidine contendendi adeoq; mali Spiritus suggestione censendi, eoque nomine vi armata eum opprimendi. Hoc enim ubi locum habet, ibi non potest dominari nisi unus Spiritus, & quidem is, qui fortius armatus est *p. 276. a.* Certum enim est, Apostolos ipsos autoritate illa sua sic usos non fuisse, ut libertatem hanc probandi spiritus Ecclesiis ademerint. Nam Spirituum probationem iis diserte non semel commendant. *Et fac. b.* De hæreticis quæritur, non qui ea quæ in Scripturis aperte decisa sunt convellere audent, sed qui ea, quæ controversa sunt aut controversi possunt, in dubium vocant. *Et mox.* At quæ extra manifesta illa sunt interpretationes aliorum Scripturæ sensuum, eæ ad libertatem prophetandi [illegible] Scripturæ. Deniq; [illegible] maxime conjunctæ sunt. In his si quis aliis legem ponat, quam sequi teneantur, nisi mala morte perire, aut carcere, exiliove mulctari velit, næ is prophetias conculcat & in nihilum redigit, quantum in se est. *p. 277. b.* Nam quod prophetiam istam [illegible] de Doctorum in Ecclesia munere tantum intelligendum esse dicit, id vanissimum est. Prophetia illa commune donum erat, ut quod ab omnibus ambiri vult Apostolus. Cum alia omnia dona [illegible] singulorum quæ [illegible] Doctorum libertas esse debet. Singulorum fidelium est de prophetiis Doctorum judicare, & singulorum prophetias non minus expendere debent Doctores, quam suas ex singulis expendi volunt: Ordinis privilegium Doctores habent, non judi-

judicii. *Limburch. l. 7. c. 25. § 2. p. 913.* Libertatem quandam prophetandi, salvo caritatis Christianæ vinculo, in Ecclesia vigere debere, in confesso est ap. omnes: Veritas enim nusquam magis emicat, quam cum accurate inquiritur, & nusquam magis obscuratur, quam ubi libere illam inquirendi facultas est adempta.

86. Etsi Synodi non inutiliter institui possent & deberent, tutius tamen utiliusque est eas non convocare; siquidem damnum ex illegitima earum celebratione multo gravius metuendum, quam fructus ex justa earum convocatione sperari possit.

Apol. cap. 25. p. 283. Scopus Declarationis est judicare, quantus Synodorum abusus accidere possit, etiam cum eæ non sine gravi causa instituuntur. Tantus certe ac tam late patens, ut etiamsi graves causæ sint, ob quas convocantur, tutius tamen utiliusq; sit eas non convocare, siquidem in iis, ubi convocatæ jam sunt, legitimus ordo ac modus non serventur. Damnum enim ex illegitima earum celebratione multo gravius metuendum esse, quam fructus ex justa earum convocatione sperari possit. *Limburch. lib. 7. cap. 19. §. 3. p. 878. col. b.* Synodi, licet maxima cum Ecclesiæ utilitate celebrari possint, si omnia in timore Domini sepositis affectibus humanis peragantur; non tamen nec ad esse, nec ad bene esse Ecclesiæ absolute sunt necessariæ. I. Nusquam enim in Scriptura S. earum convocatio præscribitur. *Et §. 4. p. 879. col. a.* Merito tamen dubitari possit, an unquam tam felicia fuerint Ecclesiæ tempora, ut omnia quæ in vere Christiana Synodo requiruntur, observata sint, præter Synodum Apostolicam; ac proinde, an non per Synodos plus mali quam boni redundaverit in Ecclesiam: quemadmodum omnium Synodorum historia clare docet. Ac proinde, an non melius consultum fuisset Ecclesiæ, si nulla unquam Synodus ad decisionem dogmatum fidei convocata fuisset.

87. Ad suffragia in Synodis de rebus ad salutem æternam spectantibus ferenda, non solum clerici, sed & laici, etiamsi nec vocati nec missi ad eam fuerint, æquo tamen jure admittendi sunt.

Apol. cap. 25. p. 283. a. Nisi fortasse verba hæc sua Censor sic accipi velit, ut soli ministri admittantur ad Synodum, & inter ministros impri-

mis

mis iis, qui apti & idonei sunt; Hoc vero est, quod Declaratio repudiat. Nempe ea omnes fideles ad Synodum admittendos censet, dummodo sint viri apti & idonei, qui in medium consulere & expendere possunt, quod è re Ecclesiæ est, sive sint Laici, qui vocantur, sive clerici. Imo laicus quilibet è trivio qualitatibus istis præditus, præferri meretur ministris omnibus, quibus eæ non adsunt. *& fac. b.* Addimus nos, doctrinæ quidem & prudentiæ rationem habendam esse, cum negotia tractanda sunt, quæ non præcise ad æternæ salutis & communis fidei regulam, sed vel ad Ecclesiæ regimen, vel ad subtiliorum quarundam controversiarum ventilationem pertinent; sed cum salutis æternæ negotium agitur, omnes pari jure ad Synodum admittendos esse. Quod ad omnes pertinet, ab omnibus tractari debet: Nemini mortalium licet hanc provinciam alteri mandare, nemini mandatam suscipere. Pastor an ovis sit, nihil refert. Pastores ordinis causa cæteris præferri possunt, non juris aut potestatis alicujus Privilegio. *Et ibid.* Qua missione opus habent, ut in Synodo compareant, qui ipsi eos, qui ad Synodum veniunt, mittunt? Quo jure missi Synodo intersunt, cur non eodem jure intersint mittentes? Et cum in Synodo causa communis fidei agitur, cur ad eam non admittantur omnes, quorum interest? Tantum abest, ut cum fidei negotium tractandum est in Synodo, Ecclesiæ missione opus sit, ut contra Ecclesia judicanda sit perperam agere, cum aliquos eo fine ut quovis modo decisionem faciant, ad Synodum mittit; & ii, qui sic mittuntur, aut ab Ecclesia sic mitti se sinunt, provinciam plane indebitam atque illicitam in se suscipiant. Fides per delegatos aut commissarios tractada non est. Omnium interest audire & expendere quicquid ad eam pertinet. Alieno judicio nemo debet stare. Cujuslibet est sine ulla missione accurrere eo, ubi de salutis æternæ negotio in comitia itur. *p. 682. b.* Hæc autoritas, publica ista autoritas, scilicet, est, quam adsertum itis, & pro qua, veluti pro pupilla oculi vestri, acrius contenditis, quam pro veritate divina. Nimirum, ista salva, haud difficile vobis est in Synodis decernere ac statuere quicquid libet. Res patet, Ecclesiæ missionem prærequiritis: Quid? An Ecclesiæ, id est, plebis totius Christianæ, quam pascitis? Plebs itaque Christiana, pro arbitrio suo mittat, quos volet. At, si Ecclesia mittat quos vult, cur non compareat etiam in Synodo, si velit? *Limburch. lib. 7. cap. 19. § 8. p. 880.* Fidei dogmata ab omnibus necessario credenda, nec ab Episcopis cum potestate proprie dicta, nec ab Ecclesiarum delegatis posse decidi. Quod enim omnium & singulorum conscientiam æternamque salutem concernit, ab omnibus tractari oportet. *Et paucis interjectis:* Nec quisquam alterius se patro-

cinio vel autoritate tueri poterit; ita etiam nemo alterius decisione in fidei negotio acquiescere potest; neque quisquam potestatem aliis credendi regulam præscribendi, absque tyrannide & majestatis divinæ læsione, arrogare sibi potest. Dices: In Synodo nemo comparere debet, nisi missus. Resp. 1. Si missus comparere potest, quid ni & mittens, cujus autoritate missus, quicquid agit, agere debet? 2. Esto, compareant soli missi; nihil tamen quicquam ut credendum decidere debent, nisi ad Ecclesiam quæ misit referant; nemo enim alteri fidei regulam præscribere, nec alieno judicio stare potest. Quod adeo verum est, ut quando de rebus fidei decidendis agitur, non minus Laicis quam Ecclesiasticis, imo singulis Ecclesiæ membris suffragii jus competat.

88. *Magistratus secularis non est membrum Ecclesiæ, sed sicuti reipublicæ, ita hujus quoque Dominus, ut ei in Conciliis & controversiis decidendis Architectonica utique potestas conveniat.*

Confess. cap. 25. §. 3. p. 77. Debet autem his Synodis, post Dei Christique autoritatem summam, etiam intervenire Autoritas Christiani Magistratus, tanquam Ecclesiæ nutritii, si quis modo talis sit in Ecclesia: quippe cujus officium est, ad exemplum piorum V. T. Regum, & Principum, externum Ecclesiæ ordinem, ac regimen, architectonicè moderari, & publicum Dei cultum in ea sartum tectum conservare: ac proinde, quoties opus sit, Synodos ipsemet convocare, in iisque suo loco præsidere, res tractandas una cum Ecclesiasticis proponere, omnium judicia, etiã dissentientium, placide audire, veritatem ex Dei verbo sedulo ipse inquirere, aliorum suffragia libera colligere, sententiam una dicere, utque omnia in iis secundum Deum gerantur, pro virili sua providere, ut jure potest, ita ex officio debet. *Apol. p. 297. b.* Magistratus non est membrum Ecclesiæ, non magis quam Pater, qua Pater membrum est Ecclesiæ; ut Pater, qua Pater Dominus est familiæ suæ, sic Magistratus, qua Magistratus, Dominus est Reipublicæ suæ. *Et mox:* Denique, si omnino quis velit, Magistratum, qua talem, membrum Ecclesiæ esse, certum tamen est, eum non aliter Ecclesiæ membrum dicendum esse, quam quatenus Ecclesia Christi corpus est, quod fide & sanctimonia vitæ cum Christo capite conjunctum est. At hic quæritur, an Magistratus Ecclesiæ membrum sit, quatenus Ecclesia significat cœtum, qui in publicis & jure Magistratus subditis locis convenit, & externis functionibus veluti unum corpus ligamentis ac vinculis, compactus ac conglutinatus est: Hoc

sensu

sensu enim Magistratus, qua talis, non est membrum proprie dictum cœtus istius, sed Dominus. *Limburch. lib. 5. c. 1 p. 63. §. 36. p. 625.* Duplicem Magistratui diximus incumbere curam salutis subditorum, spiritualis nimirum ac civilis. Circa salutem spiritualem officium Magistratus occupari diximus templorum publicorum erectione, omniumque, quæ requiruntur, ut religio salutaris pure in templis publicis doceatur, procuratione & administratione. Uniuscujusque ergo est, qui Religionem à Magistratu autoritate publica susceptam ac defensam, ut veram ac salutarem agnoscit, publicæque Ecclesiæ seu Minister, seu membrum esse cupit, se legibus Magistratus subjicere.

89. De Notis Ecclesiæ visibilis certis & propriis, quibus infideles ad eam perducantur, vanum & ineptum est quærere.

Apol. cap. 12. p. 241. Hoc quæritur & in hoc cardine status controversiæ inter Reformatos & Pontificios vertitur: An notæ aliquæ certæ atq; infallibiles dentur, per quas is, qui nescit adhuc quænam sit doctrina veritatis pura, ac proinde quæ sit vera Ecclesia, aut qui in ea re hæsitat & nutat, tanquam per notas, Ecclesiam veram denotantes & certo indicantes, deducitur in cognitionem veræ Ecclesiæ, & per eam, in cognitionem veritatis, quæ ad salutem necessaria est. Hoc est, quod negant Remonstrantes contra Pontificios, quodque dicunt vanum atq; ineptum esse. *fac. b.* Cum quæritur de Notis Ecclesiæ visibilis, tum quæritur, quis ille cœtus sit, in quo pura prædicatio verbi, recta Sacramentorum administratio, & debita disciplina locum habent. Pura itaque prædicatio verbi &c. non possunt esse notæ istius Ecclesiæ, quia sunt illud ipsum quod Ecclesiam visibilem constituit, de qua quæritur, qua nota, aut quibus notis cognosci possit. *p. 242.* Fortissime stabilitur id, quod in Declaratione sua probare propositum sibi habuerunt Remonstrantes. I. Frustra quæri notam aut notas Ecclesiæ visibilis. *Et post pauca.* II. Ipsam etiam professionem salutaris doctrinæ, seu malis, ipsam prædicationem veræ doctrinæ, rectum Sacramentorum usum &c. præcise loquendo, non esse notas Ecclesiæ visibilis, ab ipsa Ecclesia visibili distinctas, per quas in ejus cognitionem devenitur. *Limburch. l. 7. c. 16. §. 2.* Quæruntur ergo notæ Ecclesiæ visibilis. *Et §. 3. p 862 col. a.* Tales notas Ecclesiæ dari, nos negamus: Fatemur quidem, miracula esse veræ Ecclesiæ notas, doctrinamq; miraculis confirmatam esse divinam, & fide recipiendam; ideoque miraculis convicti credimus Evangelium ab Apostolis prædicatum esse divinum. Sed an ulla unquam miracula facta sint, ad confirmationem alicujus

cujus dogmatis peculiaris, de quo inter illos, qui Evangelium ut divinum recipiunt, dissensio est, in sequentibus inquiremus. Nunc dicimus, ejusmodi notas Ecclesiæ, quales descripsimus, non dari; sententiamque nostram generatim hoc adstruimus argumento. *Et § 4.col.b.* Ita contra illas nòtas argumentor: 1. Notæ debent esse notiores re notificanda. Atqui infideli æque obscurum est, quæ sit pura verbi prædicatio, atque quæ sit vera Ecclesia: quia Ecclesia non est vera Ecclesia, nisi quia in illa veritas, seu verbum Dei, pure docetur & recipitur. Quærentes ergo veræ Ecclesiæ notas, quærunt, unde dignosci possit in cœtu aliquo vigere puram verbi divini prædicationem, Sacramentorũ administrationem &c. 2. Notæ debent differre à re notificanda. Atqui idem est, quærere, quænam sit vera Ecclesia, atque, ubinam verbum Evangelii pure prædicetur & recipiatur. 3. Potest esse vera Ecclesia, ubi neque verbum Dei prædicatur, neque Sacramenta legitime administrantur; quia ex privata verbi divini lectione vera fides concipi potest. *2.Tim.3.v.15.*

90. Præcipue pura verbi prædicatio non est nota veræ Ecclesiæ.

Apol.c.22.p.238.b. Idcirco, quia prædicatio aliquando instrumentum est colligendæ Ecclesiæ, non potest esse certa atque infallibilis nota Ecclesiæ collectæ, ei, qui, ubi vera Ecclesia sit, aut dubitat aut ignorat, unde enim rescisceт certo an prædicatio, quam audit, sit prædicatio, qua est instrumentum colligendæ Ecclesiæ, an qua est nota Ecclesiæ jam collectæ? Hoc ex ipsa prædicatione ut nota habere non potest. Alia itaque nota opus habebit, ut notam istam discernat, & sic in infinitum tandem ut eat, necesse erit. *Et p.seq.* Ex Scriptura, non prædicata, sed lecta, haberi potest plena veritatis notitia & fides, proinde etiam notitiæ & fidei professio. Tum vice versa, prædicatio pura locum habere potest, ubi tamen ea nón recipitur, & ubi Ecclesia nulla est, quæ receptionem istam profitetur, pura inter infideles, inter mundanos concionem quidem frequentantes, sed communionis professionem detrectantes. *Et ibid.in fine.* Unde consequenter efficitur, prædicationem puram iis, qui nesciunt quæ sit vera Ecclesia, & quæ salutaris veritas, per quam Ecclesia vera Ecclesia est, notam veræ Ecclesiæ esse non posse. Si quidem non minus ignotum ei est, quæ sit pura prædicatio, quam ignotum ei est, quæ sit pura & vera Ecclesia; ut autem id, quod æque ignotum est, atque illud, quod quæritur, nota sit ejus, quod quæritur, contra omnem rectam rationem est.

91. Ecclesiæ invisibilis notæ sed eæ contingentes solum

sunt

sunt professio salutaris doctrinæ & observatio mandatorum Christi.

Confess.c.22.§.7.p.69. Notæ porro, quæ Ecclesiam, aut Christianum cœtum, qui jam per prædicationem verbi collectus est, clare nobis indicant, & visibilem faciunt (certæ quidem & minime fallaces) ad unicam generalem reduci possunt; nempe, ad professionem sacræ ac salutaris doctrinæ per Jesum Christum traditæ, eamq; conjunctam cum externa saltem mandatorum I Christi observatione. *& §. 8.* Alias autem notas, per quas ii, qui plane adhuc nesciunt quid sit vera Christi Ecclesia, vel quæ salutaris illius doctrina, in Ecclesiæ veræ, ac consequenter in veritatis ipsius, cognitionem certo atque indubie perveniant, operose aut quærere, aut aliis indicare velle, vanum ac prorsus ineptum est; quia sic progredi, nec necesse nec utile, imo nec, ut rite fiat, possibile est. *Limburch. l.7.c.16 §.1.p.861.seq.* Sed Ecclesiæ invisibilis nullæ dari possunt notæ necessariæ, sed tantum contingentes; nim. doctrinæ Christi pura professio, & facta professioni isti consentanea. Huc respicere dici posset Servator, *Joan.13.35.* in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Quoniam autem fides & pietas simulari possunt, & confessio edi animo confitentis contraria, notæ ejusmodi certo nobis Ecclesiam invisibilem demonstrare nequeunt: Solius Dei est, nosse qui sint sui. *2. Tim. 2. 19. Episcop. Disp. de not. Eccles. th. 8.* Quod si quæ tamen Ecclesiæ nota statuenda est, ea alia esse non potest, quam salutaris doctrinæ professio. *& th. 11.* Ad hanc salutaris doctrinæ professionem non pertinet prædicatio verbi divini, quippe quæ pastoris est actio potius, quam Ecclesiæ, & tam necessario, quam utilis est ad ædificationem istius, postquam Scriptura omnibus & singulis legenda data est.

92. Possent omnes Ecclesiæ visibiles à Christo deficere, ut tamen regni ejus non sit unquam finis futurus.

Confess. c.22.§.6.p.68. Utraque rursus vel ut Catholica sive universalis, spectari potest, quæ per universum terrarum orbem diffusa omnes simul, aut vere credentium, aut fidem saltem profitentium, cœtus complectitur, vel ut topica, seu particularis, quæ certis in locis secundum partes seorsim colligitur; verbi gratia, Corinthiaca, Galatica, Ephesina &c. Quarum ista, quæcunq; tandem sit, non tantum in doctrinæ errore, sed etiam à vera fide, ejusque professione, deficere potest; imo sæpe etiam (manente interim salva atque integra Ecclesia Catholica) à vera fide reipsa deficit. *Apol. cap. eod. p. 236. b.* Cum Pontificiis hic agunt Remonstrantes, qui possibilitatem deficiendi à fide totaliter & finaliter

agnoſcunt, interim tamen Eccleſiam ſemper aliquam viſibilem in terris procul omni dubio manſuram eſſe contendunt; quod nos ita abſolute prolatum negamus, concedentes interim, manſuram Eccleſiam Catholicam in terris, etiamſi fieret, ut omnes particulares Eccleſiæ viſibiles deficerent. Tantummodo itaque hic quærendum foret, An, cum utrimque concedatur, Eccleſiam aliquam Dei in terris manſuram ſemper eſſe, id de viſibili, an inviſibili, vel Catholica potius Eccleſia certum ſit? Atque hoc eſt, quod in hoc paragrapho agitur. *pag. 237* Loca quæ Cenſor affert, ut probet Chriſti regnum in terris etiam perpetuum futurum, non faciunt contra Declarationem Remonſtrantium: aliud enim eſt Chriſti regnum perpetuum futurum, aliud fieri non poſſe, ut Chriſti regnum, id eſt, ſubditos Chriſti in terris iſta virtute conſervatum iri, qua poſita, fieri non poſſit, quin Chriſti ſubditi maneant. Tantum abeſt, ut ſic Chriſti regnum in terris perpetuum eſſet, ut contra, ſi hoc fieret, eo ipſo Chriſti regnum in terris deficeret. *Et rurſus p. 237.* Deinde, aliud eſt regnũ Chriſti futurum perpetuum, aliud in regno iſto futuros ſemper qui Chriſto obediant: Regnum Chriſti foret perpetuum, etiamſi omnes ab obedientia Chriſti deficerent, adeoq; nulli eſſent, qui Chriſto obedirent, quia inobedientes, aut ab obedientia ſua deficientes, regia ſua potentia non poteſt tantum punire, ſed & actu, juxta comminationem ſuam, puniturus eſt. *Limburch. lib 7. cap. 14. § 31. p. 852.* Eccleſia tam Catholica quam particularis, tam repræſentans quam repræſentata, tam vere credentium, quam fidem ſolummodo profitentium, poteſt incidere in errorem, non tantum in levioribus ſed & in articulis ad ſalutem neceſſariis. *§. 4. p. 853.* Omnes Eccleſiæ particulares poſſunt errare in fide: Ergo & Eccleſia Catholica, quæ ex iis tanquam ex partibus ſuis conſtat, poteſt errare. *Cap. ſeq. §. 2. p. 855.* Oſtendimus quippe Eccleſiam non unam tantum, ſed omnes, incidere poſſe in errores, non tantum morum, ſed & fidei, non tantum leviores, ſed & graviores: hoc autem quando fit, tum tota Eccleſia Catholica à fide deficit.

93. E Scriptura V. Teſtamenti ut tali hauriri non potuit verus de promiſſo Salvatore atq; religione adeo Chriſtiana ſenſus, niſi intercedente Apoſtolis facta ſpeciali revelatione; Eam vero, cum non admittant Judæi, hinc quoque difficilis admodum eorundem converſio.

Apol. cap. 21. p. 229. b. Apoſtoli informationem doctrinæ ſuæ acceperunt à puro puto Spiritus divini afflatu, & juxta afflatum iſtum genuinum,

num, & verum veteris Testamenti sensum, quem antea ex doctrina Vet. Test. non percipiebant; imo quem antea male percipiebant, informandum esse didicerunt. Attamen, inquit Censor, passim doctrinam suam eo revocant. Ita est; Non quia ex ea informationem acceperant, sed quia de ejus recto, atque à Dei Spiritu intento sensu, per Spiritus divini afflatum informati erant. Eo vero revocarunt doctrinam suam, quando ipsis cum Judæis, aliisque res erat, qui afflatum istum divinum nolebant admittere, nisi eum cum Vet. Test. doctrina consentire, adeoque ex ea probari intelligerent. Atque hinc est, quod Judæi hodieque tam difficulter ad Regliionem Jesu Christi adduci possint à nobis, quia afflatus istius divini auxilio destituimur, cujus beneficio sensus genuinus V. Test. ut eruatur necesse est: quodque nos qui Christiani jam sumus doctrinæ V. Test. intelligentiam consequi in multis rebus locisque vix, ac ne vix quidem, possimus, nisi ex Apostolorum informatione, quam à Spiritu divino acceperunt.

94. *Non datur ante judicium universale Ecclesia in cœlis triumphans.*

Apol. cap. 22 p. 236. Sectione sexta Ecclesiam Catholicam ex proprietate vocis Catholicæ definiverunt Remonstrantes. An generalissime aliquando accipiatur, ut Censor ait, disputare noluerit; Ecclesiam tamen triumphantem, quam appellant, sub ea comprehendi nec posse, nec debere arbitrantur: Ecclesia enim triumphans non est Ecclesia aut credentium aut profitentium fidem. Fides enim locum non habet, ubi triumphus est. Visio ibi est, & præmium vel τέλος fidei, non fides, non obedientia, nedum fidei aut obedientiæ professio, prout diserte videre est. *1. Cor. 13. 12. 13.* Sed nec de hac re magnopere volunt contendere. *Limburch. lib. 7. c. 13. §. 6. p. 846.* Quod tertium membrum attinet, credimus Ecclesiam triumphantem in futuro seculo in resurrectione justorum, debellata morte, ultimo fideliũ hoste, *1. Cor. 15. 26.* locum habituram: quando unusquisque victoriæ coronam à Deo justo judice reportabit. *2. Tim. 4. 8.* Ante mortuorum resurrectionem, etsi fidelium animæ à corporibus separatæ sint in statu quodam securo, & in spe resurrectionis beatæ à Christo JEsu conserventur, non tamen pleno frui triumpho, ex iis, quæ de animarum à corporibus separatarum statu disputavimus, liquere potest.

95. *Sacramenta sunt tantum externa ceremonia atq; ritus sive signa fœderalia, quibus Deus velut figuris ob oculos nobis statuit gratiam suam, & nos vicissim*

cissim usu illorum gratam mentem atque obsequium testamur ac promittimus.

Confess. cap. 23. §. 1. p. 70. Sacramenta cum dicimus, externas Ecclesiæ ceremonias, seu ritus illos sacros ac solennes intelligimus, quibus veluti fœderalibus signis ac sigillis visibilibus, Deus gratiosa beneficia sua, in fœdere præsertim Evangelico promissa, non modo nobis repræsentat, & adumbrat, sed & certo modo exhibet atque obsignat; nosque vicissim palam publiceque declaramus ac testamur, nos promissiones omnes divinas, vera firma atque obsequiosa fide amplecti, & beneficia ipsius jugi & grata semper memoria celebrare velle. *Modum vero exhibitionis describit Apologia cap. eod. p. 243. b. & seq.* Modus enim exhibendi & obsignandi est multiplex. Est exhibitio quædam physica, qua res aliqua vel signo ut ceræ impressa, vel signo ut vase contenta, vel signo ut instrumento affixa, vel signum nude concomitans vel sub speciebus signi latens, exhibetur, id est, ut rem clarius proponam, qua res aliqua vel simul, vel una, vel cum, vel per, vel sub, vel apud, vel circa signa physice, ut ita dicam, admovetur, porrigitur, distribuitur. Est etiam exhibitio quædam hyperphysica seu miraculosa, qua res aliqua ignota, vel dubia confirmatur, stabilitur & certioratur, ac sic menti veluti videnda ac sentienda exhibetur, cujusmodi signa sunt miracula, prodigia, virtutes omnem naturæ vim excedentes. Denique est exhibitio quædam Sacramentalis Evangelica, qua gratia divina, per signa quædam, non eminus aut de longe repræsentatur, nec sub typis, umbris, aut figuris quibusdam, ut multo post futura, veluti per transennam ostenditur, sed qua gratia ista, ut jam præsens, ob oculos ponitur, adeo clare, ac si sensibus manibusque palpanda daretur, adeo efficaciter, ut efficacius non possit affici anima à signis istis, manente salva atque integra signorum & significationis natura ac proprietate. Atque hic tertius exhibitionis modus, & modus ille certus, quem designant Remonstrantes. Primum enim & secundum respuunt. *Et pag. 245. b.* Remonstrantes statuunt hac in parte cum Archi-Episcopo Spalatensi, Antonio de Dominis *lib. 7. de Repub. Eccles. cap. 11. Sect. 5.* cujus hac de re verba hic adscribere operæ pretium est: Dissensio (de modo scilicet quo Sacramenta operantur gratiam) disputabilis est, ac omnino indefinibilis, num videlicet Sacramenta efficiant gratiam, & hoc an physice, instrumentaliter, an tanquam conditiones, ad quarum præsentiam Deus concedat gratiam; an tanquam signacula efficacia gratiæ exhibitiva & confirmativa, an alio modo. Et in hac disputatione mutua tolerantia est necessaria, & opi-

opinandi libertas relinqui debet, modo Sacramentis sua non negetur operatio spiritualis & efficacia. *Et vicissim ibid.* Sigilla itaq; sunt respectu Dei, quatenus per ea amoris sui & benevolentiæ testimonium perpetuo ratum facere, & in Ecclesia visibiliter extare vult; Respectu eorum, qui iis ex præscripto Dei utuntur, quatenus Deus eos, qua tales, officium suum facientes, gratia sua dignatur. Unde fit, ut ii divinæ gratiæ gustum, quasi signaculum quoddam percipiant in animo suo, quo promtiores & alacriores redduntur ad tam benevolum & misericordem Deum redamandum, ejusque beneficia & laudes in Ecclesia ejus celebrandum. *Limburch. lib. 5. cap. 66. §. 15. p. 638. col. b.* Ut autem infirmitati hominum occurreret Deus, voluit morem in fœderibus humanis usitatum quasi imitari: Instituit nempe ritus quosdam, ut sint tanquam signa visibilia, quibus homines de fœderis conditionibus confirmarentur. Nam à parte Dei sunt quasi pignora, quibus testatum facit, se gratiam, quam in fœdere promisit, non minus certo exhibiturum, quam signum illud visibile administrari curat: Ex parte hominum rationem habent novæ cujusdam obligationis, qua officii vinculum promissione colligatum arctius adstringitur. Unde & pars sunt officii humani; quia Deus ad cultum Spiritualem, quem in fœdere exigit, etiam hanc obligationis testificationem per ritus hosce adjungi præscribit. *Et pag. seq. §. 18.* In Sacramentis omnia hæc observanda sunt: redigunt enim nobis in memoriam rem præteritam, ut Cœna: Designant rem futuram, aut etiam præsentem, sed Spiritualem & oculorum aciem fugientem, ut Baptismus; & rem quam indicant obsignant à Deo datam & dandam, officiumque, quod eo testamur, à nobis implendum, vel jam impletum & porro implendum: aut utrumque. *& p. 641.* Hinc videmus, quomodo Sacramenta in nobis operentur, nimirum tanquam signa repræsentantia menti nostræ rem, cujus signa sunt. Neque alia in illis quæri debet efficacia. Sic Sacramentum confirmat fidem; quia magis persvadet veram esse promissionem, cui confirmandæ comparatum est; quia Sigilli instar est, quo Deus promissum suum verbo testatum visibili quodam signo confirmat, nosque certos reddit, se nos fœdere suo comprehendisse, seque à sua parte promissis staturum, si nos officio nostro non desimus. *Et post pauca:* Præterea à parte nostra vovent pietatem erga Deum, quia est obligatio ad officium faciendum, & instar militaris juramenti. *Cap. 68. §. 10. pag. 648.* Baptismum non esse lavacrum regenerationis, satis ex iis, quæ antea de Sacramentorum efficacia disputavimus, constare potest,

96. De baptizandis infantibus nullum praeceptum in Sacris literis aut ante seculum quartum in Conciliis reperitur: plurimis etiam inter antiquos Ecclesiae doctores displicuit.

Apol. cap. 23. pag. 247. Remonstrantes ritum baptizandi infantes, ut perantiqvum & in Ecclesiis Christi, praesertim in Africa, permultis seculis frequentatum, haud illubenter etiam in coetibus suis admittunt, adeoque vix sine offensione & scandalo magno intermitti posse statuunt, tantum abest, ut eum seu illicitum aut nefastum improbent ac damnent. Sed nec arbitrantur tamen propterea, eum ut praecise observatu necessarium, vel ex praecepto Christi, vel ex traditione Apostolica, vel alia aliqua certa atque indubitata authoritate tenendum, urgendum, aut imperandum esse. *Et ibid.* Quia nec praeceptum nec exemplum ullum est in Sacris, unde non dico veritas (de hac enim non quaeritur) sed necessitas ista infantes baptisandi solide & sine controversia erui & adstrui potest. *Et post pauca:* Quia Concilium nullum ante quartum seculum celebratum fuit, in quo necessitas Paedobaptismi adserta legitur. *Vicissim pag. seq.* Quia inter priora & quae Carthaginense hoc Concilium antecesserunt seculo integro, & quod excurrit, Synodus Neocaesariensis in Asia celebrata legitur, Anno scilicet Christi CCCXV. in qua constitutus canon fuit, ex quo non obscure colligere est, isthic tum temporis infantium Baptismum non modo non necessarium, sed ne quidem licitum aut legitimum judicatum fuisse. *Denique:* Quia non modo in Asia Concilium hoc, sed etiam in media Africa, & Graecia non pauci Patres, etiam illis ipsis in locis atque temporibus, ubi Paedobaptismus in usu erat publiceque celebrabatur, aperte professi sunt, Baptismum infantium, sibi non usque quaque placere salvo fraternitatis jure & communionis vinculo. *Iterum pag. 248. a. in fin.* Remonstrantes causam nullam esse vident, cur sententia eorum, qui Paedobaptismum necessario in Ecclesia Christi, necessitate seu praecepti seu medii retinendum, aut usurpandum esse non arbitrantur, ut intolerabilis in Ecclesia censenda sit: ac proinde cur pastores isti, qui eum per conscientiam usurpare non audent, & interim alios eum, seu ex conscientia, seu ex traditione, consvetudine, vel recepto more usurpantes, tolerare parati sunt, pro veris ac legitimis Christi pastoribus habendi non sint. *Limburch. lib. 5. cap. 68. §. 15. p. 649.* Nullum illius (sc. Paedobaptismi) extat

in Scriptura mandatum. Imo omnia loca, quibus baptizandi mandatum continetur, directe adultos respiciunt: quoniam prius doceri jubentur fidesque tanquam conditio necessaria in ipsis prærequiritur; quæ solorum adultorum propria sunt. *& §.16.* Secundo, nullum exemplum, unde indubitato constet ab Apostolis infantem ullum fuisse baptizatum, ex Scriptura produci potest. Dices: Leguntur tamen integræ familiæ fuisse baptizatæ, *Actor.6.15.33. 1.Cor.1.15.16.* in quibus procul dubio aliqui fuere infantes. Resp. Me quod attinet, libens concedam etiam infantes familiis illis fuisse comprehensos; nullum tamen solidum historia sacra mihi suppeditat argumentum, quo id contra alium id negantem aut in dubium vocantem evidenter commonstrem. Non enim expresse indicat, aliquos in illis familiis fuisse infantes. Et licet concedamus infantes in familiis illis exstitisse, non narrat historia illos simul cum parentibus baptizatos; è contra, omnes baptizati dicuntur Deo gratias egisse, quod in infantes non cadit. Adeo ut hæc argumentatio ultra verisimile non concludat. *Nec non §.17.p.650.* Tertio: Nullum exstitit Concilium ante seculum quartum, in quo Pædobaptismi necessitas adserta legitur. Constat quidem, antiqvum hunc fuisse ritum, & multis seculis in Ecclesia Christi, præsertim in Africa, usitatum: sed receptus tantum fuit, ut ritus qui legitime & cum ædificatione in Ecclesia administrari poterat, absque necessitatis opinione: Unde & Patres quidam dissensum suum salvo fraternitatis vinculo testati sunt; ut Tertullianus, qui baptismum infantibus non administrari, & Gregorius Nazianzenus, qui eum ad tertium vel quartum ætatis annum, quia tum mystici quid audire & respondere possunt, differri voluit. Primum omnium Pædobaptismi necessitatem sancivit Concilium Carthaginense, Milevitanum vulgo vocatum, celebratum anno Christi CCCXVIII. Cum vero nullum in Antiquitate præter hoc Concilium necessitatis Pædobaptismi reperiatur indicium, nulla est ratio, cur eum hodie necessarium pronuntiemus.

97. *Sacræ Cœnæ finis tantum est grata commemoratio mortis Christi, & professio unius ejusdemque cultus, quo capiti suo Christo membra adhærent.*

Apol.cap.23 p.249.à fin. Communio itaque hic non significat realem cum ipsa physica corporis & sangvinis Christi substantia unionem, sed tantum professionem unius ejusdemq; cultus significat, quo Christo uni

Domino suo adhærent Christiani, & quam solemniter testantur, cum memoriam mortis ejus celebrant isto ritu, quem ipse instituit. *pag.250.b.init.* Remonstrantes fatentur se videre non posse ejusmodi communionem & unionem cum physica corporis Christi substantia, quæ in cibum animæ cedat, uspiam in Scriptura finem Cœnæ Dominicæ statui, aut ratione ulla solida niti. *Et pag.251.b.* Quod si qui tamen communionem hanc firma fide tenendam sibi putant, Remonstrantes ii non sunt, qui eos idcirco cœtu suo indignos nedum cœlo exclusos statuunt. *Limburch. lib. 5.cap.71.§.13.p.665.* Atqui, inquiunt, Scriptura passim testatur, intimam esse inter Christum & fideles communionem, eamque variis conjunctionibus ut membrorum unius corporis, &c. assimilat. Resp. Fatemur: sed conjunctio illa non fit in Cœna, nec cum corpore JESU Christi; sed ante Cœnam per fidem est Spiritualis conjunctio cum Christo, omnibusque ipsius beneficiis; & conditio requisita, ut quis digne Cœnæ communicare possit; adeo ut, si quis per fidem Christo vere conjunctus non sit, nec is legitime Cœnæ participare possit.

98. Sicut animæ piorum per mortem nondum pleno gaudio, sed ejus tantum certa spe: ita impiorum animæ nondum infernali cruciatu, sed ejus tantum horrore usq; ad diem judicii afficiuntur.

Limburch. lib. 6. cap. 10. §. 4. Statuendum Tertio, Animas piorum non plene triumphare in cœlo, nec frui beata visione Dei; uti nec impiorum animas proprie igne infernali torqueri, ante ultimum judicii diem. Animas piorum esse in statu quodam securo & pro ratione conditionis suæ beato, internoque frui gaudio, quod quasi initium est & præludium futuri triumphi gaudiique cœlestis, ac certa illius exspectatione nititur, mihi extra dubium est. Plenus autem triumphus locum demum habebit in ultimo judicii die, quando ultimus hostis mors destruetur, *1.Cor 15.24.* animæque corporibus suis è sepulchro excitatis restituentur: nondum enim omnibus hostibus debellatis plenus esse triumphus non potest: hinc in ultimum usq; diem passim triumphus & gloriæ corona differtur. *Et § 7.* Similiter impiorum animas non statim à morte infernali igne torqueri, attamen caliginis tenebris vinctas in judicii diem asservari, interimque horrore & angore, qui pœnæ infernalis initium est, angi & agitari, maxime probabile nobis videtur. *Vicissim §.8.*

Totum


Totum hoc negotium mihi commodissime illustrari videtur similitudine somni, qua Scriptura aliquoties utitur. Nihil quippe in Scriptura frequentius est, quam piorum mortem vocare somnum; quoniam ex ea, perinde uti ex somno, dabitur resuscitatio. *Et post pauca:* Somniorum alia sunt blanda, nos reficiunt, & grata quadam contemplatione detinent: alia horrida, terribilia, quævis mala repræsentantia, quibus non aliter ac præsentibus afficimur & terremur. Ita & duplex animarum separatarum conditio est. Fidelium ac piorum animæ cogitationibus blandis, jucundis, ex certa ac proxima felicitatis instantis spe, demulcentur, & pro ratione status sui fœlicitatis Spiritualis participes sunt. Impiorum vero ac infidelium animæ inst ntis supplicii atrocitate continuo terrentur, pœnamque ut mox instantem, ac jam jam præsentem, cum dolore ac angustia horrent.

99. Fortasse extra vitam mortemque æternam positi erunt illi, qui de Evangelica doctrina nihil prorsus auribus acceperunt.

Limburch. lib 4. cap. 11. §. 11. pag. 363. col. b. Vel si id nolimus. antequam divina bonitas eos ad inferni cruciatus damnare credatur, sicut triplex hominum in hoc ævo est status, credentium, incredulorum & ignorantium; ita etiam triplex post hanc vitam hominum status concedendus videtur: vitæ æternæ, qui est credentium; cruciatuum infernalium, qui est incredulorum; & præter hosce, status ignorantium; quem licet expresse qualis futurus sit, definire nequeamus, tamen à duobus prioribus esse distinctum probabiliter ex *Rom. 2. 12. & Luc. 12. 47. 48.* mox citatis, colligitur.

100. Neque omnibus omnino peccatoribus DEUS *assignabit sicut damni ita simul & sensus pœnam.*

Apol. cap. 7. p. 90. a. Quamquam Remonstrantes non dixerant pro quantitate & qualitate peccatorum adsignatam esse pœnam vel damni vel sensus, prout verba eorum perperam refert Censor, tamen diffiteri nolunt istam esse sententiam suam, Deum non omnibus peccatis, id est, peccatoribus (peccatum enim non punitur) adsignasse æternam pœnam sensus & damni, qualem Censor peccatis deberi vult.



ARTICULUS III.

DE CONTROVERSIA VORSTIANA ANTE SYNODUM DORDRACENAM IN BATAVIA.

Conradus Vorſtius natus anno Domini 1569. d. 19. Julii Coloniæ Agrippinæ patre Theodoro Vorſtio, matre Sophia Starnia. Avus paternus illius Senator ejus urbis, qui altare quoque ibi condidit ad D. Petri, & maternus ſimiliter ad D Cuniberti. Baptizatus ibi in templo Johannis Parochiali. Pater in Galliis peregrinatus ad Eccleſiam Reformatam clanculum eo tempore Coloniæ collectam acceſſit. Primus illi Præceptor Matthias Stens religioni pariter reformatæ addictus; Anno autem 15 8. Rheno ſecundo Novęſium ſe contulit, præceptorem ibi nactus Johannem Kühnium, hominem ſeverum & in caſtigando acrem. Ejus autem in juventute erudienda mores cum per quadriennium toleraſſet A. 1583. Duſſeldorpium profectus Rectori illius Gymnaſii Mylandro & Gerhardo Platio inſtituendus traditus eſt; Circa finem vero Anni 1586. reverſus Coloniam, in Gymnaſio ibi Lauretano annum integrum Cornelium Schultingium S.S. Theol. Licent. audiit. Anno 1589. ſub autumnum Herbornam adiit, ibique fere per triennium Theologiæ operam dedit, & Johannis Piſcatoris Calviniſtæ notiſſimi Lectiones publicas frequentavit. Anno 1593. menſe Martio in Academiam Heidelbergenſem ſe contulit, ibi denique Anno ſeq. promotore Jacobo Kimedoncio ſupremis in Theologia honoribus mactatus, & Profeſſorum ibi familiari conſvetudine integro adhuc anni ſpatio uſus eſt. Anno demum 95. menſe Junio Germaniam potiſſimum ſuperiorem, Helvetiam præſertim, indequoque Galliam luſtravit, & Baſileæ ſub Grynæi præſidio Theſes de Sacramentis & cauſis Salutis defendit. Genevæ cum monitu Theodori Bezæ aliquot prælectiones publicas inſtituiſſet, adeo inclaruit, ut Senatus illius civitatis Profeſſionem Theologicam illi offerret; quam tamen honeſte recuſavit.

cusavit. Anno ergo 1596. mense Februario ab Antonio Perizonio ad Professionem Theologicam in celebri Gymnasio Steinfurtensi allectus, Paræi hortatu morem illi gessit, & anno seq. mense Martio ad illud obeundum munus Geneva abiit. Dum ibi doceret A. 1602. mense Julio à Domino Plessæo & Ecclesia Salmuriensi ad Professionem Theologicam in illa Academia invitatus, & vicissim A. 1606. à Mauritio Landgravio Hassiæ Marpurgum ad eandem evocatus quidem: sed suasu Comitis Bentheimensis hos quoque honores recusavit, quoniam ab eodem muneri tum Ecclesiastico Steinfurti præfectus erat. Non tacendum hoc loco, quod cum in Controversia de Satisfactione Christi, in Academia Heidelbergensi mota, quæ eo tempore Vorstii sententia fuerit, ad Socinianos in Polonia perlatum esset; iidemque in Tractatu Vorstii de Deo & Attributis divinis placitis suis non plane absimilia legissent; eundem quoque ab his expetitum: sed in castra eorum prorsus abire noluisse, etsi aliquod hactenus cum iis literarum illi intercesserat commercium. Sic enim in Orat. Apolog. pag. 28. fin. *Objicitur mihi deinde quod olim ad Socinianos semel atque iterum literas scripserim.* (pag. seq.) *Ego quidem ad Jesuitas non minus, quam ad Socinianos aliquando satis ut puto humaniter scripsi. Non idcirco tamen vel his vel illis, saltem non his magis quam illis in negotio religionis addictus sum. Causa vero cur istis olim scripserim, hæc præcipua imo unica fuit (eaque justa ut arbitror & honesta) ut libros & scripta ipsorum, quæ tunc admodum difficulter haberi poterant, commodius ab ipsis nanciscerer, utque eadem opera sententiam ipsorum de quibusdam dubiis & spinosis in Theologia materiis plenius expiscarer. Quum enim A. 1594. primum in ipsorum quædam scripta Heidelbergæ incidissem,* ET NONNULLA (NB.) SALTEM IN IISDEM CONSIDERATIONE DIGNA DEPREHENDISSEM, *non satis honeste titulum Theologici Doctoris (quem eodem anno ibidem adeptus eram,) tueri me posse putavi, quin prius opiniones eorum peculiares, ante non satis mihi cognitas, ex ipsorum quasi ore intelligerem.* Et pag. 30. *At gravius esse putant, quod à Socinianis aliquando in Poloniam me vocatum seu potius sollicitatum fuisse confiteor &c. Occasio nata erat ex supradicta illa controversia de satisfactione Christi &c. quæ diu variis variorum sermonibus tunc agitata & Heidelbergæ tandem composita fuit. Cujus rei fama pessime illum ad illos in Poloniam delata, & accessionibus quibusdam plurimum aucta, spem mei aliquando potiundi illis injecerat. Itaque certum hominem ad me ablegant, cum exiguo creditivo ut vocant (quod ipsum Dominationibus vestris, cum volent, ostendere paratus sum) qui certis quibusdam conditionibus mihi propositis*

situ id efficere conatus est, ut etiam retenta fide mea de JESU Christo deque sancta Triade &c. quam ego orthodoxam esse statuerem, tamen functionem aliquam in Scholis obire vellem, si non Theologicam, saltem Philosophicam, pag. 31. *Sed hanc ego sollicitationem continuo tunc rejeci.* Anno demum 1610. mortuo in Academia Lugduno Batava Jacobo Arminio, intercessione quorundam, qui hujus dogmata & defensa porro & latius propagata cupiebant, Conradus Vorstius in illius locum expetitus, Spartam illam libens amplexus, anno mox sequenti optimis à Comite Bentheimensi & Collegio Steinfurtensi testimoniis ornatus ibi valedixit, & in Bataviam se contulit. Sed huc antequam eum comitemur, placet nonnulla ex illius testimoniis heic inserere. In Comitum Bentheimensium *Adolphi*, *Arnoldi Justi*, & *Wilhelmi Heinrici* Testimonio sub dato 1611. d. 11. Septembr. hæc legebantur: *Et quia post excessum nominati pientissimi Domini Parentis nostri hactenus fidelem ejus operam, vitam irreprehensibilem, Christianam & puram doctrinam atque institutionem & inde consecutam propagationem & ædificationem Ecclesiæ & Scholæ reipsa experti sumus &c.* In testimonio autem Pro-Rectoris Johann. Gigantis Medicinæ Doctoris & Mathematum Professoris atque Senatus Gymnasii Steinfurtensis 18. Calend. Octobr. Anno 1611. sequentia: *Omnia & singula præcipue tamen scitu necessaria orthodoxæ religionis capita ut fidelem verbi dispensatorem decebat, non ex humanis traditionibus, sed ex solo DEI verbo sincere & constanter in Ecclesia & Schola ipsum docuisse, & eximiis scriptis suis fortiter contra veritatis hostes propugnasse & propagasse, testantur nobiscum orthodoxæ hujus Reipubl. Ecclesiæ &c. Fuit in toto commorationis apud nos suæ tempore in orthodoxa Confessione constans & sincerus, in fide purus, in doctrina perspicuus &c.* In Bataviam vero ut venit, mox omnia sibi adversa sensit. Ob Tractatum enim de DEO & Attributis divinis, quem tamen dudum ediderat, notisque illustrarat, stimulis Sibrandi Lubberti per Matthiam Sladum Anglum, & Georgium Englisemium Scotum apud Regem Britanniæ; ejusque porro autoritate apud Præpotentes Hollandiæ & Westfrisiæ Ordines à Johanne Piscatore, Francisco Gomaro, Andrea Smeutio aliisque de Socinismo suspectus redditus, mirumque in modum exagitatus est; Objectum illi præcipue, quod Literis quibusdam nescio ad quem scriptis, in Socinianorum libris quædam se reperisse professus fuerat, quæ altioris essent indaginis; tum quoque Socini librum de officio hominis, atque sub nomine Dominici Lopez alium adhuc ejusdem de

Autori-

Autoritate Sacræ Scripturæ Steinfurti olim divulgarit. Juvat hac de re quædam excerpere è Friderici Spanhemii Professoris Theologi & Historici in eadem Academia celeberrimi Synopsi Religionum pag. 240. *Conradus Vorstius*, ait, *Coloniensis natus 1569. ex Steinfurtensi Professore designatus Arminio Successor A. 1610. Sed tandem professione Leidensi prohibendus urgente Jacobo Anglorum Rege ob sua de Deo & Attributis divinis iterato vulgata cum Exegesi, & ob suspicionem Socinianismi. Vocatus sc. Vorstius fuerat, indubie Socino satis exploratus A. 1600. à Fratribus Polonis Lublini (ubi & Smalzius docuit) in Synodo congregatis ad Gymnasium Lucclavianum in provincia Cracoviensi: sed Steinfurti hæsurus. Hinc Socinianismi idem accusatus jam A. 1598. ab Heidelbergensibus Theologis, qui etiam ad amicos scriberet: se ex Socinianorum libris demum didicisse θεολογεῖν, ut ibidem David Paræus Vorstio exprobrat Epist. 27. inter Ecclesiasticas Amstelodamenses.* Cæterum ad capita illa de libris Socinianorum à se editis & in vulgus sparsis, ita respondet Vorstius in Præfat. Thesium de Persona & offic. Christi: *At alius* (ut sc. objicitur) *libros illos* (Socinianorum) *legendos dedi, & viam qua eosdem nancisci possent, ostendi. Esto. An hoc inter Christianos crimen est? Cur amicis serio petentibus, & præsertim sacro ministerio addictis, id denegem, quod ex usu ipsorum fore arbitrer? Cautelam tamen semper hanc addidi, ut cum delectu & judicio legerent, nec à recepta doctrina temere deflecterent. Sed discipuli quidam mei libellum Socinianum in Frisia clanculum edi curarunt, & literis inter se missitatis hæresin illam sibi placere satis ostendunt. Num vero æquum est me de alieno facto respondere? Libellum illum (Deus testis est) neque à me habuerunt, neque me suasore, aut ullatenus conscio edi curarunt. Et factum hoc suum, iterque literas ita declarant, ut nec hæresi se favere, nec facti sui culpam in me ullam hærere, etiam jurati testentur.* Et post pauca: *Libellus ille Dominici Lopez de Autoritate Scripturæ hic pridem impressus, & pacis ergo hactenus à me suppressus, satis alibi defensus fuit, quod suo tempore omnibus innotescet.* Sed in Orat. Apolog. ad Ordines Hollandiæ & Westfrisiæ p. 34. *De libello Dominici Lopez, quem opera mea Steinfurti recusum, & notis alicubi meis illustratum fuisse accusatores objiciunt, factum ipsum ingenue agnosco &c. Socini libellum hunc esse, neque hactenus à fratribus ostensum. Saltem ego nullum alium libelli autorem tunc scivi, præter eum, cujus nomen in titulo exprimitur: neque si forte Socinus illius autor esset, idque mihi aperte constitisset, idcirco tamen hæresis Sociniana aliqua jure mihi affingi posset. Nam propter autorem hæreticum, quicquid ab illo scribitur, non statim hæreticum putandum est.* Et pag. 35. *Si liber*

impius esset, nunquam Theologi Basileenses A. 1592. versionem illius Gallicam, tribusque tantum notis leviter castigatam prodire apud se permisissent. Ad ea vero quæ è literis ad amicum scriptis ei objiciebantur, his verbis respondet ad Epist. sc. David. Paræi num. 4. pag. 87. init. *Scripsi aliquando privatim ad Amicum uti putabam sincerum & fidum, quique suas in talibus ἀπορίας sat libere mihi aperuerat (Bartholomæum credo Kekkermannum, nisi fallit memoria, copiam enim Epistolæ non servavi, jamque anni 18. elapsi sunt,) in libris Socini, quos tum primum forte nactus fueram, quædam me reperisse minime contemnenda, adeoque ex iisdem didicisse seriò θεολογεῖν Quam vocem postquam ille (si non infide saltem incaute) ad vos detulit; mirum est, quantam inde malarum suspicionum segetem vos collegeritis: quarum etiam radices aliquas semper postea retinuistis &c. Sane de Socino quod objicis, deque termino illo meo (serio θεολογεῖν) ex epistola privata nimis cupide a vobis arrepto, id totum à me non semel dilutum esse meministi. Ex illius enim scriptis saltem aliquid boni me didicisse, occasionemque in ardua multa, de quibus antea parum attente cogitaram, penitius inquirendi sumsisse, ne nunc quidem nego. Neque aliter illum, quem dicis terminum, unquam intellexi; quamvis à te aliisque nonnullis aliorsum hunc ipsum trahi, satisque odiose mihi exprobari, subinde animadvertam.* Et in Orat. Apologet. pag. 32. *Video illud odiose mihi exprobrari, quod ante 14. annos ad amicum quendam (credo D. Keckermannum p. m. nisi me memoria fallit) privatim scripsi, didicisse me è libris Socinianis seriò θεολογεῖν &c. Bona fide assero, nihil aliud isto verbo indicare me tunc voluisse, quam occasionem mihi non contemnendam per libros illos suppeditatam fuisse, in quasdam Theologicas quæstiones accuratius inquirendi & speciatim quædam Scripturæ loca plenius intelligendi &c. Interim adhuc ingenue fateor, ex libris Socinianis aliquid me saltem boni didicisse, præsertim in quibusdam practicis fidei nostræ materiis, sive quæ ad vitæ pietatem spectant, uti etiam theoreticis nonnullis, maxime in doctrina de prædestinatione & libero arbitrio cum annexis.* Objectum ultimo est Conrado Vorstio, eum ipsum quoque in Scriptis suis passim non tantum hypotheses Socinianorum fovere, sed formulis quoque eorum loquendi uti. Sed ad prius respondet in Orat. Apolog. pag. 7. se non semper in sua, sed disputantis ut plurimum persona & mente loqui. *Tametsi* (inquit) *in persona inquirentis aut disputantis subinde quædam in Notis ad Tractatum de Deo adversus sententias aliquas vulgo receptas scrupulose urgeo: nihil tamen in tota hac materia de natura Dei assertive seu dogmatice tanquam ex me*

ipso

ipso propono, quod ullam de hoc argumento scitu necessariam sententiam revera ev rtat. Et post pauca: *Quicquid igitur in notis tanquam Hereticum & impium ab aliis carpitur, id vel non tale revera est, quale illis esse videtur: vel si est, non ex mea ipsius sententia, sed sub aliena tantum persona dictum fuisse apparet.* Ad posterius vero pag. 36. *Postremo etiam illud animadverto culpari, quod interdum in Commentariis meis super aliquot Novi Testamenti libros aliisque Scriptis Theologicis affinitas aliqua inter meas & Socini phrases deprehendatur, unde consensum etiam in substantia doctrinæ inter nos esse concludunt. Sed quis hujus collectionis infirmitatem non videat? In phrasibus enim seu formulis loquendi humanitus usitatis aut nonusitatis nimium hærere superstitiosum est: si alioquin doctrinam per se sanam & sancto Dei verbo consentaneam esse constet. Neque enim continuo hæreticis in doctrinæ substantia assentitur, quisquis illorum phrases in explicandis aliquibus Scripturæ locis usurpat.* Et pag. 41. med. *Nullis equidem phrasibus humanis serviliter me alligare soleo: sed libere omnes ad regulam veritatis examino, & quæ tolerari saltem possunt, eas haud temere condemno: sed occasione sic ferente absque scrupulo conscientiæ usurpo. Interim non facile in dogmate aliquo enunciando phrasibus ullius Scriptoris utor; nisi quas verbo Dei consentaneas esse, firmiter credo.* Non levem quidem invidiam incurrerat, quod Calvino se non in omnibus assentiri: sed prædecessoris Arminii dogmata sibi placere profitebatur; Sic enim in Resp. ad part. alteram Disceptationis Matth. Sladi pag. 107. med. *Certe id ipsum quod neque Calvinisequa sum, neque in ullius hominis aut sicta verba juratus, hanc ipsam in talibus agendi rationem & licitam esse & justam esse facile mihi persuadet. Cum autem vel crimen aliquod, vel saltem errorem hic subesse mihi ostenderis, tum demum opinionem istam meam mutabo.* Et in Responsf ad Epist. Dav. Paræi num. 6. pag. 89. init. *De Arminiano schismate quod sic appellas, aut ex affectu sinistro male judicas, aut certe non satis recte ab aliis informatus esse videris. Non enim est autor Schismatis, qui noxios errores in Ecclesia gliscentes modeste detegit, & pro ratione officii sui ex verbo Dei corrigit, quod quidem Arminius piæ memoriæ pro sua virili fecit, & nos Deo juvante post ipsum facere perseveramus.* Spem tamen faciebat se meliora monentibus obsecuturum, & errores sicubi illi ostenderentur, eorundemque convinceretur, sponte abjecturum, & correcturum adeo sententiam suam. Sic enim in Præfat. ad Collationem Amicam a. 4. f. 1. in fin. *Cedam non invitus privato jure meo quoad possum, & quædam licet alioquin meo judicio vera, non tamen ad sa-*

lutem scitu necessaria, siquidem opus erit, ad tempus reticebo: quædam etiam licet falsa, non tamen aperte impia aut omnino perniciosa, facile in aliis prætereo. Et in Christiana & modesta Responsione ad Articulos ex Anglia transmissos, in Epist. Dedic. ad Ordines Generales fœderati Belgii f. 3. b. cum gravi apud Regem Angliæ invidia flagraret: *Speciatim vero ex hujus libelli & aliorum similium recens à me editorum lectione sacra ejusdem Majestas intelliget, nec omnipotentiam, nec omniscientiam, nec æternitatem, nec immensitatem, Dei veram (qualis scil. in ipso Dei verbo, sine tricis Scholasticis aperte patefacta est) neque justitiam denique, nec ullam aliam divinæ naturæ proprietatem, uti nec SS. & adorandam Trinitatem, nec æternam Christi Deitatem, nec veram plenamque ejusdem pro peccatis nostris satisfactionem, nec simile quodpiam Christianæ fidei mysterium ullatenus in dubium à me vocari; tametsi nonnunquam in particulares horum dogmatum probationes ac circumstantias in Dei verbo nusquam expressas: denique in alias id genus subtiliores ac valde perplexas Scholarum hypotheses, & quidem non sine causa, saltem optimo fine, diligentius inquirere me deprehendet. Si autem forte in hoc labyrintho alicubi à vero aberravi (quod etsi non video, negare tamen nolo) supplex primum à Clementissimo Rege postulo, ne quicquam hoc nomine durius in me statuat: cum hæc communis omnium infirmitas sit; Quis enim hominum in his talibus non errat? deinde non minus submisse peto, ut Regia ipsius Majestas aut ab Episcopis suis Reverendissimis, aut aliis suæ ditionis doctoribus Theologis, errorem mihi commonstrari curet, & quidem absque probris & præjudiciis, in Spiritu lenitatis, & mansuetudinis ex solo Dei verbo & huic innixa ratione Apodictica hæresin profligari jubeat; atque ita oviculam Christi, forte in diverticulo adhuc vagantem in viam veritatis clementissime reducat; quo quidem casu non tantum promitto sanctissime, sed coram Deo religiose juro, me veritati ostensæ continuo locum daturum, nec ullam vel minimam in retinendo errore pertinaciam ostensurum; denique pro ingenti hoc beneficio imprimis Regiæ ipsius majestati, deinde & iis, quorum ipse præclaram hac in re operam adhibere volet, immortales omni reliqua vita gratias acturum.* Denique ad ipsos Ordines Hollandiæ fol. 5. a. *Ne quæso patiamini, optimi proceres, hanc illustrissimo nomini vestro maculam inuri, ut quenquam ex subditis vestris (& quidem hactenus non contemnendum Ecclesiæ ministrum & Academiæ Professorem à legitimo hujus loci Magistratu ad simile munus hic obeundum, legitima ratione huc vocatum) talem, inquam, subditum vestrum, qui legitimo se judicio sistere paratus sit, inauditum aut indefensum vel ipsi damnasse, vel ab aliis damnari permisisse,*

fisse, dicamini. Absit ut apud posteros aliquid tale de vobis narretur. Etenim in dedic. Exegeseos Apologetiæ sic inter cætera lit. d. 1. fin. *Offero vobis Exegesin hanc Apologeticam, qua sententias aliquot meas ex Tractatu de Deo jam pridem excerptas & tanquam erroneas in hoc præsertim tractu longe lateque sparsas ita declaro, partimque confirmo, ut bonis & moderatis ingeniis eam minime displicituram esse confidam. Cujus quidem fiduciæ argumentum non exiguum inde capio, quod eandem à nonnullis pietate & doctrina præstantibus viris accurate perlectam, & maturo judicio expensam, tandemque omni ex parte approbatam esse perspicio; alios tamen aliter de ea judicaturos esse, non obscure prævideo.* Sed vicit tandem Sententia adversus illum in Synodo Dordracena lata & è curia Ordinum literis ad eum missis perlata, qua ut ejus verba sonant, *à functionibus suis in Academia Leydensi remotus, salarium ei deinceps procedere vetitum: Præterea Hollandia & Westfrisia ei interdictum, illaque intra sex septimanas excedere jussus, & in eam non redire sub pœna arbitraria, ut perturbatori pacis publicæ irroganda vetitum; quoniam judicatum erat, ejus in isto tractu commorationem Reipublicæ damnosam esse.* Relicta ergo Hollandia impetravit ab illustrissimo Principe Holsatiæ FRIDERICO, ut locus ei Fridericopoli tutus concederetur, in illa ergo civitate cum quatuor saltem menses egisset, fatali morbo correptus lecto affigi cœpit, atque exspiravit A. 1622. 29. Sept. terræ mandatus postridie Calend Octobr. eidemque ibi parentavit Marcus Gualtherus Palatinus, cujus & Oratio A. 1624. typis exscripta est. Non unius vero generis scripta sunt quæ publici juris fecit. Quædam enim dogmatica: quædam autem Polemica; ex illorum numero sunt fere viginti de variis Theologiæ capitibus habitæ *disputationes*, inter quas de Trinitate, persona quoque & officio Christi, cum in examen vocarentur, recusæ. Edidit quoque ideam sive *Theologiæ Synopsin*. Dissertationes complures de *causis deserendi Papatus*, & *Indicem Controversiarum* seu potius errorum Ecclesiæ Romanæ, quos è voluminibus Bellarmini excerpsit, subjecto cuique capiti antidoto. Germanica quoque lingua *librum precationum*, nec non de veris in Ecclesia *Indulgentiis*, & falsis Pontificiorum. Denique, unde illi omnia mala, Tractatum *de Deo & attributis divinis* Steinfurti antea editum, quem in singulas fere theses notis postea illustravit; quemadmodum & Indicem Controversiarum adaugens brevem *Confutationem Controversiarum Bellarmini* ex eo postea concinnavit, quæ cum primum pluribus placeret, quod mitius quam reliqui Calviniani de prædestinatione loqueretur; po-

ſtea tamen pene omnibus ſordere cœpit, cum ipſe Autor propter notas ad Tractatum de Deo & attributis ejus in Hæreſeos Socinianæ ſuſpicionem abriperetur. Hac ergo ut ſe liberaret edidit *Exegeſin Apologeticam*; deinde cum in Angliam aliquot articuli è Tract. de Deo excerpti transmiſſi eſſent, ad eum Hæreſeos deferendum, *Modeſtam* ſcripſit *Reſponſionem ad Articulos* illos Anglicos. *Apologiam* quoque ad *Leowardienſes*, qui pariter eum oppugnarant, cum ad profeſſionem Theologicam in Academia Lugdunenſi vocaretur; *Prodromum* quoque *adverſus criminationes quorundam fratrum*; quem deinde ſubſecutum eſt *plenius reſponſum* adverſus easdem criminationes. *Orationem* denique *Apologeticam* habuit, quam ſubinde hactenus citavimus ad Illuſtres Hollandiæ Ordines. Cum vero dogmatibus illius ſe præcipue opponerent Johannes Piſcator, Sibrandus Lubbertus, Matthias Sladus & Feſtus Hommius, ſicut ante diximus contra Piſcatorem primum ſe defendit *Paraſceve* quadam *ad Amicam Collationem*; quam mox ipſa ſecuta eſt *Collatio Amica* cum Piſcatore, in qua varias ſimul quæſtiones de Prædeſtinatione explicuit; cumque Piſcator his ſcriptis prolixam Reſponſionem Apologeticam opponeret, quam tripartitam vocat, Vorſtius mox edidit *Amicam duplicationem* ad illam reſponſionem, una cum *appendice* ejusdem duplicationis; *Examen* quoque *Tractatus Piſcatoris de Prædeſtinatione*, & tandem *Pleniorem Ideam doctrinæ ejusdem Piſcatoris* de Prædeſtinatione & capitibus annexis, excerptam potiſſimum è tripartita illius reſponſione ad amicam duplicationem. Sibrando Lubberto autem oppoſuit *Catalogum errorum Sibrandi*; Hic vero cum in vulgus ſpargeret Commentarium quendam verborum & convitiorum Vorſtii, hic mox edidit *Paræneſin ad Sibrandum* & *Scholia Alexicaca* ad eundem Commentarium & *Appendicem* quoque attexuit *ad eadem Scholia*, qua continetur examen doctrinæ Sibrandianæ de Prædeſtinatione Dei; Adjectæ denique plenioris explicationis gratia *Notæ* quædam *ad duas Lubberti diſputationes* de eodem argumento editas. Adverſus Sladum quoque qui magnam Vorſtio invidiam in Anglia conflaverat edidit *Reſponſionem ad Scholaſticam ejus & bipartitam diſceptationem*. Feſto denique Hommio, qui ſpecimen controverſiarum Belgicarum ediderat, Vorſtianasque Hypotheſes paſſim vellicarat, *Apologeticam* pariter *Reſponſionem* edidit. Non intermiſit vero interea Papatum aliis adhuc præter illa, quæ citavimus, ſcripta oppugnare, *Apologia* ſcilicet pro Eccleſiis Orthodoxis contra Jeſuitas, nec non *Apodixi* contra Jeſuitas Monaſterienſes, qua ſervato quatuorde-

tuordecim capitum ordine Pistorio Pontificio respondit; subjecit quoque *Diatriben Epistolicam* cum iisdem Monasteriensibus. Dicitur denique adornasse Commentarium in Epistolas Paulinas, & conciones congessisse in Evangelia Dominicalia; sed ab his edendis temporum injuria exclusum ferunt. Nos ergo pro ratione instituti ex his ejus scriptis dogmata illa excerpemus, quæ in controversiam præcipue venerunt; sunt autem ea sequentia.

DOGMATA VORSTIANA.

1. Recta ratio atque sensus sunt naturalia fidei principia.

Vorstius in Disp. XV. Anti-Pistoriana thes. 2. Fidei principia duplicia sunt, partim naturalia, partim supernaturalia. Naturalia sunt sensus & ratio; tum axiomata omnia naturali rationis lumine nota h. e. quæ universali experientia & simul rectæ rationis evidentia nituntur, quatenus quidem ad negotium fidei referuntur.

2. In definitione Dei ut genus licet analogicum, ita differentia dari potest à forma ejus petita.

In Notis ad Disp. 2. de Deo thes 2. p. 153. in med. Excipiunt hic quidam alii: Nullo modo Deum definiri posse, ut qui nec genus habeat nec differentiam, adeoque extra Categorias inter Transcendentia (ut vocant) numerari debeat. Sed hoc parum firma ratione nititur, cum in Sacris literis ea perspicue Deo attribuantur, quæ tum generis (si non exquisiti & univoci, saltem analogici) tum differentiæ seu formæ loco commodissime statui possunt. Itaque non dubitamus, contra quam isti sentiunt, aliquam dari posse veram Dei descriptionem, quæ naturam ejus, quatenus eam in hac vita nobis scire fas est, clare simul & breviter ob oculos animi proponat. Qualis est illa nostro quidem judicio, quam in thesi ipsa expressimus, ubi loco generis Spiritum, loco differentiæ reliqua Dei attributa seu proprietates naturales, per quas ab aliis Spiritibus distinguitur, non inepte posuisse videmur.

3. Etsi

3. Etsi Deus est substantia spiritualis, nullo nimirum sensu exteriore perceptibilis: licet tamen eundem sensu generaliori, latiori & improprio corpus dicere, prout illud veram substantiam atque essentiam notat.

In Not. ad Disp. 3. pag. 199. med. Præmittendum est omnem substantiam aut spiritualem esse aut corporalem; & spiritum quidem proprie dictum esse substantiam invisibilem atque impalpabilem, nullisque sensibus externis perceptibilem, ob exactam videlicet essentiæ subtilitatem ac puritatem: Corpus vero substantiam esse visibilem ac passibilem & saltem externis sensibus aliquo modo perceptibilem ob essentiam videlicet crassiorem, & sensibili aliquo modo perceptibilem ob essentiam videlicet crassiorem & sensibili materia constantem. Quum igitur Deus, ut jam vidimus, essentia sit vere subsistens h. e. substantia proprie sic dicta: non sit autem visibilis, nec palpabilis, nec ulla externa ratione sensibilis, omnino efficitur eum esse Spiritum s. substantiam spiritualem, eamque summe puram & impermixtam ac proinde ab externis hominum sensibus omnino remotam. *pag. 201. post med.* Cæterum si vocabulum corporis in significatione latiori sumamus, nihil vetat, Deo etiam corpus adscribere, ut quidem Tertullianus lib. contra Proxeam aperte affirmat: Deum licet Spiritus sit, nihilominus esse corpus; cum Spiritus etiam sui generis corpus sit in sua effigie. *p. 202. init.* Sic Apostolus vocem corporis admodum late pro solida cujuslibet rei veritate & substantia accepit Coloss. 2. v. 9. 17. sicut apertius ex collatione Hebr. 10. v. 1. apparet. Hoc igitur sensu nihil absurdi erit, si Deo etiam corpus h. e. veram & solidam substantiam, quatenus sc. inani phantasmati, item umbratili accidenti opponitur, adscribat &c. Ut mera logomachia esse videatur, si quis hac in parte vel Tertullianum vel quenquam alium, qui Deo corpus in genere tribuat, acerbe reprehendere velit. *In Orat. Apologet. pag. 17. post med.* Logomachiam mihi prorsus inanem videri dico, si quis vocabulum corporis, olim à Tertulliano improprie pro substantia usurpatum, nullatenus hic excusari, nec tropicum ejus usum admitti posse contendat; præsertim cum idem vocabulum in Sacris literis improprie ac latissime aliquando sumatur. *In Collat. Amica Sect. 35. p. 91. ante med.* Quæ omnia certe palam ostendunt,

dunt, vocem corporis juxta Scripturam aliquando latissime extendi, & modo pro integra persona, modo pro reipsa aut solida ac plena rei veritate à Spiritu S. usurpari. Ut proinde non admodum vexandus, sed benigne potius sublevandus videatur, qui eandem vocem etiam de Deo: sed valde generaliter, & quidem improprie aliquando forte usurpari posse putet. *Ad artic. ex Anglia transmissos pag. 15.* Cæterum nihil obstat, Deo etiam corpus adscribere, si vocabulum corporis in latiori significatu sumamus. Latior significatio hic ea dicitur, quæ ultra propriam extenditur, sive quæ figurata & impropria seu mavis Catachristica est. *In Respons. ad partem primam Matth. Sladi cap. 2. §. 50. p. 74. med.* Ipse Augustinus de hæresib. cap. 86. aperte scribit: Tertullianum dicere Deum esse corporeum, licet non effigiatum. *Et in fine:* Res ipsa clamat, à corpore non minus Deum corporeum, quam à Spiritu spiritualem, ab essentia essentialem dici posse; siquidem non minus ille corpus esset, quam & Spiritus & essentia est. *Vicissim:* Neque enim ego (quod tu falso mihi exprobras) Tertullianum hic ita excuso & defendo, ut orthodoxis interim adversari, nedum impio loquendi generi (quale hic nullum est, nisi Scriptura etiam impie de Deo loquatur, Coloss. 2. v. 9.) volens & sciens patrocinari, aut ulli hæresi vel blasphemiæ, nedum multis fenestram aperire jure dici possim. *Et in Respons. ad Specim. Controv. Hommii n. 3. p. 5. fin. & seq.* Quod autem de voce corporis affertur, id tantum eo pertinet, ut per occasionem doceatur, vocem hanc in S. literis (quod & verissimum est) aliquando improprie seu admodum late accipi, pro re sc. ipsa, qualiscunque tandem ea sit, de qua forte agitur: sive pro ipsa rei subjectæ essentia, item pro qualibet substantia, & pro persona. Et ut simul ostendatur, inanem esse logomachiam, si quis eos nimium exagitare velit, qui forte improprie hoc sensu non male vocem ipsam ad Deum quoque accommodari posse credunt. Quo etiam modo Augustinus jam olim, aliique deinde plures Tertullianum corpus Deo tribuentem (quod & Arnobius, Lactantius, Phæbadius aliisq; veterum faciunt) benigne excusaverunt.

4. Non est Deus adeo simplex, ut quicquid in eo est, sit ipse Deus: sed decreta præcipue ejus distincta sunt ab ejus essentia, ut aliquam accidentium habeant rationem.

In Tract. de Deo & attrib. divin. Disp. 3. §. 23. pag. 43. Unde porro non difficulter efficitur, etiam interna quædam accidentia in Deo h. e. in ipsa (ut sic dicere liceat) proæretica Dei mente & voluntate revera existere. *In Not. ad Disp. 3. §. 2. p. 206. fin.* Hæc omnia non impediunt, quo minus aliquid diversitatis ac multiplicitatis in ipso (sc. Deo) sit, quod essentiæ sive naturæ absolute dictæ simplicitatem non evertat; præsertim si consideremus, ipsum in se principium habere cujusdam mutabilitatis, quæ tamen essentiæ mutabilitatem non tollit) videlicet liberam voluntatem, cujus respectu potest modo hæc modo illa decreta facere, & jam illa jam alia extra se posita entia tum velle, tum nolle, tum in se ipsis actu videre s. contemplari, tum non ita videre &c. quæ certe accidentia quædam sunt ab ipsius substantia longe diversa. *p. 207.* Hæc eadem decreta, quia pendent à causa voluntaria, videlicet libera Dei voluntate, non sunt simpliciter æterna, juxta regulam à Scaligero annotatam. At Dei essentia simpliciter æterna est, & omnis omnino principii seu originis expers. Non sunt ista igitur ipsa Dei essentia. *p. 208.* Si quicquid est in Deo, Deus est, non potest quicquam apud animum suum Deus libere h. e. contingenter seu indifferenter decernere; proinde nec libere aut contingenter potest quicquam operari. Nam in ipsa Dei essentia nulla est mutabilitas aut contingentia &c. Hinc porro & alia ratio efflorescit, qua docetur, accidentia etiam quædam in Deo locum habere; Nam Decreta illa Dei aut substantiæ sunt, aut accidentia. Non illud, quia neque Deus ipse sunt (ut vidimus) neque res creatæ, jam revera existentes; Siquidem aliud est propositum de re, aliud res ipsa; Ergo hoc; & proinde totidem in Deo accidentia sunt, quot decreta de rebus foris efficiendis. *Et post pauca:* Porro quid de Sancta Triade fiet, si nulla plane est in Deo diversitas? Annon etiam alia res est Pater, alia Filius, alia Spiritus S. item alia res generatio activa quam passiva? Sunt igitur tres saltem, si non plures diversæ res in Deo. Non enim audiendi sunt, qui divinas hypostases diversos tantum modos esse dicunt; præsertim cum istos modos nec substantias esse nec accidentia contendant. At dices: diversas personas non esse aliam atque aliam essentiam. Respondeo, satis est, esse entia realia vere diversa. Quanquam contradictio quædam videtur esse, rem ullam vere existere, quæ non habeat suam propriam quandam essentiam. *pag. 209.* Non igitur axiomata illa vulgo pridem recepta simpliciter & omni modo vera: In Deum non cadere ullam diversitatem, aut compositionem, item nullum in Deo accidens esse: Sed quicquid in Deo est, Deum ipsum esse.

pag.

pag. 210. Nihil vetat quasi materiam & quasi formam in Deo distinguere h. e. essentiam spiritualem instar generis, ac proinde quasi materiæ: proprietates autem essentiales instar differentiæ s. quasi formæ Deo attribuere. Et quamvis essentia ejus nullo modo composita sit, quatenus compositio propriè sumitur pro aptione vel constructione rerum seu partium ante separatarum: nihil tamen vetat, generatim asserere aliud atque aliud in Deo seu etiam in Dei essentia esse, idque per naturæ necessitatem ab æterno. Nihil enim in Deo vetat hactenus compositionem aliquam statuere, quatenus ipse pro libera sua voluntate, in animo suo quædam constituit, quæ deinde objective sint in ipso tanquam ideæ rerum futurarum, nunquam alioqui in Deo extituræ, nisi ipse ita voluisset. *In Orat. Apolog. p. 18. med.* Addidi tamen semper, me nolle de voce accidentium odiose hic rixari, dummodo discrimen illud reale inter Deum ipsum & ejus decreta, quod Sacra Scriptura & sana ratio perspicue tradit, extra dubium ponatur. *In Exeg. Apol. p. 40. post med.* Præterquam quod externa saltem accidentia v. g. adorari, invocari, offendi, Deo passim in Scripturis attribuuntur, quæ juxta clarissimum Goclenium aliquatenus ipsum in se vel ad se recipere certum est: etiam internæ quædam operationes (sed tamen ad extra tendentes) ita in Deo residere deprehenduntur, ut nihil interim ad ipsius essentiam pertineant. *Denique in Parasc. Sect. 2. c. 4. p. 50.* Aliqua ergo conjunctio seu compositio, non quidem naturalis: sed voluntaria & late admodum sumta in Deo agnoscenda est.

5. Æternitas Dei non posita est in indivisibili: sed admittit utique successionem quandam præteriti, præsentis atque futuri.

In Exeg Apolog. p 51. med. Id solum in quæstione est: An æternitas Dei indivisibilis & tota simul sit, totaque sive integra coëxistat? & quidem non pro nostri conceptus ratione sive mentis nostræ aliqua fictione, sed realiter & vere coëxistat? *Et pag. 52.* Clarius ita fortassis quæstio proponi posset: An æternitas sive æterna Dei duratio sit vere & proprie momentanea s. momenti instar individua, atque ita omnes Dei actiones tam naturales quam proæreticæ, tam externæ quam internæ (quotquot sunt, fuerunt, erunt) in nictu oculi sive in puncto indivisibili peragantur? Hoc, inquam illud est, quod revera quæritur. Falsitatem hujus assertionis Scholasticæ Sacræ

causa obiter à me suo loco examinata fuit. Sed tu (*Piscator*) consulto ab hac Quæstione abstinuisse videris.

6. Non ut essentia Dei, ita quoque voluntas ejus prorsus immutabilis est; quædam enim in tempore vult, quæ antea ita in specie definite & nominatim non voluit.

In Notis ad Disp. 3. pag. 212. med. Sed tamen illa species mutationis in Deo locum habere potest, quatenus ipsæ actiones quasdam immanentes exercet juxta liberam voluntatem, à quibus ipsum aliquo modo saltem extrinseca relatione affici necesse est &c. Hæc enim voluntas semper principium mutabilitatis est etiam in ipso Deo, quippe per quam Deus aliter atque aliter habere se & potest & solet tum volendo tum contemplando. *Et in fine.* Non satis igitur circumspecte loquuntur, qui Deum ut essentia sic etiam voluntate prorsus immutabilem esse affirmant. De illa quidem omnino verissimum est, ut vidimus: sed de ista non proinde simpliciter verum est. *Et Disp. 6. de Voluntat. Dei §. 36. pag. 65.* Non quicquid Deus vult ab æterno, in æternum vult. Nam ut quædam vult tantum ad tempus: quædam vero in perpetuum: sic quædam in tempore reipsa vult, quæ antea sic nominatim & in specie noluit; vel definite vult aut non vult, quæ antea definite nec voluit nec noluit: Nunc etiam non vult eum cultum, quem voluit olim in V. Testamento, & jam vult generalem omnium gentium vocationem, quam olim noluit, sicut ex Psalmo 147. v. 19. 20. Actor. 14. v. 16. & 17. v. 30 colligitur. Et quotidie existentibus his vel illis conditionibus hæc vel illa præcise vult aut non vult, quæ alioquin neutram in partem ita præcise definiverat. v.g. quæ 1. Sam. 23. v. 12. de Davide in Ceila manente dicuntur. *In Exeg. Apolog. cap. 11. p. 46.* Tota igitur negatio seu mavis cautio à me hoc loco proposita tantum ad specialem modum seu formalem rationem hujus immutabilitatis per comparationem quandam imparium refertur, sicut ex adverbio PRORSUS, imo ex integra phrasi emphatica satis per se patet. Hunc enim modum in voluntate non prorsus eundem, quem in essentia esse affirmo; Ita ut Deus utrinque immutabilis quidem esse agnoscatur, etsi non eadem plane ratione seu speciali modo. *In Respons. ad partem alteram discept. Matth. Sladi pag. 133.* Solæ sunt actiones Dei externæ seu mavis effectus

extra Deum tendentes, qui toties à Deo mutantur, nobis in hanc vel illam partem forte mutatis. *pag. 135. post med.* Utraque quidem (*sc. voluntas Dei absoluta & conditionata*) integre sumta, semper immutabilis est: sed ita, ut illa secundum omnes partes (si forte copulata sit, uti sæpe quidem est) ista vero non secundum omnes partes seorsim acceptas, sed tantum quoad totum connexum immutabilis sit. *Denique in Respons. ad articulos ex Anglia transmissos, pag. 6.* Quod autem dicitur: *Deum non sic prorsus immutabilem esse voluntate, sicuti est essentia*, ejus sensus est: Essentiam Dei adeo absolute immutabilem esse, ut nullo modo ad sic vel aliter essendum indifferens sit: Voluntatem vero h. e. volitionem ad extra (hæc enim sola hic intelligitur) absolute & per se indifferentem esse ad sic vel aliter volendum, imo ad volendum & non volendum, ex hypòthesi tamen ordinationis divinæ seu determinationis jam factæ semper immutabilem esse.

7. *Deus non ubique secundum essentiam quidem: secundum virtutem tamen & operationem præsens est; habetque veram suam magnitudinem supernaturalem, non determinando, propria an impropria illa sit.*

In Not. ad Disp. 3. de Natura & Attrib. Dei pag. 214. Non caret controversia, quod hic assumitur pro certo, videlicet essentiam Dei prorsus & simpliciter immensam esse. *pag. 232.* Nusquam diserte in Scriptura docetur Deum substantialiter ubique præsentem, adeoque simpliciter infinitum esse. *Et mox:* Non legitur Dei substantiam simpliciter immensam & totam reipsa omnibus in locis præsentem esse. Imo non pauca, quæ contrarium sensum habere videntur, passim occurrunt. *Et cum breviter ad singula respondisset pag. seq. in fine subdit:* Si tamen de generali quadam omnium creaturarum impletione h e. gubernatione & rectione accipiamus, non continuo necesse est, ut ubicunque aliquis operatur, etiamsi magnifice & gloriose operetur, ibi quoque totus substantialiter adsit. *Et post pauca:* Etiamsi hæc loca de essentiali præsentia Dei accipienda essent: nondum tamen evicta esset absoluta essentiæ immensitas aut omnipræsentia substantialis; quum (*pag. 234.*) totus ipse mundus & cœlum illud cœlorum per se finitum sit, eoque necesse non sit, ut qui substantia

sua

sua hæc omnia implet, is immensam habeat substantiam, & eam quidem omnibus locis totam præsentem. *pag. seq.* Verum quidem est, Deum omnia in omnibus operari: non tamen sequitur, Deum immediate illic sua substantia adesse, ubicunque operatur; quia per causas medias s. physicas seu hyperphysicas operari potest, ut Rex aliquis per suos ministros. *In Exeg. Apologet. cap. 19. p. 98.* Quis nesciat omnem magnitudinem atque amplitudinem, qualiscunque tandem sit, esse Speciem quantitatis? & talem quantitatem hic accipiendam esse, qualis ipsa magnitudo aut amplitudo est, de qua speciatim agitur? Quis denique dubitare potest, quæcunque Deo in Scripturis attribuuntur, ea vere & non falso (sive proprie sive tropice, nihil interest) eidem semper attribui? Habemus igitur jam generatim, quod volumus, Deo sc. veram quandam, non quamlibet aut quomodolibet acceptam, magnitudinem ac quantitatem in Scripturis aperte assignari. *Et pag. seq. 99.* Duo imprimis hic observari velim, primum nihil omnino de speciali ejus ratione seu peculiari modo ac definita mensura h. l. à me definiri: sed generatim tantum ac simpliciter aliquam in Deo veram (proprie an improprie dictam, nihil hic definio) magnitudinem nobis cogitandam esse affirmari, h. e. ipsam thesin absque hypothesi seu nudam ipsius rei veritatem duntaxat astrui. Secundo diserte me aliquoties hic protestari, non physicam aut corpoream aliquam nobisque sensilem aut comprehensibilem: sed hyperphysicam, spiritualem, incomprehensibilem planeque divinam Deo quantitatem attribuendam esse. *Et in Orat. Apologet. p. 11.* Quod autem circa hanc materiam ex meopte quidem sensu in dubitationem voco, id tantum Scholasticam hypothesin de speciali modo infinitatis & omnipræsentiæ divinæ, deque necessitate fidei in hoc ipso modo explicite credendo revera pertinet; Nihil enim aliud hic contendo, quam Deum non quolibet sensu seu quocunque illimitato modo infinitum esse; nec specialem omnipræsentiæ ipsius rationem temere nobis extra Scripturam definiendam esse.

8. Futura contingentia atque libera non præscit Deus immutabiliter & necessario, quæque facta nondum sunt, ac si facta jam essent.

In Not. ad Disp 5. p. 271. ante med. Omnia etiam decreta, quæ semel apud se præcise definivit, uno modo & actu post factam definitionem accurate novit; sed de omnibus aliis & singulis, quæcunque sunt

sunt & fiunt, seorsim & per se consideratis hoc affirmari non potest; quippe quæ non modo successive in tempore: verum etiam contingenter & sæpe conditionaliter existunt. *Et post med.* Visionis scientia semper certissima est, simplex autem notitia, quia sequitur ipsam objectorum naturam, idcirco & ipsa semper in suo genere infallibilis est &c. De futuris etiam contingentibus, quæ quidem ad neutram partem absolute definita sunt, nulla habetur alia scientia, quam vel hypothetica, vel alternativa ad hanc aut illam speciem: vel absoluta ad partem utramlibet. *pag. 254. med.* Libera autem scientia non prorsus absoluta: sed conditionalis aliquo modo dici potest: quia pendet ab antegressa voluntatis definitione, quæ per naturam libera & indifferens est h. e. poterat non esse; eoque objectum hujus scientiæ non est absolute necessarium; nec idcirco divina mens immediate & immutabiliter in ipsum fertur. *pag. 275.* Error est secundo, quod absolutam & intuitivam futurorum omnium præscientiam divino decreto nonnulli simpliciter anteponunt, atque ex libera visionis scientia simplicem notitiam, eamque necessariam ac naturalem efficiunt &c. Quarto ut nihil dicam de mirifica illa rerum omnium in æternitate existentia sive in ipso Deo effulgentia, deque aliis ejusmodi contradictoriis figmentis, quæ tum ad defendendam infallibilem omnium futurorum præscientiam, tum ad eandem cum arbitrii nostri libertate conciliandam &c. aliqui sine causa excogitarunt. *In Exeget. Apologet. cap. 22. pag. 121.* Quid opus continua rerum moderatione assiduaque procuratione, si jam ab omni æternitate omnia & singula, per absolutum & efficax & quidem specialissimum Dei decretum ad unam duntaxat partem definita sunt? Quis enim nescit, de rebus absolute necessariis (cujusmodi certe jam erunt omnia & singula tali decreto posito) curam ac moderationem omnino vanam esse & frustraneam. Similiter quorsum conditiones hæ vel illæ (sed quidem tanquam mutabiles & liberæ) mortalibus proponerentur, sub quibus demum hæc vel illa aut futura aut non futura, Deus partim promitteret, partim minaretur; Si omnia omnino eventa cum suis omnibus circumstantiis ad unam tantum contrariorum partem, absolute simul & efficaciter prædestinata essent? *Denique in Respons. ad Artic. ex Anglia transmissos n. 7. pag. 20.* Temporaria & mutabilia secundarum causarum eventa, & præsertim libera hominum facta tam bona quam mala seorsim & sigillatim considerata, quia non modo successive & contingenter existunt, sed & va-

& variis mutationibus obnoxia sunt, sub uniformem quendam, specialissime sic dictum sciendi actum cadere non possunt; alioquin nihil interesset inter diversos imo contrarios sciendi actus, qui videlicet in diversis seu contrariis objectis scibilibus occupantur v.g. actus ille specialissimus, quo Deus olim novit Adamum & Evam revera vivere & nondum lapsos esse &c. nihilominus differret ab altero non minus speciali, quantumvis contrario actu, quo idem Deus jam exacte novit, illos eosdem homines vere mortuos, vereque lapsos esse.

9. *Non omnia decreta Dei ab æterno fuere, ea præcipue, quæ à libera illius voluntate pendent.*

In Not. ad Disp. 6. thes. 37. p. 307. init. Non satis accurate loqui videntur, qui simpliciter & sine limitatione docent, Deum quicquid unquam voluit aut vult, id ab omni æternitate uno constantique actu in perpetuum voluisse & velle. *Et paucis interjectis*: Neque enim dubium est, Deum olim quædam definite voluisse, quæ jam non ita vult, ac ne velle quidem potest, quo quidem modo tunc voluit: & contra quædam jam velle, quæ tunc voluit. *Circa fin.* Erratur hic dupliciter, primo quod generale Decretum plane tam æternum, quam ipse Deus statuitur; cum necessario Deus ut causa eaque proæretica prior sit suo decreto seu effectu eoque contingente; Secundo quod ex eo, quod generale Dei decretum, idemque fere conditionale, præsertim respectu nostræ salutis ante secula factum est, statim colligitur omnia omnino in specie quæcunque in mundo accidunt, similiter ab æterno fuisse à Deo definita. *pag. 308.* Si omnia ab æterno ad hanc vel illam partem definita essent, etiamsi respectu secundarum causarum multa forte contingenter fierent: tamen revera quoad primam causam omnia fierent necessario. *pag. 312.* Nihil absurdi ex eo sequitur, quod Deus in tempore quædam præcise & definite velle vel nolle dicitur, quæ fortassis antea non ita præcise vel voluit vel noluit: quemadmodum nec absurdum est, Deum nunc in specie quædam velle desinere, quæ antea reipsa voluit. *In Exeges. Apologet. cap. 15. pag. 68.* Hoc volo: Decreta Dei per Dei voluntatem sic existere aliquando cœpisse, ut absolute potuerint non existere, ac proinde simpliciter æterna non fuerint. Nam quicquid sic est, ut simpliciter possit, aut aliquando potuerit non esse, id simpliciter æternum dici nequit; quia per absolutam ne-

ceſſitatem non ſemper fuit. *Et pag. 69. ante med.* Nihil quod pendet à cauſa voluntaria ſeu libere & contingenter operante ſimpliciter æternum eſſe poteſt. At Decreta Dei &c. *pag. 71.* Præterea obſerva, id quod ſimpliciter æternum eſt, nulla unquam ratione immutari poſſe, (quia videlicet id nunquam poteſt non eſſe, quod omnis originis ac principii expers eſt); cum tamen decreta Dei de rebus futuris hactenus ſaltem mutabilia ſint, quatenus executioni jam mandata, id ſpeciatim eſſe deſinunt, quod ante fuerunt. Cum enim res futura non amplius futura eſt, ſed jam ipſa præſens eſt; imo jam fere præteriit, tum certe etiam decretum de ea ut futura non amplius exiſtere poteſt. Ita v. g. non decernit jam Deus ulterius hunc mundum creare aut diluvio perdere.

10. In Deo modus cogitandi unum poſt aliud, & colligendi aliud ex alio, tum & conſultatio, utrum è pluribus potius ſit agendum.

Exeg. Apol. cap. 23 pag. 27. Diſcurſum aliquem talem ſaltem in Deo agnoſcendum puto, quo unum poſt aliud, aut unum propter aliud aut eſſe aut fieri velit. Dico velit potius, quam *ſciat* aut *norit*: ut fundamentum hujus diſcurſivæ, ſeu mavis, progreſſivæ ſcientiæ in libera Dei voluntate poſitum oſtendam. Nam in res extra ſe poſitas, non eadem prorſus neceſſitate, qua in ſemet ipſum, ſive in ſuam ipſius eſſentiam, Deus agere ſolet ſive volendo ſive intelligendo &c. Cum igitur in his talibus ſcientia viſionis liberum Dei decretum ſemper præexigat: in decretis autem divinis eorumque executione talis omnino diſpoſitio rerum appareat, ut aliæ poſt alias & aliæ propter alias aut ſint, aut fiant, ſane fatendum eſt, ſimilem progreſſum atque ordinem in divina talium rerum ſcientia locum habere. *Et poſt pauca*: Ergo ut voluntas, ita & ſcientia Dei (intuitivam ſemper ſeu ſcientiam viſionis hic intellige) in hiſce rebus omnibus progreſſiva ſeu diſcurſiva & revera eſt, & merito appellatur. Atque hoc demum ſenſu dianœa quædam (ſed divina & noſtræ per omnia diſſimilis) citra veram imperfectionem Deo attribui poteſt. Si quis tamen à voce Diſcurſus tanquam imperfectionis aut infirmitatis aliquid ſignificante, abſtinendum eſſe, contraque aliquod commodius vocabulum hic uſurpandum eſſe putaverit, ei non valde reſiſtemus. *In Reſponſ. ad Artic. ex Anglia tranſmiſſos art. 3.* Deum interdum aliquatenus ratiocinari, ita ut unum ex alio concludat,

dat, & unum poſt aliud aut propter aliud aut eſſe aut fieri velit, nemo pius ſimpliciter negaverit. *Et pag. 18.* Articulus ergo hic ex meo ſenſu ita ponendus eſt: Deus etſi futurorum omnium exactiſſime conſcius: interdum tamen ob certas cauſas diſcurſum quendam de illis inſtituit, & quaſi de incertis conjicit: ſed tamen absque omni defectu & infirmitate, quæ in noſtris diſcurſibus animadverti ſolet. *Denique in Schol. Alex. ad X. pag. 44.* Nihil vetat, quin etiam omniſcius aliquod conſilium de iis interdum apud ſeipſum capiat, quæ non niſi per liberam ipſius voluntatem definite unquam exiſtere; eoque nec definite ut talia præſciri poſſunt.

II. In Deo non quidem humano, divino tamen modo ſunt proprie ſpes & metus; itemque pœnitentia.

In Not. ad Diſp. 10. pag. 441. ante med. Plenius reſpondere videntur, qui certam quidem in genere univerſam Dei ſcientiam eſſe docent: ſed ita tamen, ut plures certitudinis cauſas in viſione præſentium ac præteritorum, quam in prævisione futurorum contingentium agnoſcant; atq; ita horum ſpem ſeu expectationem comparative loquendo aliquatenus incertam eſſe ſtatuunt; nempe quatenus ipſa opera, quæ futura ſperantur, nondum reipſa exiſtunt: imo quatenus reſpectu ſuarum cauſarum, à quibus proxime ſive immediate pendent, mere contingentia ſunt h. e. tam non fieri quam fieri poſſunt; nec per abſolutum aliquod Dei decretum ad alterutram partem præciſe à Deo determinata ſunt. Quo ſane reſpectu vera & proprie dicta ſpes ſeu expectatio Deo attribui, & ſimul tamen cum generali præſcientiæ ipſius certitudine (generali, inquam, pro cujusque objecti natura) non inepte conciliari poſſunt. *Et pag. 450.* Pœnitentia etiam Deo eatenus convenit, quatenus ipſe opera quædam ſua, propter ſupervenientem aliquam cauſam inſperatam vere improbat, deſerit, aut mutat: vel quod iſtas contingentes cauſas reipſa extituras, non infallibiliter: ſed tantum probabiliter ſeu veriſimiliter præſcivit (ut quibusdam placet, quam litem tamen non facimus noſtram) vel quod eas impedire aut tollere non potuit (quod omnino abſurdum eſt) vel denique quod præſcitas quidem & ſponte permiſſas, tamen adverſatur in ſeſe, & propter eas mutare opera ſua inſtituit. *pag. ſeq. 451.* Quatenus & quo ſenſu ſpes in Deum cadit, eatenus & eodem ſenſu metus ſeu timor eidem attribui poteſt. Interim non ſic metuit Deus, ut proprie formidet aut trepi-

det, aut vires cujusdam expavescat; quasi videlicet conscius sibi esset alicujus imbecillitatis: sed tamen in genere loquendo etiam Deus suo modo aliquando metuit h. e. merito suspicatur & prudenter conjicit, hoc vel illud malum oriturum ex aliquo suo opere, si ipsum forte procedat, eoque opus ipsum jam inceptum deserit aut immutat. *In Exeg. Apologet. cap. 20. p. 164.* Quod dico, me autoribus illis potius accedere, qui affectus veros & proprie dictos in Deo agnoscunt, quam illis, qui eos simpliciter in Deo residere negant, id cum triplici cautione accipiendum est. Nam 1. non prorsus ac simpliciter illorum opinioni accedo: sed comparative tantum h. e. potius thesin affirmantem quam negantem defendendam esse puto, utpote verbis Scripturæ magis consentaneam & veritati propiorem. 2. Veritatem ac proprietatem hanc non ex actione, conditione aut virtute quadam analoga, quæ eminenter in Deo sit, æstimandam esse doceo. 3. Non omnes horum affectuum actus licet maxime purgatos & quasi defæcatos in Deo naturales: sed quosdam mere proæreticos esse agnosco, quos videlicet in tempore pro libero suo beneplacito proque varia objectorum diversitate varie exercere solet. *Item in Orat. Apologet. pag. 19. ante med.* Respondi sæpe, voculam illam *proprie* ambiguam esse, neque h. l. ad qualitatem humanorum affectuum: sed ad proprietatem naturæ divinæ referendam esse. *Vicissim in Exeg. Apolog. illa pag. 174.* Cum Deus ait, se hostium indignationem metuere, qua videlicet crudeliter in populum ipsius grassaturi essent, simulque superbam illorum gloriationem vereri, qua ipsi Deo quodammodo illusuri essent, ac proinde nolle populum suum, prout alioquin commeritus erat inter gentes ubique dispergere, nec tam duriter, uti facere cœperat, amplius tractare &c. Cum ita, inquam, Deus hic loquitur, annon utrumque aperte sibi tribuit, quod supra diximus? Videlicet & mali eventus ex opere suo consecuturi prudentem suspicionem, seu mavis providam conjecturam, & sapientem operis jam aliquo modo incepti mutationem. Proprium enim hoc esse solet metuentis, nullum eventum suspicari & per mutationem alicujus operis eundem eventum avertere & præcavere. Neque vero est, quod ipsa suspicionis & conjecturæ itemque mutationis vocabula hic quenquam perturbent; quasi dum ista Deo tribuimus, infirmitatem simul aut imperfectionem eidem adscribamus. Non ita est. Nam suspicio quidem aut conjectura illa, non nisi per metaphoram (uti metus ipse) Deo adscribitur; quippe per quam utramque nihil hic

aliud

aliud indicare volumus, quam ejusmodi providam Dei prævisionem, quæ non in absoluto & efficaci, sed in hypothetico tantum & permissivo ejusdem decreto fundata sit; quippe quæ tantum ad eventa moraliter mala seu contingenter futura peccata h. l. referatur; quorum efficientia certe ad efficax & absolutum Dei decretum tanquam causam efficientem absque impietate referri non potest. *Et pag. 175.* Vocabula quidem hæc impropria & duriuscula esse fateor: sed ejusmodi fere omnia sunt, quibus de Deo loquentes utimur, imo quibus in hoc seculo uti cogimur. Mutatio autem ista quæ hic asseritur, non in ipso Deo, aut integris ejus decretis, sed tantum in externis ejus operibus eorumque causis & effectis plane contingentibus revera statuitur. *Denique in Collat. Amica cum Piscatore Sect. 116. pag. 240. ante med.* Absit, ut Deum humano modo seu nostro more aut metuere aut suspicari hic asseram. At suo tamen h. e. divino modo hoc ipsum eum facere, quis præcise negaverit? *Et post pauca:* Quasi dubitanter aut conjecturaliter de quibusdam eventis loquitur Ezech. 12. *Fortasse hoc vel illud futurum esse.* Hoc igitur aliquo modo verum esse oportet, nempe non humano aut creaturarum proprio, sed plane divino modo f. naturæ divinæ congruo, eoque ab omni vera infirmitate penitus segregato.

12. *Justitia vindicativa f. punitiva non est in Deo naturalis.*

In Schol. Alex. ad XVII. pag. 62. ante med. Conaris ostendere ex loco Rom. 1. v. 32. jus puniendi peccatores esse Deo naturale, eoque justitiam illam quam tu intelligis, ipsi naturalem esse: sed longe à scopo aberras. Nam 1. non dicitur in textu hoc jus esse Deo naturale. Est enim quoddam mere positivum, hoc est, pendens ab ipsius Dei lege positiva seu libera voluntate, v. g. jus remunerandi pietatem nostram, & quidem præmio æternæ salutis. 2. Aliud est jus seu potestas aliquid faciendi: aliud necessitas & quidem naturalis & absoluta. Multa enim jure Deus facere potest, quæ non statim necessario facit; quippe in quibus ut faciendi: ita & omittendi jus habet absolutum. 3. Non sequitur: Ergo Deus habet jus & quidem naturale puniendi peccatores præsertim tales, quales ibi describuntur: Ergo necessario & quidem absolute quodlibet peccatum punit. Hoc autem illud est, quod tibi (Piscator) probandum erat. *Et pag. 74.* Statum quæstionis mutas;

cum hanc thesin, quasi controversam probandam sumis; Nullum peccatum à Deo impunitum dimitti. At quæstio non erat de facto: sed de jure s. non de eo quod reipsa à Deo fiat: sed de eo quod fieri ab ipso jure possit. Dixeras enim peccata punire esse Deo naturale. Hinc igitur inferendum erat: Nullum peccatum absolute loquendo impunitum dimitti posse. Affers locum Ebr. 9. v. 22. Non agitur hic de ipso jure & potestate Dei; sed de facto & voluntate; neque de quavis punitione aut satisfactione hic differitur; sed de typica tantum peccatorum expiatione, quæ per sanguinem pecudum in V. Testamento fiebat. Otiose probas credentium peccata in Christo punita esse. Id enim extra quæstionem est; nisi forte inferre hinc velis, quia Deus hoc pacto nobiscum egit, idcirco eum aliter agere non potuisse. *Et pag. 77. med.* Quæ ex Scriptura congeris, ut nostra peccata in Christo punita fuisse ostendas; ea nihil ad rem nostram faciunt. Non enim de facto: sed de solo jure, neque de voluntate, sed de sola potestate h. l. quæritur.

13. Nomen Jehovah etsi soli Deo proprium: aliquando tamen sed improprie creaturis tribuitur.

Tr. de Deo & Attrib. in Not. ad Disp. 2. pag. 170. post med. Quod illi hæc loca de Christo interpretantur, ut qui simul sit Jehovah ratione essentiæ & Angelus Jehovæ ratione officii, jam tum ultro in se suscepti: tametsi probabilitatis aliquam speciem habet, non tamen solidum ac certum esse videtur. *Exeg. Apolog. cap. 1. pag. 7.* Dixi & adhuc dico, proprium hoc Dei nomen in S. literis improprie seu per tropum quendam usurpari; atque isto improprio sensu tum aliis quibusdam creaturis (ut altari Mosis & arcæ fœderis &c.) tum nominatim S. Angelis legatione aliqua divina fungentibus, non obscure communicari. *Et in fine:* Nihil vetat quin nomen hoc solius Dei proprium sit & perpetuo maneat: attamen per tropum aliquem creaturæ alicui certis de causis interdum adscribatur. Aliud certe est, nomen aliquod alicujus rei aut personæ proprium esse: aliud autem, id ipsum nomen proprie semper & citra tropum usurpari. Prius illud de nomine Jehovah respectu Dei verum esse professus sum, nec adhuc diffiteor: posterius constanter nego.

14. Pater

14. Pater in Scripturis Deus secundum excellentiam: Christus vero plerumque Dominus saltem vocatur.

In Notis ad Tr. de Deo pag. 185. Deum Patrem in Scripturis κατ' ἐξοχὴν solum Deum; Christum vero Dominum ut plurimum appellari: vel cum uterque Deus appellatur, tum Patri notam aliquam peculiarem apponi, quæ index sit illius principatus, qui in ipso solo Deo reperiatur. *In Exeg. Apolog. p. 14.* Hujus ἐξοχῆς s. prærogativæ & excellentiæ ratio præcipua est illa originis principalitas, quæ soli Patri in divinitate convenit. Is enim solus à se ipso est h. e. solus ingenitus solusque simpliciter ἄναρχος essentiam divinitatis à nullo sibi communicatam habet; Filius autem à Patre genitus est. *In Amica Collat. Sect. 91. pag. 107. med.* Nihil vetat Christum respectu naturæ divinæ simpliciter & per se consideratæ Patri suo esse æqualem; & tamen quoad Ordinem subsistendi seu quoad processionem personalem (sed maxime quoad Oeconomicam officii Mediatorii susceptionem) Deo Patri subjectum (*Joh. 14. 1. Cor. 15.*) seu mavis subordinatum fuisse. *Denique ad 2. partem Sladi pag. 46. ante med.* Annon ille vere ab alio dependet, qui ab alio genitus est, sicque respectu personæ vere est ab alio? & nonne sic filius à patre?

15. Angeli sunt corpora quantitatem & locum habentia.

In Exeg. Apolog. p. 30. Vocantur Angeli quidem Spiritus, & inter invisibilia opera Dei numerantur *Coloss. 1. Ebr. 1.* At hinc nondum efficitur, nullo modo corporeos aut omnino simplices & incompositos esse. Nam & aër & ventus & alia talia nobis invisibilia sunt, & Spiritus appellatione nonnunquam in Scripturis insigniuntur, quæ tamen vere composita & corporea esse novimus. *Et pag. 31. med.* Quis negare potest, Angelorum substantiam vere finitam esse utpote creatam? Id vero quantitatem aliquam si non sensibilem, at intelligibilem tamen non obscure arguit. At ubi finita seu terminata quantitas est, ibi & figuram aliquam esse necesse est. Omne enim terminatum figura aliqua terminatur. Porro ubi figura s. figurata substantia est, ibi lineæ & superficies sunt, ibi partes extra partes sunt, ibi corporeum quid esse oportet.

16. Chri-

16. Christus est novus Legislator.

In Schol. Alexic. ad n. 87. p. 239. Satis audacter negas Christum, qua mediator est, esse legislatorem. Negas ergo Christum qua mediator est, esse Dominum ac magistrum, seu Regem ac Prophetam nostrum, cum hæc officia sine legislatione exerceri non possint. *Et in med.* Aliud lex Mosis, aliud lex Christi, quatenus utraque stricte & proprie sumitur. Redemit ergo nos Christus à maledictione legis: sed non ab ejusdem obedientia, quatenus hæc præsertim N. Testamenti propria. *Et pag. 241. post med.* Non dixi autem ego novitatem hanc in ipsa mandati quidditate s. essentia positam esse, præsertim generica, qualem tu indicare videris. Sed ex modo potissimum ac gradu diverso æstimandam esse, innui, quatenus lex charitatis & alio modo nunc præcepta est, (quippe per exemplum & Spiritum Christi novum cordibus piorum inscripta) & ad perfectiorem quendam gradum, qui adultis Dei filiis sub N. Testamento conveniat, in Specialibus quibusdam casibus sapienter evecta.

17. Major in N. Testamento perfectio requiritur atque olim in Veteri.

In Resp ad Festi Hommii Specimen Controvers. art. 25. n. 2. pag. 37. fin. Veteris & Novi Testamenti natura hanc differentiam requirere videtur, ut major præceptorum perfectio in N. Testamento sit, quam in Veteri olim fuit. Nempe quia veteres illi quasi infantes erant, à quibus minor obedientia exigi solet; Cum Christiani jam contra sint adulti. Satis igitur hic erit, si dicamus, moralia Veteris & Novi Testamenti præcepta, quoad substantiam quidem eadem esse: licet alicubi quoad accidentia quædam seu gradus perfectionis non nihil different. *Et paulo ante:* Quæ licita patribus in V. Testamento, non sunt licita in Novo, v. g. Polygamia, libellus repudii extra casum adulterii.

18. Etsi Christus non omnes pœnas tulit, quæ perpeti nos debuissemus: Deus Pater tamen de stricto jure suo tantum remisit, ut secundum ἐπιείκειαν suam velut sufficiens acceperit, quod ille sponsor noster pro nobis præstitit.

In

In Orat. Apologet. pag. 26. circa fin. Tametsi ea quæ Christus in anima simul & corpore pro nobis perpessus est, tum ob dignitatem personæ patientis, tum ob immensam dolorum acerbitatem & copiam, summam charitatis & obedientiæ perfectionem, omnibus damnatorum pœnis omnino æquivalent, imo longe præponderant; Hoc totum tamen per vocabulum divinæ acceptilationis fortasse non apposítum indicare volui, ut scilicet ostenderem, Deum etiam in ipsa Jesu Christi satisfactione ἐπιείκειαν quandam seu rigoris moderationem exercuisse h. e. aliquid de stricto suo jure concessisse, nec præcise totum id, quod nos ob peccatum meriti eramus à sponsore nostro Jesu Christo exegisse v. g. mortem æternam proprie dictam. *In Schol. Alexic. pag. 132. ante med.* Satisfactionem Christi si proprie loquendum sit, non esse per omnia similem solutioni forensi ac vulgo notæ s. inter homines usitatæ &c. quia non omnes pœnæ, quas nos debebamus (inter quos est ignis gehennæ inextinctus, seu mors æterna proprie dicta) ab ipso Christo rigide exactæ sunt. Et quia non statim satisfactione Christi licet præstita reatus noster reipsa coram Deo aboletur &c. *Et pag. seq. 133.* Foret enim injuria in humano foro, si creditor plena solutione pro debitore jam accepta, hunc tamen non dimitteret ac proprium solutionis fructum ei denegaret. Aut igitur fidei & pœnitentiæ conditio ante justificationem (dico *ante* non *post*, ut effigium illud tuum de stipulatione gratitudinis sequentis simul excludam) jure à nobis exigi non potest: aut si hoc absurdum est, ut sane est absurdissimum, tum certe satisfactio Christi, licet suo modo plena sit, ex ingenio tamen plenæ solutionis humanæ æstimari non debet. *pag. 137.* Quod autem alibi plenam satisfactionem negasse videor, id de alia quadam rigida significatione accipi debet, quæ exactam plenariam identitatem includit, omnemque Dei ἐπιείκειαν seu remissionem juris divini prorsus excludat. *Et post pauca ibid. infin.* Collationem instituis, sed admodum ineptam, inter Socini & meam de satisfactione Christi sententiam. Neutra enim cum altera quicquam commune habet, quum ille ipse quidem homini aliquam, Christo autem nullam satisfactionem attribuat: ego contra Christo veram & suo modo plenam, homini vero nullam proprie loquendo coram Deo adscribam. *Vicissim. pag. 195. med.* Satisfactionem Christi aut non esse plenam & proprie dictam: aut saltem humanæ seu forensi solutioni admodum dissimilem, cum hæc quidem sola & per se h. e. sine tali applicatione effectum illum necessario producat: illa vero non. Ad Juris Con-

 sultos

fultos vero ideo provocari, quia ipsorum professio est, jus humanum explicare, ac speciatim naturam solutionis ejusque proprium effectum nobis exponere. *Et in Respons. ad part. 2. Matth. Sladi pag. 84.* Illud quod de plena satisfactione à Deo non accepta dicitur, ita intelligatur, ut plenitudo hæc non ex æquivalentia passionum Christi, juxta ἐπιείκειαν Dei accepta (qualem agnosco) sed ex identitate omnium pœnarum nobis peccatoribus juxta rigorem legis debitarum pruden ter æstimetur. *Denique in Respons. ad Specim. Controv. Festi Hommii art. 21. n. 2. pag 29.* Si per eandem pœnam hic notantur passiones Christi pœnis nostris in judicio Dei per ἐπιείκειαν temperato æquipollentes, tum nego thesin hanc meam esse &c. si vero per eandem phrasin præcisa pœnarum identitas significatur, h. e. tum mors æterna, quæ præcipuum hic locum obtinet, tum alia universa supplicia ob peccatum nobis debita, idque ex summo legis rigore, tum certe thesin hanc damnare non possum.

19. Christus etiam sibi ipsi passione sua aliquid meritus est, nempe gloriam cœlestem apud Patrem ad dexteram ejus.

In Schol. Alexic. ad Tit. LI. pag. 114. fin. & seq. Sed Luc. 24. v. 26. scriptum est: Nonne oportuit hæc Christum pati, & sic introire ad gloriam suam? Ubi modus ipse loquendi non obscure docet, Christum non nisi per passionem ad gloriam, tanquam per medium ad finem pervenire debuisse, ac proinde illam veram hujus causam fuisse. *pag. 115. med.* Ad Philip. 2. v. 8. 9. res ipsa clamat, illud διὸ nihil aliud esse, quam διὰ τὴν ταπείνωσιν καὶ ὑπακοήν. Non enim quia causa notatur, ideo hic consequentia non notatur: imo contra, quia causa (& quidem efficiens) ideo maxime firma consequentia notatur, quæ alioquin frigeret, si nulla in præcedentibus causæ mentio facta fuisset. *Et pag. 116 ante med.* Quæ deinde de verbo merendi, deque merito Christi in medium affers &c. neque gloriam Dei naturalem ab ea, quæ mediatoris Christi propria est, satis plene distinguis: neque eandem rem diverso respectu debitam & indebitam dici posse animadvertis. Et quia Christus non sibi sed nobis veniam peccatorum & salutem

salutem acquisivit, ideo neque gloriam illam sibi, qua homo est, acquisivisse concludis. Nec interim vides, aliud hanc, aliud illam esse, nec quicquam obstare, quo minus eadem gloria duplici titulo à Christo homine possideatur, quorum uterque etiam debitionem includat; sed alter quasi naturalem, alter quasi sponte acquisitam; sic tamen ut neuter Dei gratiam simpliciter excludat: sed eam potius tanquam principalem causam, unde titulus uterque pendeat, necessario præsupponat.

20. *Fides male definitur per absolutam & specialem de remissis peccatis fiduciam, neque enim in ea formaliter consistit.*

In Resp. ad Specimen controv. Fest. Hommii ad art. 22. n. 2. pag. 30. post med. Etsi fidem justificantem h. e. quæ ad justitiam nobis imputatur, item ex qua & per quam coram Deo justificamur (ac proinde quæ ipsam justificationem ut causa suum effectum necessario præcedit) per talem absolutam & specialem fiduciam de re jam præterita & speciatim nobis certo præstita, seu de remissione peccatorum jam accepta, male definiri statuo seu formaliter consistere nego (quum specialis simul & absoluta ejusmodi fiducia, siquidem vera sit, remissionem peccatorum ut jam factam præsupponat, eoque justificationem non præcedat: sed necessario sequatur,) non nego tamen hanc ipsam fiduciam ut necessarium fidei effectum, vel si mavis, annexum s. adjunctum quoddam consequens ad fidem illam justificantem tandem accedere, sicque consequenter ad eandem suo loco & ordine requiri.

ARTICULUS IV.

DE SYNCRETISTIS PASSIM IN GERMANIA.

QUoniam desiderasse lego F. U. Calixtum, ut quæ superiori editione in Historia Certaminis adduxeram, ea testimoniis confirmarem, eadem hac secunda editione aliquot propositionibus complectar, iisdemque illa subjiciam.

1. Georgius Calixtus 1586. 14. Decembr. in pago Mehlby prope Flensburgum natus à Patre Johanne ejusdem loci Pastore studiorum continuandorum gratia primo in Academiam Juliam, inde Jenensem, post quoque Giessenam missus est.

Ipse Georg. Calixt. in Epist. Dedic. Disp. ad Senat Flensb. Balth. Cellar. in Orat. funebri & Christoph. Schrader. in Memor. ejusd.

2. Etsi vero nonnullis de Calvinismo suspectus erat, factum tamen, ut Theologiæ Professor constitueretur in Academia Julia.

Ipse G. Calixt. in der Widerlegung *W. lleri* und *Hülsemanni XX. 4. a. in med.* Eins muß ich hiebey noch anfügen/ nemlich daß ich nicht läugne/ daß ich schon für dreissig und mehr Jahren eben dieselben Ranisten (nemlich Menzerum und Feurbornium, de quib. postea) und andere (*Hülsem. in Calixt.* Gewissens-Wurm *cap. 1. pag. 1.* Diese waren D. Basilius Sattler/ General-Superintendens zu Wolffenbüttel/ und D. Heinricus Julius, Superintendens zu Helmstädt/ Calixti Geistliche Obrigkeit/ so wol D. Casparus Pfaffradius und Johannes a Fucht Theologiæ Professores daselbst) zu Feinden und Verläumdern gehabt/ welche denn tapffern Männern Caselio und Cornelio Martini sel. meinen wohlverdienten Præceptoribus auffsetzig gewesen/ und daher sehr ungern gesehen/ daß Herzogen Friedrich Ulrichen hochsel. Fr. Gn. mich alles Affterredens ungeachtet Professorem Theologiæ constituiret. Dieselbe nun haben ihnen

nen damals mich als einen Calvinisten zu traduciren äusserstem Fleisses angelegen seyn lassen. Wie solches Chur-Fürsten Johann Siegmunden zu Brandenburg hochhloblicher Gedächtniß zu Ohren kommen / haben Se. Chur-Fürstl. Durchl Dero zum Kirchen-Rath verordneten Præsidenten und Assessoren befohlen / mich nach Franckfurt an der Oder zur Profession Theologiæ zu fodern.

3. *Atque sicuti dudum in illa Academia nonnulli Saxonicis Theologis lites moverant: ita quoque cum G. Calixtus & C. Schraderus aliique nova quædam moliri viderentur, hi mature de eo deliberarunt.*

Notæ sunt Controversiæ, quas moverunt Hesbusius & Dan. Hoffmannus de illo Theologi Electorales apud Hutterum in Com. Concorde cap. 45. p. m. 307. ed. in fol. med. Und weil Heshusius dem Christlichen Concordien-Buch mit eigner Hand unterschrieben / würde es eben seltzam lauten / so er hievon sein eigen Bekäntniß / so er hiebevor gethan / ietzt ändern wolte. *Et pag. 308. fin.* Daß die Fürstl Braunschw. Theologi vom Wort (Gegenwart) andeuten / als solte solches ambiguum seyn / können wir nicht befinden / wie solches Wort ambiguum seyn solte. Denn ja expresse im lib. Conc. p. 215. steht: Daß Christus in der Herrligkeit nicht allein als GOtt: sondern auch als Mensch alles weiß / alles vermag / allen Creaturen gegenwärtig ist. *De hoc extat ap. eund. Hutterum cap. 52. p. 354. b. epistola Theologorum Saxonicorum:* Revelabit dies novissimus, quid Theologorum lumini illi D. Martino Chemnizio: quid venerando D. Nicolao Selneccero molestiarum & ærumnarum ab eodem creatum fuerit: quid reverendo seni D. Davidi Chytræo turbarum moverit: quas molestias insigni Theologo D. Lucæ Osiandro & reliquis Theologis orthodoxis Wurtenbergensibus universis facesserit; quibus acerbissimis injuriis, conviciis, insectationibus beatas illas animas D. Polycarpum Leyserum, D. Ægidium Hunnium, D. Georgium Mylium petierit & flagellarit. Nulla ab istis Concio, nulla disputatio, scriptum quodvis aliud nullum in lucem est editum, in quod ille sibi censoriam virgulam non sumserit, & autores nominatim etiam in suis Scholis Helmstadianis perstrinxerit, exagitarit, & acerbissime sugillarit. *Sic quoque cum Balthasar Meisnerus in Philos. Sobria part. 1. sect. 1. cap. 6. quæst. 7.* De Colloquiis

loquiis Theologorum Germanicis scripsisset, non esse simpliciter necessarium, ut semper & ubique in forma syllogistica, hoc est, per expressos perfectosque syllogismos disputetur. *Mox Cornel. Martini in Analysi mat. & forma cap. 10. pag. 114. hoc monstrum opinionis illi tribuit:* In auditoriis Theologicis disputari posse & disputandum esse sine omni bona consequentia. *Cumque illud Meisner. in quæst. vex. 1. thes. 1. & seq. removisset; mox peculiari dissertatione adeo famam optime de Ecclesia meriti Theologi proscidit, ut hic opus habuerit, edita* Admonitione *quadam de ejus* Maledicentia & Iniquitate ap. Illustriss. Principem FRIEDERICUM ULRICUM conqueri, atque ex illa dissertatione solum sex vel septem folia maledictis Cornelianis breviter repetitis implerit. Quibus conviciis Heinricus Boëthius celeberrimum Theologum Fried. Balduinum ob ea, quæ in cap. 1. ad Corinth. commentatus erat, insectatus fuerit, D. Jac. Wellerus in Præfat. der Abwischung pluribus refert. *Hülsemann. in Calixt.* Gewiß. Wurm *cap. 2. pag. 43.* Nunmehr vor ein und dreißig Jahren am 5. Septembris sind Chur- und Fürstl. Sächsis. Theologen an der Zahl zwölffe zu Jena auf dem Schlosse zusammen kommen / darunter auch die drey Jenische Theologi, Herr D. Joh. Major Senior, welcher noch am Leben / Herr D. Joh Gerhard und Herr D. Himmel / auch von Coburg Herr D. Caspar. Finkius, von Leipzig Herr D. Vincentius Schmuck / Herr D. Polycarpus Leyser, Herr D. Heinich Höpffner neben Herr D. Hoën und andern Doctoribus Theologiæ nunmehr sel. gewesen / welche unter andern eilff Puncten auch diesen num. 3. recessiret haben: Weil von Helmstädt Briefe einkommen / daß Georg. Calixtus und Cornelius Martini in öffentlichen Lectionibus die reine Lutherische Lehr und Theologen durch die Hechel ziehen / ist für gut angesehen / daß man einen gelehrten Studiosum aus denen Churfl. Stipendiaten nehme / der dieser Leut argutias examinire und wiederlege. Immassen solches Herr Vincentz. Schmuck / Superintendens & Professor primarius, und Herr D. Polycarpus Leyser, damals Pastor und auch Professor Theologiæ allhier / jener in seine Decanat-Acta: dieser aber in librum Actoru publicorum Facultatis Theologiæ Lipsiensis vor 31 Jahren mit eignen Händen registriret haben / und männiglich kan vorgezeiget werden. *Anno quoque 1632. Christoph. Schraderus aliquot Theses Arminianismum redolentes Theologis Wittebergensibus expendendas transmiserat quæ leguntur ap. eund Hülsem. ibid. p. 738. & seq. quibus n. 13. propugnat:* Credere in Christum, quatenus Justitiæ atque æternæ salutis pro-

promissionem habet & accipit, sub se necessario complecti studium Christianæ pietatis & sanctimoniæ.

4. Principio autem Calixtus pessime pervertit sententiam Theologorum Saxonicorum de omnipræsentia humanæ Christi naturæ, indeque eos Eutychianismi insimulare non dubitavit.

Georg. Calixt. in der *Dedic.* der Widerl. *D.* Wellern und Hülsemannen an Churf. Johann Georg *I. in init.* Etliche Theologi der Universität Wittenberg haben von vielen Jahren her wider die Theologen dieser Julius Universität Helmstädt einen Groll und Widerwillen gefasset / und vielmal öffentlich genug an den Tag gegeben; ob es schon ihnen zu gut gehalten / und nichts beantwortet worden. Die Ursach dieser Anfeindung ist gewesen / daß man allhie nicht / wie daselbst gelehret / daß gleich wie die Gottheit unsers Heylandes allenthalben ist / also auch sein Leib und seine Menschheit. *Idem Disp. de Persona & Offic. Christi th. 43. p. 52.* Manifestum est ex hisce ab Eutychianismo alienos non esse, quicunque divina attributa, quæ reapse idem sunt cum essentia divina, humanitati attribuunt, ita ut eam in abstracto ab illis denominent, & quatenus talem intrinsece cum illis idem faciant: nominatim qui immensitatem s. omnipræsentiam carni Christi tribuunt. *Et thes. 51. p. 57.* Remoto Eutychianismo sive reliquiis Eutychianismi restat videre, quid revera humanæ naturæ per illam unionem collatum fuerit. *Opponit huic calumniæ Hülsemann.* im Gewissens-Wurm. *cap. 2. p. 46. verba Form. Conc. p. 246.* Wir verwerffen und verdammen als Gottes Worte und unserm einfältigen Christlichen Glauben zuwider / daß die Menschliche Natur in Christo auf solche weise / wie die Göttliche Natur allenthalben gegenwärtig sey. *Item fol. 314. §. 2* Wir verwerffen und verdammen einhellig aus den Prophetischen und Apostolischen Schrifften / denen reinen Symbolis und unser Christlichen Augspurgischen Confession zuwider / daß die Menschliche Natur in Christo / auf solche weise / wie die Gottheit allenthalben gegenwärtig sey. *Quibus pag. 67. subjicit ex justa indignatione:* Ist er (Calixtus) ein redlicher Mann / und wil nicht für aller Welt für einen boßhafften freveln Verläumder gehalten seyn / so erweise er diese proposition aus derer Wittenberger Theologen öffentlichen Schrifften / seither die Julius Universität gestanden ist / daß man

zu

zu Wittenberg lehre oder gelehret habe: Gleichwie die Gottheit unsers Heylandes allenthalben ist; also ist auch sein Leib und seine Menschheit allenthalben.

5. Male dein habuit illum, Giessenses primum Theologos de ejus Epitome Theologiæ literis suis ad Theologos Brunsvicenses, nec non eosdem ipsos de statu purorum naturalium, & Deo causa peccati per accidens quædam monuisse.

D. Christian Kortbold in Histor. Eccles. Sec. XVII. Sect. 2. cap. 2. §. 2. pag. 898. Ex eo tempore reliquis Theologis cum Helmstadiensibus perpetuum fere certamen intercessit. Et sub initium quidem hujus seculi Anno M DC XIX. Georgius Calixtus adversarium experiebatur D. Casparum Pfaffradium, affirmantem Calixti Epit Theol. errores de puris naturalibus admixtos esse. *D. Hülsemann* im *Calixt* Gewiß. Wurm *cap. 8. pag. 1031.* Er kan nicht leugnen / daß ihm (G. Calixto) allbereit A. 1624. vom Consistorio zu Wolffenbüttel / als seiner ordentlichen Obrigkeit sey Fürhalt- und Abmahnung geschehen / von eräugnenden Neuerungen in der Religion abzustehen. Heisset aber D. Basilium Sattlern / General Superint. und Assessorem desselben Consistorii, seine ordentliche Obrigkeit / wie auch desselben Eydam D. Heinricum Julium Strubium, Professorem Theol. und Superintendenten zu Helmstädt / und seinen Præceptorem D. Caspar. Pfaffradium alte Ramisten / seine alte Feinde / Ignoranten / die es verdrossen / daß junge Leute solten studiren und wissen / was sie die gantze Zeit ihres Lebens nicht gelernet gehabt. *G. Calixtus* in der Widerl. *Wellerl. lit. Aa. 3. fac. b.* Er (Wellerus) thut dem vorigen alsbald hinzu / daß im Fürstl. Consistorio zu Wolffenbüttel / da mir Fürhaltung geschehen / ich gesagt / hätten wir alle einerley Köpffe / so trügen wir alle einerley Hüthe. Es ist wahr / ich weiß mich zu erinnern / daß ich solche Rede einmal geführet / und dieselbe nicht von Glaubens-Artickeln / sondern von Neben-Fragen und Gebrauch derer Terminorum, welche aus der Philosophia genommen / und deren man in außführlichen Theologicis explicationibus nicht entrathen kan / verstanden: Immassen derselbe der von einerley Hüthen in Glaubens-Bekäntniß geantwortet / bald hernach gestanden / daß wer in Aristotelica Philosophia informiret / andere reden und termi-

terminos in ipsa Theologia führen würde/ als wäre er der Ramisterey ergeben. Von der Zeit an/ da diß vorgefallen/ nemlich davon Serenissimo Friederico Ulrico hochlöblicher Gedächtniß/ ich Professor Theologiæ angenommen und bestellet worden/ und sich dawider allhie zu Helmstädt ein noch übriger alter Ramist/ und zu Wolffenbüttel sonst noch ein alter Feind/ äusserstes Vermögens/ wiewol umsonst geleget/ gehet nunmehr in das sieben und dreißigste Jahr. Wer hat nun D Wellern verkündiget/ was für vielen Jahren von meinen Ungünstigen im Consistorio zu Wolffenbüttel geredet? was gehet es ihm an/ oder was hat er damit zu schaffen? Ich möchte wündschen/ daß man die/ welche nunmehr schlaffen/ schlaffen liesse. Ich bin in keiner Abrede/ daß ich damals einen alten Feind/ der vieleicht nicht vertragen kunte/ daß junge Leute solten studiren und wissen/ was er die gantze Zeit seines Lebens nicht gelernet/ zu Wolffenbüttel gehabt: Deme denn hie zu Helmstädt beygepflichtet ein alter Ramist/ und hernacher auch sein wunderlicher gener &c. Wie vorhin gemeldet/ möchte ich wünschen/ daß man die Schlaffenden schlaffen liesse/ und keine Ursach gebe/ ihre ignorantiam, und wie sie theils gelebet und gestorben/ an den Tag zu geben. Daß mir solche Leute zuwider gewesen/ dessen entsehe ich mich nicht/ hab es auch/ da ich noch viel jünger war/ nicht geachtet/ geschweige daß ich es itzund bey ziemlichen hohen Alter solte achten. Wie ich aber fürlängst ihre grosse Mängel habe helffen bergen und unter den Fuß treten/ also wolt ichs noch gerne thun ꝛc. *D. Balthaſ. Menizerus in literis ad generum ſuum D. Wiedeburgum Aulæ Guelpherbytanæ concionatorem primarium:* Gratiam habeo pro transmissa Epitome D. Calixti, in qua animadverto ingenii dotes haud vulgares: sed & vestigia apparent errorum haud quaquam levium. Opus habet accurata lima liber iste, si recipi debeat. Non faciam mentionem erratorum in vestibulo & Prolegomenis occurrentium, in quibus excusandis scio, quid prætexi soleat. De Imagine Dei & de peccato video multa ad palatum Papisticum, quæ probari à cordatis Theologis non possunt. Doctrina de Prædestinatione recte proponitur; sed miror hanc locutionem usurpari pag. 147. Electionem nostram nihil aliud esse, quam decretum de nostra salute. Nam electio est facta secundum decretum sive propositum Dei, tanquam regulam. De unione hypostatica quædam erudite disseruntur: sed de communicatione Idiomatum sermo lubricus est: & ubi de officio redemptionis agitur, pia mens acquiescere non potest in eo, quod humanæ naturæ tribuatur tantum,

quod humanum eſt, non facta communicationis Idiomatum mentione, juxta Canonem Concilii Chalcedonenſis. Neque probare poſſum verba pag. 151. lin. 5. Meritum Chriſti eſſe aliqua ex parte infinitum; Juſtificationi aſſignantur duæ partes, remiſſio peccatorum & imputatio juſtitiæ Chriſti; atque non ſunt illæ diverſæ partes: ſed qui unum dicit, dicit alterum, idque neceſſario includit. Nimirum remiſſis peccatis juſtitia imputatur, & imputata juſtitia peccata remittuntur, ut patet ex Rom. 4. v. 7. Conf. in ipſa Epitome p. 190. ubi hæc ſententia confirmatur. In Diſcrimine V. & N. Teſtamenti quædam admiſcentur Calvinianis non ingrata; quemadmodum etiam de Sacramentis ita loquitur, ut placere iis queat. Imprimis vehementer offendunt pios animos verba p. 133. *Alio modo intelligere poſſumus, Deum eſſe cauſam peccati indirectè, impropriè & per accidens.* At inquam ego, Deus nullo modo eſt cauſa peccati, quod etiam naturæ ipſius & voluntati nobis in verbo revelatæ eſt contrarium, ac proinde illud odit & deteſtatur, prohibet & punit. Quæ & complura ſimilia miror in Academia Julia publice doceri ab illis, qui corpori doctrinæ Julio nihil contrarium ſe velle profiteri jurarunt. Et magis miror, Conſiſtorium connivere. Tu liberato animam tuam, & proteſtato ſolenniter, tibi vehementer iſtam pernitioſam licentiam diſplicere. Imbuitur juventus erroribus iſtis, qui difficulter poſtmodum deponuntur. Perpende cap. 3. Apoc. v. 15. 16. Mihi ſi otium eſſet, excerperem ex eo libro ſententias plurimas, ſanæ verborum formæ haud quaquam conſentientes &c. *Peculiari vero antea Tractatu in Academia Wittebergenſi Jacobus Martini oſtenderat, abſonum & abſurdum dicere:* Deum eſſe cauſam peccati per accidens; *cum vero etiam brevi ante obitum A. 1649. 10. Maij in literis ad Joh. Hülſem. ſcripſerat:* Es kränckte ihn hertzlich ſehr / daß er der Helmſtädter Schisma oder Trennung von der Gemeine Evangeliſcher Lutheriſcher Kirchen erleben müſte. Er könte das jenige / was Hornejus und Calixtus von guten Wercken / von Unerweißligkeit des Artickels der H. Dreyfaltigkeit aus dem Alten Teſtament / und dergleichen fürgeben / keines weges billigen rc. *Hülſem.* im Gewiſſens-Wurm *cap. 2. pag. 44. ubi addit:* Das Original kan männiglichen vorgezeiget werden. *Poſtea è Philoſophis quoque Marpurgenſibus Gregor. Stannarius in Canonib. Metaph. tit. de Deo Reg. 12. membro 3. pag. 139. pluribus probat, Deum t. nullius rei poſſe dici cauſam per accidens, non ratione influxus, quia in illo vivimus & movemur: neque ratione intentionis, quia omniſcius; deinde pag. 140. ſpeciatim neque ratione* permiſ-

permiſſionis, *neque ratione* deſertionis aut ſubtractionis gratiæ, *neque ratione* dilationis pœnæ: *neque ratione* ordinationis & directionis malitiæ ad bonum finem: *neque ratione* ordinationis ac præſcriptionis metæ in peccando, ut evitetur gravius. *Factum quoque hinc, ut cum Ludovicus Crocius ad conſenſum Calixti in hac Epitome provocaret, idem Menzerus Diſp. 5. Anti-Crociana th. 2. palam profeſſus fuerit*, quod multa in illa Epitome Calixti habeantur, quæ ſeriam emendationem deſiderarent.

6. Acceſſit Brunſvicenſibus Theologis Statius Buſcherus Paſtor Hannoveranus edito A. 1640. in lucem Crypto-Papiſmo Novæ Theologiæ Helmſtadienſis; cui quidem reſponderunt Hornejus & Calixtus anno ſeq. in Apologia ſua: ſed in qua plura adhuc orthodoxi obſervarunt. Ipſe quoque Buſcherus publico ſcripto cauſam reddidit, cur litem iſtam judicandam Deputatis Hildeſienſibus permittere non poſſet.

D. Chriſt. Kortbold. l. cit. Anno 1638. M. Statius Buſcherus Paſtor Hannoveranus in Calixti Epitome Theologiæ Moralis, Digreſſione de arte nova, Procemio in Vincentium Lirinenſem, & aliquibus illius & Conradi Hornei Diſputationibus, errores ſe inveniſſe ſignificabat, eosdem Crypto-Papiſmi accuſabat, & à Corpore Doctrinæ Julio quod ſe obſervaturos juraſſent, diſcedere contendebat. Anno autem 1641. Helmſtadienſes ſcriptum Apologeticum Anti Buſcherianum publicabant, quo Buſcherum errorum graviſſimorum reum agebant, & iis reſpondebant, quæ objecerat Calixto, Horneio nec non D. Paulo Müllero Ducatus Brunſvicenſis & Lüneburgenſis Superintendenti Generaliſſimo. *Quæ in hac viciſſim Apologia obſervarint Theologi Electorales, ea paſſim addecta leguntur in Conſenſu Repetito. Buſcherus vero eodem Anno 41. ante publicationem Apologiæ Helmſtadienſis edidit* Nothwendigen Bericht von Publicirung des Crypto-Papiſmi Helmſtadienſis, und warum er ſich dem zu Hildesheim hierüber angeſtelltem Judicio nicht ſubmittiren können. *Inter illas autem XVIII. rationes ſatis eſt hoc tempore adducere Nonam, quæ legitur ibid. pag. 93.* Zum neundten hatte ich inſonderheit an denen Theologis Conſiſtorialibus Mullero und Gieſſenio rechtmäßige Urſach/ mich

ihrem judicio nicht zu submittiren; Alldieweil dieselbe an denen corruptelis, die ich auffgesetzt/ und darüber solte judiciret werden/ mit interessiret sind; dependiren auch ohne dem von denen Theologis zu Helmstädt/ als ihren Praeceptoribus/ ohn welcher Rath und Consens sie ohne Zweiffel nichts thun/ noch viel weniger ihnen zuwider sententiiren werden; und müssen also in hac causa billig von mir als partiales & suspecti Judices ausgesetzet werden. Wie ja in keinem legitimo judicio einigem Menschen verwegert wird; so würden sich ja die Politici, könten auch von Rechtswegen in causa Theologica des judicii allein nicht unternehmen/ sondern es billig ad competentem judicem kommen lassen. Daß sie aber hie fürwenden/ ich habe sie erst suspect gemacht/ damit ich mich ihnen nicht dürffte submittiren; ist nicht also: sondern sie sind schon vorhin partheisch und suspect gewesen/ nicht allein/weil sie derer Theologen zu Helmstädt getreue Discipuli: sondern auch in ihren scriptis publicis derselben corruptelas eben so wol einführen als sie. Die Disputationem de Peccato, die ich in Crypto-Papismo angezogen/ hat Mullerus pro gradu Doctoratus gehalten praeside Calixto, und traun von seinem alten Praeceptore zu Wittenberg nicht gefasset/ was er darinn wieder unser Corpus Doctrinae defendiret: sondern von seinem neuen Praeceptore Calixto, wie mir denn schon lange ante motam controversiam hanc ist bekand gewesen/ daß er in vielen Dingen nicht mit unserm Corpore doctrinae und recepta sententia derer Lutherischen Theologen: sondern dawider es mit denen Helmstädtischen gehalten; davon ich wol specialia referiren könte/ so es von nöthen. Also hab ich ihn nicht itzo erst suspect gemacht/ sondern er sich selbst. Daß ich aber seinen Namen nicht mit gesetzt in dem Crypto-Papismo, habe ich 1.) aus Christlichem Mitleiden gethan/ weil er mit schwerer Melancholey behafftet/ daß etwa solche dadurch nicht möchte exasperiret werden. Weil ich aber nunmehr befunden/ daß er mich um meiner Confession willen so wol verfolge als die andern/ unter dem Behuff alle mandata und citationes unterschrieben/ und ihm drüber kein Gewissen gemacht; habe ich dieserhalben keine schwere Melancholey besorgen dürffen: sondern in der Anzeige an den Landes-Fürsten seinen Namen billig mitgesetzet. (2.) Weil ich wol konte erachten/ daß Calixtus der Principal und die Disputation gemacht/ habe ichs damals desto mehr bey demselben allein bewenden lassen. Giessenium betreffend/ ist er mir/ so bald ich seine Catechismus-Schuhl gelesen/ suspect worden/ und habe derowegen in dem Crypto Papismo etliche

seiner

seiner corruptelen kürtzlich daraus angezogen. Hernach aber / weil seine daraus genommene neue Kinder-Lehr vom Consistorio der Kirchen und Schulen bey uns auch ist præsentiret worden einzuführen / habe ich dieselbe etwas fleißiger durchgelesen / und noch mehr corruptelas darinnen observiret / welche ich ja billig auf Befehl des Landes-Fürsten mit anziehen müssen. Darauff er auch etliche derselben hernach in der letzten edition zu Hildesheim geändert. Hab ich also ihn nicht suspect gemacht / sondern er sich selbst vielfältiger weise; darum ich auch ihn eben so wenig als Mullerum in hac causa als competentem judicem erkennen kan. Daß ich derowegen fürs zehende denen Mandatis des Landes-Fürsten und Consistorii nicht pariret in hoc passu, dessen hab ich rechtmäßige Ursach. Denn keine Obrigkeit befugt / mir meine Widerpart zum Richter zu setzen und zu gebieten / daß ich mich dessen judicio unterwerffen soll / auch in privat Sachen / und also noch vielweniger in causa totius Ecclesiæ. Denn niemand kan von Rechtswegen zugleich Actor und Judex seyn. Thut es nun eine Obrigkeit de facto, und wil mich dazu obligiren / und mit Gewalt dringen / wie mit mir geschehen / so bin ich nicht schuldig zu gehorchen: sondern so ich die Gewalt nicht anders evitiren kan / deroselben zu weichen / damit ich meine gute Sache / ja der gantzen Christlichen Kirchen Sache denen adversariis zu verkehren und zu unterdrücken nicht prostituire.

7. Eodem fere tempore Conradus Hornejus à VVilbelmo Leysero, & Georgius Calixtus ab Heinrico Höpfnero de thesibus quarundam Disputationum suarum admoniti sunt.

Intercedebat D. Wilbelmo Leysero cum Conrado Horneio frequens literarum commercium, ob quosdam Theologiæ Studiosos, inspectioni D. Leyseri creditos, qui ex nobilis familiæ à Salderen *legato stipendio alebantur, & ex inspectoris concessione in Helmstadiensi Academia literis operam dabant. Ediderat Hornejus eo tempore Disputationem de Justificatione, quæ est part. 2. Disputationum ejusdem quarta, eandemque una cum literis Leysero transmiserat, in quibus A. 1640. Non. Junii exaratis scriptum erat inter cætera:* Mitto dissertationem nonam de Justificatione, quam si Excell. Tuæ per otium inspicere libeat, gratum mihi fecerit. *Responderat Leyserus inter alia bis verbis:* Ut de thesi prima de acceptione morali vocis justifica-

ficationis (quam 1. Corinth. 9. Tit. 2. locum non habere, ex contextu mihi certum eſt) cum eandem ipſa theſis 64. emolliat, nihil dicam; Cauſam inſtrumentalem eſſe Chriſti mortem & ſanguinem th. 19. hominem ſe per gratiam ad juſtificationem conſequendam diſponere th. 49. juſtitiæ inhærenti gloriam æternam ex gratuita promiſſione licet perſolvi, quod th. 60. videtur dici, ego nunquam dixerim. Illud vero plane probare non poſſum, quod in th. 3. diſp. de Neceſſ. Bonorum operum ad ſalutem, vel debere nos novam vitam ſectari, ſi ſalvi eſſe velimus, th. 77. eſſe neceſſariam eam juſtificatis ad hoc ut ſalvi ſint, th. 85. ſi fidem juſtificationis conſequi velint. §. 88. 96. adſcribitur. Nota ſunt ſuper hac re certamina, quæ patrum noſtrorum memoria Eccleſiam turbarunt, & per Dei gratiam in Formula Concordiæ ſopita ſunt. *Addiderat ſub finem literarum:* Sed forſitan in negotio Buſcheriano, commoda & pia declaratio ſequetur; ne Eccleſiæ alioquin afflictiſſimæ malum hinc ſubnaſcatur. *Reſpondit Hornejus d. 21. decembr.* Cæterum perlegiſſe Excell. Tuam meam de Juſtificatione diſſertationem gratum eſt. Utinam vero *ſive per morbum ſive per occupationes Tuas* (*de quibus tamen teſte Hülſemanno in Præfat. ad Dialyſ. Apolog. p. 99.* nullum indicium fecerat, neque ſe excuſarat, *aut conqueſtus unquam fuerat*) paulo accuratius id Tibi facere licuiſſet. Nam obiter tantum omnia percurriſſe ut credam, multa ſuadent, & res ipſa docet. *In ſequentib. non ſolum incruſtat defenditque errores de quibus monitus erat: ſed meliorem etiam Declarationem expectandam eſſe plane negat; quin fere de* injuria *ſibi facta cum illo expoſtulat. Sic enim concludit:* Quæ quidem omnia tam manifeſta ſunt, ut Declarationem meo judicio ulteriorem non requirant: Multo minus Sycophantiæ & mendacia Buſcheri tale quid expoſcunt, ut Tua Excellentia *non ſine noſtra aliqua injuria* exiſtimare videtur. *Similiter & de eadem materia Henricus Höpffnerus ad Calixtum quoque literas dederat prout eas l. cit. exhibet Hülſemannus pag. 93.* Quia intelligo Apologiam veſtram contra Buſcherum ad umbilicum deductam eſſe, exiſtimavi me amico dignum officium facere, ſi ſubjicerem vobis quæ à quibusdam deſiderantur in ſcriptis veſtris, ut tanto magis occaſionem habeatis vos melius explicandi. *Poſtquam vero de cauſa formali & inſtrumentali Juſtificationis, de bonis operibus ad ſalutis conſecutionem ſub notione* cauſæ ſine qua non *perperam requiſitis, citra ullius acerbitatis veſtigium, nonnulla monuerat, modeſte excuſat hoc officium concludens:* Atque hæc pro temporis ratione & ſtatu meæ valetudinis breviter, & quidem

quidem manu M. Langii exarare volui. Non quod putem ea vos latere, sed ut fraterne commoneam, ad omnem diligentiam nihil vobis esse relinquendum in Apologia vestra, quam ut cum Scriptura & matre Ecclesia loquamini: adeoque potius allubescat vobis pollicitatio omnimodæ abstinentiæ à talibus phrasibus, quæ erroris occasio aliqua esse, vel eximios vestros labores in despectum aliorum adducere possint. Si enim recte vos novi, non ita sufflati vobis estis, ut abnuatis vos corrigere, & sanam mentem commodis verbis exprimere. Quod si intellexero meam per epistolam hanc communicationem vobis non ingratam fore, *etiam de aliis capitibus doctrinæ Christianæ* poterit alia occasione disputatio quædam per literas institui. Nunc tantum de maxime fundamentali articulo hæc scribere placuit. In quo explicando, ut vos reliquis Ecclesiis Evangelicis ex Scriptura sacra conformetis, & omnem sinistre vestra interpretandi ansam in Apologia vestra præcidatis, vos per Deum & Ecclesiæ salutem, ac vestrammet ipsorum honorificam existimationem, meo loco pro amicitiæ jure oratos cupio. Bene valeat Excell. Vestra & ingenuæ meæ τῇ παῤῥησίᾳ quæso ignoscat. Testor enim in conspectu Dei & sanctorum Angelorum, me nihil hujus ex animo carpendi alios, vel arrogantia quadam attentare, sed potius paci Ecclesiæ & sinceræ conjunctioni Doctorum sub vexillo Christi militantium, consultum velle. *Ad has literas respondit G. Calixtus d. XXVII. Septembr. A. 1641.* Annus nisi fallor propemodum exactus nunc est, ex quo postremas tuas literas accepi: quæ sane tales fuerunt, ut ad eas respondere non libuerit. Dolebam tunc, quod corpore ægrum te esse intelligerem, multo magis autem, *quod animum à morbo turbatum & infectum animadverterem.* Sic enim interpretatus sum, atque etiam hodie interpretor, *in mitiorem partem*, ut soleo. Persuasum enim habeo, aliter fieri non potuisse, ut vel improbo Sycophantæ & nequissimo calumniarum Architecto, ne succenseres quidem, vel in me tanto cum supercilio & acerbitate invehereris, vel homini renato & fideli ut finem fidei suæ, nempe animæ salutem reportet, observationem mandatorum Dei necessariam esse negares (*conferat quæso lector utramque epistolam, & judicet, utra plus supercilii & acerbitatis præ se ferat.*). Contigit paulo post, ut Historia Josephi olim à me enarrata, demum ederetur. Eam cum relegerem, & in locum, quo abstinentia Josephi memoratur, inciderem, commodum existimavi, ad quem *meam & universam Christianæ Ecclesiæ sententiam*, si non prolixe, attamen perspicue

expo-

exponerem &c. *Confundit postea qualemcunque abstinentiam ab immanibus flagitiis, cum proposito & actu abstinentiæ à Spiritu S. inspirato, aliisque actibus pietatis, & hæc promiscue omnia contendit esse necessaria* ad retinendum *statum gratiæ, & supremum finem* obtinendum. *Ad rationes autem à D. Höpfnero incontrarium allatas, mutior pisce silet.*

8. *Porro cum autoritate & Decreto Serenissimi Electoris reliqui etiam Theologi Saxonici, VVellerus & Scharffius de Mysterio Trinitatis, Hülsemannus etiam de necessitate bonorum operum ad præscriptum Formulæ Concordiæ & Corporis Julii Helmstadienses ut loquerentur admonuissent; æque hi indignis modis illos ac olim Giessenses acceperunt, Formulam Concordiæ elevarunt, VVellerum quod olim pauper, Menzerum quod Ramista, Scharffium quod latini sermonis formam neglexisse videretur, rudes in Theologia: se vero doctos jactarunt.*

Elector Saxon. ad Theologos suos A. 1646. d. 17. Aug. Wir sind glaubwürdig berichtet/welcher Gestalt in der benachbahrten Universität Helmstädt ein und andere und zwar neulicher Zeit eine gefährliche Disputation von Nothwendigkeit der Wercke zur Seeligkeit sey ausgesprenget worden/ welche ihr Zweiffels ohn bereit haben werdet. Weil uns aber unwissend/ ob ihr jemals selbige Facultatem Theologicam ermahnet/ der Gemeine GOttes und der studierenden Jugend aber mit solchen Neuerungen und weitaussehenden Disputationen, daraus nicht allein vor diesen/ ehe durch einhellige Stimm der Evangelischen Kirchen solcher Irrthum verworffen worden/ der gantzen Kirchen/ sondern auch anitzo nichts als groß Ergerniß/ und zwar bey diesen ohne das elenden Zeiten erwachsen kan; Als ist unser gnädigstes Begehren/ auf solchen Fall sie noch privatim in eurem Namen zu ermahnen/ und uns die Abschrifft eurer Vermahnung an sie/ wie auch ihre Antwort/ nebest eurem Christlichen Bedencken über solche Disputationes, so wol mit einer und der andern Universität ihr hierinnen was communiciret/ einsenden

quam derogatum volumus, de quo expresse protestamur. Auctoritas autem illa temporalis omnis cedit & submittit se divinæ, & præsertim in iis, quæ ad fidem Christianam pertinent. Unde, si quid ex verbo divino constat & ecclesiæ veteris doctrina, non potest contra id ulla auctoritas ipsorum Imperatorum, Regum & Principum, allegari: nec enim fides nostra in illam, sed divinam & primam veritatem resolvitur. Hæc etiam demum est vera, cumprimis norma, ad quam controversiæ omnes doctrinæ examinentur. Si quid autem illi statuunt, utut valde laudabile sit, semper cum hac exceptione recipitur, quatenus verbo divino non adversatur, ut notum est. Jam autem sententia nostra tot disertis S. Scripturæ dictis, tanto consensu antiquæ Ecclesiæ, adstipulantibus etiam recentioribus Dd. & quidem ipsi F. C. addictis, consentanea est, ut comprobavimus. E. vera est, & illa de Electorum & Principum autoritate frustra allegantur: nec enim illa huic rei firmandæ facit, nisi quatenus verbo divino & veteri doctrinæ concordat. *Eadem sane subscribendi ratio atque captiosa illa Hieronymi Zanchii, de qua gloriatur ipse in Epistola ad Landgravium Hassiæ die XV. Oct. A. MDLXV. data, quæ extat Tom. I. Miscellaneorum pag. 35.* Bona Conscientia accessi atque subscripsi, neque id simpliciter, sed QUATENUS eam formam piam esse judicabam. Idque feci imprimis propter Adversarios: nimirum ne simplex subscriptio posset aliquando mihi apud illos esse fraudi, & vi meæ nudæ subscriptionis cogerent illi me aliquando ad suas Interpretationes pro ipsa AUGUSTANA CONFESSIONE & ARTICULIS CONCORDIÆ recipiendas. Ut igitur in hac re mihi caverem, in hæc verba subscripsi: HANC DOCTRINÆ FORMULAM UT PIAM AGNOSCO, ITA ETIAM RECIPIO. Quis in hac mea subscriptione non videat expressam conditionem? nempe EATENUS me illam doctrinæ formam recepisse, QUATENUS etiam piam esse illam, non mei adversarii, SED EGO IPSE AGNOVI atque agnosco. *Et paulo post:* De industria non simpliciter sed CONDITIONALITER subscripsi, in eam, quam supra retuli, formam. Atque hæc subscriptio facta fuit, ut antea dictum est, die XIIX. Martii Anni MDLXIII. *Conf. Apol. Remonstr. præf. fol. 5. in Thesib. Armin. num. 11.*

12. *Pontificii, Lutherani & Calviniani habendi sunt pro civibus regni cœlestis, Christi membris & cohæredibus; quoniam apud illos fundamenta fidei & salutis integra supersunt.*

Calixtus in der Widerl. *Welleri in Append. F.* §. 4. Qui extra corpus illud est, sive ejus corporis sub capite Christo membrum non est, non potest salvari. Qui vero ejusdem corporis sub capite Christo membra sunt, inter se sunt fratres & sorores. Quod igitur attinet Pontificios & Reformatos, aut negari oportet, quemquam eorum esse membrum Christi, & affirmari, omnes, quotquot sunt aut fuerunt, etiamsi contra conscientiam suam nihil adseruerint aut egerint, laborantes ignorantia quam superare nequeant, nihilominus extra spem salutis positos & æternæ morti addictos esse; aut, si nobiscum æternæ vitæ participes esse possunt vel erunt, tamquam ejusdem Patris (cui videlicet utrimque dicimus, Pater noster, qui es in cœlis) filios, tanquam concorpores & cohæredes, tanquam fratres & sorores haberi & diligi oportet. *Fr. Ulr. Calixtus in Demonstrat. Liquid. art. proœm. priori, punct. 2. pag. 9.* Si totæ illæ Ecclesiæ quatenus ex publica doctrina sunt notæ, damnari non debent, si homines, qui in illis Ecclesiis è quadam animi simplicitate errant, damnari non merentur, fundamenta salutis oportet apud eas Ecclesias esse integra; siquidem nemo potest ab æterna damnatione absolvi, nisi fundamentum salutis integre retineat. *Vid. Dreieri* Erörterung, *supra in th. 10. p. 645. fin.*

II.
DE DEO ET ATTRIBUTIS DIVINIS.

13. *Theologia non probat, quod sit Deus, idemque unus, infinite perfectus, bonus, sapiens, potens: sed hæc ut naturaliter nota jam præsupponit.*

Calixt. in Compend. Theol. edit. Helmst. A. 61. in 4to. pag. 44. art. de Deo;

Do: Quoniam vero Theologia ſuprema eſt omnium diſciplinarum, propterea præſupponit ea reliquas diſciplinas easque cognitas eſſe vult ab eo, qui ſe Theologum profiteri cupit. De Deo itaque quoniam lumine rationis è rebus factis (Rom. 1. v. 19.) colligit & concludit Philoſophia, quod ſit, quod unus ſit, infinite perfectus, bonus, ſapiens, potens, ſibi ſufficiens &c. hujusmodi miſſa facit Teologus, ſive ut rectius loquar, præſupponit tanquam in inferioribus diſciplinis tractata & demonſtrata, & tantum ex propriis ſibique peculiaribus principiis, nimirum divinis literis ea perſequitur, quæ alioquin ingenio humano incognita forent & impervia. *Et Hornejus part. 1. Diſp. Theolog. Diſp. 3. ſect. 1. §. 2. pag. 233.* Principio quidem quod ſit Deus, non probatur, ſed tanquam naturaliter notum ſupponitur. Non probatur id hic, inquam, ſed ſupponitur: ſicut enim nulla cæterarum diſciplinarum omnium ob ectum ſuum probat, ſed aſtrorum ſcientia aſtra, numerorum, numeros eſſe ſupponit: ita & doctrina de Deo Deum eſſe non docet, ſed ſumit: nec enim theologia eſſe poteſt, niſi Deum aliquem eſſe detur, de quo agat. *Et p. 234.* Non eſſe autem per ſe notum aut ex terminis ipſis intelligi, quod Deus ſit, facile patet: etſi enim abſolute loquendo, & cum termini propoſitionis illius paulo profundius penetrantur, unus alterum neceſſario includit, & tam de Dei eſſentia eſt, quod ſit & ſemper exiſtat, quam de eſſentia hominis eſt, quod ſit animal rationale: reſpectu tamen noſtri, & cum iidem conſiderantur, ut communiter à nobis concipi ſolent, aliter res ſe habet: unde & propoſitio illa: DEUS eſt, magis per ſe nota eſt abſolute, quam per ſe nota nobis. Idque diſerte etiam Paulus docet: ita enim notitiam Dei gentibus quoque manifeſtatam eſſe ait, non ut eam cordibus illorum inſcriptam eſſe dicat, ſicut de Opere legis cap. 2 Rom. loquitur; (talia enim per ſe nota ſunt) ſed ex divinis operibus mentis acie inveſtigari & erui aſſerat. *Et paucis interjectis:* Fit autem illud partim exactis & accuratis demonſtrationibus, quales ex prima præſertim Philoſophia petuntur, & à doctis tantum capi poſſunt, partim aliis & magis obviis argumentis, quorum ope etiam indocti id aſſequuntur. *Denique:* Quod ergo Deus aliquis ſit, alibi probatur, & hic ut notum ſupponitur. Nec id tantum, ſed hoc inſuper, quid per Deum intelligamus: Ens nempe ſeu eſſentiam ſummam, totius hujus univerſi autorem & cuſtodem: hoc enim vel ſimile quid voce illa, ſi recte capiatur, deſignari oportet.

14. *Neque enim hæc dogmata proprie loquendo sunt articuli fidei.*

Hornejus Disp. cit. § *7. p. 239.* Respondetur cum Thoma *p. 1. q. 11. art. 2. ad 1.* Quæ de Deo naturaliter demonstrantur, ita ad fidem pertinere, non ut proprie articuli fidei sint, sed ut articulorum illorum quædam procœmia (ipse præambula vocat:) sicut enim gratia omnis præsupponit naturam, sic & fides seu cognitio gratiæ notitiam illam naturalem. Nec dubitari potest, ut fides proprie eorum tantum est, quæ creduntur & non sciuntur, ita etiam articulos fidei proprie esse, qui sic in verbo revelantur, ut aliunde & ex natura non innotescant. *Subjicit vero dici hæc posse articulos fidei* non ut naturaliter nota sunt: sed prout in verbo proposita sunt, *sensu nimirum, ut modo dixerat,* minus proprio. Dreier in der Erörterung / *pag. 719.* So muß man auch allezeit genau unterscheiden / was die Natur vermag zu erkennen / zu wollen und zu verrichten aus ihren Kräfften / und was sie vermag allein aus der Offenbahrung und Würckung des Heiligen Geistes zu erkennen / zu wollen und zu verrichten. Der Glaube ist non apparentium, des das man nicht siehet. *Hebr. 11. v. 1.* Ein anders ist glauben / ein anders sehen / entweder mit seinen Sinnen / oder / mit dem Licht seiner Vernunfft / wir wandeln im Glauben und nicht im Schauen / sagt Paulus *2. Corinth. 5. v. 6. D. Grabe in Colleg. MSS. th. 12.* Deum esse, eundemque esse unum, bonum, æternum, &c. ex natura constat; adeoque eadem materia inter articulos fidei proprie dictos referri nequit.

15. *Nomen Jehovah & DEI Angelis quoque commune est.*

G. Calixt. in Disp. de Myster. Trinit. & Apparit. Filii Dei. §. *37.* Quis enim adeo rudis, qui existimet, eandem esse rationem benedictionis à Deo & ab Angelo profectæ, vel ita Angelum, ut Deum benedicere sive benefacere? Deus sua ipsius benignitate & auctoritate benefacit: Angelus non nisi jussus & missus à DEO. Optat igitur Angelum à DEO jussum & missum pueris adesse. Et si de invocatione mentali verbis adjuncta agatur, orat Deum, ut id officii Angelo velit imponere. Sicut qui alterius famulum aliquo cupit ablegari, non famulum sed herum com-

compellat *E* § 3. Poterit res declarari notissimo exemplo. Quoniam qui in Camera Imperiali jus dicunt, nomine & loco & jussu Imperatoris jus dicunt, ideo non suum sed Imperatoris nomen mandatis & sententiis prædicunt, & in iis ipsum Imperatorem loquentem introducunt; quamvis ille procul positus plerumque quid aut de quibus agatur, plane ignoret. Quanto magis igitur in nomine Dei loqui potuerunt Angeli, qui nihil omnino aliud loquuntur, nisi quod ab ipso DEO eis præsentissime immediate profectum, eorumque menti & ori, ut sic dicam, inditum? Veteres autem illi pii ubi animadverterunt Deum secum per creaturam sensibus obviam loqui & agere, ipsum tamquam præsentem, eo videlicet modo, quo per operationem aliquam vel indicia peculiaris gratiæ se dilectis suis magis quam aliis præsentem exhibere solet; Deum, inquam, invisibilem, creatorem cœli & terræ, non autem creaturam, quæ extrinsecus appareret vel in sensus incurreret, religiose adorat one venerati sunt. Dreier in der Erörterung. *pag.* 116. Es ist gar eine herrliche Erscheinung/die dem Mosi geschahe/Exod. 3. da ihn GOtt aus dem Pusch anredete/und im 19. und 20. Cap. da er das Gesetze gabe auff dem Berg Sinai/und dennoch sagt die Schrifft/daß da Engel erschienen und geredet haben/ Exod. 3. v. 2. Der Engel des HErrn erschien ihm in einer Feuer-Flammen aus dem Pusch Actor. 7. 30. Uber viertzig Jahr erschien ihm in der Wüsten auff dem Berge Sina der Engel des HErrn in einer Feuer-Flammen im Pusch. v. 35. Diesen Mosen/welchen sie verläugneten · sandte GOTT zu einem Obersten und Erlöser durch die Hand des Engels der ihm erschien in dem Pusch. In der andern Erscheinung/da GOtt das Gesetz gabe/ sagte er Exod. 20. v. 2. Ich bin der HERR dein GOTT/der ich dich aus Egypten-Lande aus dem Dienst-Hause geführet habe/ und dennoch wird diese Rede einem Engel zugeschrieben/Hebr. 2. v. 2 Das gesaget wird/daß das Gesetz sey gestellet von den Engeln durch die Hand des Mittlers/ das ist/Mosis. Und so redet auch Stephanus Act. 7. v. 53. Ihr habt das Gesetz empfangen durch der Engel Geschäffte/ nehmlich also/ daß die Engel mit dem Mose geredet haben/wie er sagt v. 34. Dieser ists der in der Gemeine in der Wüsten mit dem Engel war/der mit ihm redet auff dem Berg Sina/und mit den Vätern. So stehet Gen. 18. v. 2. daß dem Abraham drey Männer erschienen seyn / und Cap. 19. v. 1 werden diese Engel genannt / die zweene Engel kamen gen Sodom des Abends; denn ob zwar von

zween hier geredet wird / so wird doch damit der dritte nicht ausgeschlossen. Denn auch Loth eben so wohl in zween einen HErrn erkannt hat / als Abraham in dreyen / oder er in einem / mit dem er redet / wie droben solches Augustinus erkläret. Drum wird gesagt / Hebr. 13 v. 2. Gastfrey zu seyn vergesset nicht / denn durch dasselbe haben etliche ohne ihr Wissen Engel beherberget.

16. Sufficit credere unum esse Deum, qui sit Pater, Filius & Spiritus S. Filium vero incarnatum, etsi absque explicita cognitione esse Filium personam à Patre distinctam.

D. Georg. Calixtus Part. 1. Responsi Moguntinorum vindiciis oppósit. §. 28. Sufficit credere unum esse Deum, qui Pater sit, & Filius & Spiritus Sanctus; Filium incarnatum esse, & hominem factum; à Deo creatum esse mundum; mortuos resuscitaturum iri. Etiamsi non penetremus, quomodo una natura in tribus personis, aut vice versa duæ naturæ in una persona subsistant. *Ibidem* §. 32. Priusquam, ut Persona à Patre distincta prodiret, seque manifestaret & exhiberet: ut unus cum Patre Deus in unitate illa, absque explicita distinctionis personalis cognitione cultus & adoratus fuit; Ex quo autem ut Persona à Patre distincta apparuit, hactenus ei sub ista etiam ratione honorem & cultum deferri oportet.

17. Mysterium Trinitatis etsi Patriarchis & Prophetis ex peculiari revelatione fortasse innotuit: in sacra tamen Scriptura Veteris Testamenti non ita clare fuit propositum, ut illud creditu ad salutem necessarium fuerit: sed distincta ejus cognitio N. Testamento fuit reservata.

Statum quæstionis Calixtus Disp. pecul. A. 95. habita ita format: Num mysterium Trinitatis personarum divinarum in libris V. Testamenti aperte & perspicue fuerit propositum, ut qui illis uterentur, & legerent aut prælegi audirent, id ibi à Deo proponi & revelari potuerint animadvertere & intelligere? atque adeo obligati fuerint ut Trinitatem personarum, sive divinitatem Filii & Sancti Spiritus crederent? Posterius enim

enim sequitur è priore. Nam si mysterium hoc in libris veteris pacti Deus clare revelavit, ad id credendum ejus temporis homines obligati fuerunt: & ad salutem necessaria, quemadmodum hodie est Christianis, ita quoque ipsis tum fuit fides divinitatis Filii & Sancti Spiritus. *Ante vero Diss. de Myst. Trinit. contra Socin. th.5 sic dicerat:* Quanquam enim mysterium, de quo agimus, Patriarchis & Prophetis suo quodam modo ex peculiari Dei revelatione cognitum fuisse inficias ire nolimus: ita tamen in libris, quos instinctu Spiritus Sancti ediderunt, contineri, ut à quovis ibi deprehendi aut olim potuerit, aut nunc seposito N. T. possit, id vero negamus, ibique vestigia potius, quam aperta animumque convincentia dicta reperiri, sive, ut cum S. Augustino loquamur, insinuari potius, quam clare proponi mysterium existimamus. *Th.6.* Veruntamen vestigia sunt, ut diximus, & insinuant saltem mysterium, haudquaquam autem illud ita intellectui nostro sistunt, ut ibi contineri perspicuum sit. Includitur videlicet cognitio hujus mysterii in distincta cognitione redemtionis, quæ ut N. T. reservata fuit, ita istius quoque distinctior cognitio eidem non potuit non reservari. *Et th. 7.* Explicitam fidem Trinitatis antiqui fœderis temporibus ad salutem necessariam non fuisse. Revelatio vid. est mensura cognitionis Dei; Major igitur ejus cognitio necessaria esse non potest, quam per revelationem divinitus est patefacta. *Id. in Theol. Morali Tit. de Legib. p.74.* Exigit autem (*Lex scil. N. Testamenti*) fidem non implicitam, ut vocant vel confusam, qualis in vetere pacto sufficiens erat: sed explicitam & distinctam, nempe jubet credere Jesum Christum Dei Patris omnipotentis creatoris cœli & terræ unigenitum filium &c. *Idem* in der Widerlegung *Welleri §. 10.* Die widerwärtiger Meynung sind / halten dafür / daß den Gläubigen Altes Testaments eben so wol als uns anitzo bekant / und zu ihrer Seligkeit nöthig gewesen sey zu gläuben / daß der einige / ewige / allmächtige GOtt sey Vater / Sohn und Heil. Geist / und auch dieses Geheimniß in Mose und Propheten alten Testaments dergestalt proponiret und geoffenbahret. Dreier in der Erörterung *pag. 50. fin. & seq.* Man gestehet gern / daß alle und jede im Alten Testament verpflichtet gewesen zu gläuben an GOtt / der sie erschaffen / der sie durch den Meßiam auch erlösen würde / und durch seinen Heiligen Geist heiligte / welches gewiß eine Erkäntniß der Heil. Dreyfaltigkeit war / wiewol nicht distincta, clara und explicita, daß diese drey Personen in einem Göttlichen

Wesen

Wesen wären / und wie sie zu unterscheiden; Davon doch eine klärere Erkäntniß gehabt haben die Patriarchen / Propheten und das Sanhedrim oder der grosse Rath zu Jerusalem / die siebenzig Eltesten / welche die Geheimniß wol bewahren müssen / die der Meßias offenbahren und klar an den Tag bringen solte / welche sie auch dem gemeinen Mann gern verhohlen und nicht klärlich fürgetragen / wie das die Schrifften der Juden / so wol alte als neue bezeugen. *pag. 53* So ist auch bekand / welche grosse Unwissenheit sich bey den lieben Jüngern Christi gefunden hat biß auff die Außgiessung des H. Geistes / da sie GOtt von neuen durch den Heil. Geist unterrichtet / welches fast unmüglich scheinet / daß es dahin hätte kommen können unter den Jüden / wenn im Alten Testament die Heilige Dreyfaltigkeit und die Gottheit des Meßiä klar und distincte zu glauben allen und jeden fürgehalten wäre. *Et vicissim in fine:* Viel heilige hocherleuchtete Propheten und Männer haben gebetet und GOtt um Hülffe angeruffen / darinn David sonderlich ein Meister gewesen / aber daß er solte den Vater um des Sohnes willen gebeten haben / wie wir im Neuen Testament bitten / finden wir nicht. *Denique pag. 54.* Doch hat David diese Geheimniß erkant / und davon geredet / aber wie es die Zeit des Alten Testaments zuließ / daß bey den Vätern die Cognitio horum Mysteriorum oder Erkäntniß dieser Geheimniß in Vergleichung der Wissenschafft / die wir im Neuen Testament haben / nur implicita gewesen / wie auch wiederum die Wissenschafft / die die gemeinen Leute gehabt haben in Vergleichung derer welche die Propheten und Schrifftgelehrten oder Beysitzer des grossen Raths zu Jerusalem gehabt / nur implicita gewesen.

18. Non ipse Filius Dei Patribus in V. Testamento apparuit, sed ejus nomine Angelus creatus.

D. Georg. Calixt. in Disputat. de sanctissimo Trinitatis mysterio §. 24. Observandum, veteres, si non omnes, attamen plerosque, illa V. T. loca, in quibus Deus Israël, qui verus citra omnem controversiam Deus est, apparuisse legitur, Christo Servatori nostro accommodare. Ex quo unanimem veterem de divinitate Christi consensum liquido constare arbitror; quanquam ipsa illa inde ita firmiter fortassis non adstruatur, cum apparitiones istas novi Instrumenti Codex, optimus sine dubio veteris interpres, angelis tribuat. *Idem in Historia Josephi ad cap. 41. v. 16. pag. 56. & seq.* Quando agitur de prosperitate videlicet uni & alteri homini

homini conferenda, nescio an tutum sit Filium Dei angelum, id est, nuncium, legatum, sive quod idem est, ministrum dicere, & annon hoc ipsum sit divinitati ejus detrahere.

19. *Judæi & Muhammedani, quia verum Deum colunt, etsi trinum in personis non agnoscunt, non sunt Idololatræ.*

Georg. Calixt. in der Widerl. *D.* Wellers §. *45. G.1.b.* Daraus denn nothwendig folget / daß sie nicht mehr GOttes Volck seyn / nicht mehr ihme gefallen / und nach seinen Willen sich anstellen und schicken. Nun treiben sie aber keine Abgötterey / wie ihre Vorfahren vor der Babylonischen Gefängniß gethan / sondern sind deroselben zum höchsten abgeneigt und spinnenfeind / sie gehen täglichs Morgen und Abends in ihre Schule oder Synagogen / sie fasten und beten viel. Ihre Vorfahren / wie bey ihnen die greuliche Sünde der Abgötterey fast gemein worden / sind gestrafft mit siebentzig jähriger Babylonischer Gefängniß: Die ietzige Juden aber / die mit keiner Abgötterey beflecket seyn / bleiben im Elend fast in die sechzehen hundert Jahr / und haben keinen Anblick oder Hoffnung einiger Errettung. Müssen derowegen auch mehr gesündiget haben / und annoch ietzo grössere Sünde begehen / als ihre abgöttische Vorfahren gethan. *Fried. Ulr. Calixtus in Exercitatione de Deo, divinisque attributis, habita Helmstadii, die IX. Apr. cIↃ IↃc. LII.* §. *57.* Judæi certe, quod nemo ignorare potest, ex quo è Babylone reduces facti sunt, ab omni idolorum cultu plane abhorruerunt. Muhametani etiam unum & solum Deum divino & religioso cultu adorandum & prosequendum esse, acriter urgent & profitentur. Hinc itaque scripsit alicubi venerandus Parens JUDÆI, & MUHAMETANI AB IDOLOLATRIA ALIENI SUNT. *Conf. Melch. Zeidler. in Colleg. Controv. Sect. 2. Th. 8.*

III.
DE STATU HOMINIS INSTITUTO ET DESTITUTO.

20. *Natura hominis ante lapsum condita fuit cum rebellione, ita ut jam tum appetitus sensitivus decertarit cum judicio rationis.*

Georg. Calixt. in Epit. Theol. Tit. de Imagine Dei pag. 60. Proponemus particulatim, quæ naturalia, quæ item supernaturalia in homine sunt, sive quid & quantum in statu merorum naturalium sibi relictorum potuisset, quid in statu supernaturalium sive innocentiæ potuerit. *Inter cætera subdit:* SEXTO appetitus sensitivus naturaliter fertur in bonum jucundum, judiciumque mentis, quæ novit honesta jucundis præferenda esse, sæpe cum eo decertat. SEPTIMO Naturale est hominem varie contingentibus casibus, doloribus, morbis & morti obnoxium esse. *Dein concludit pag. 61.* Hic fuisset status merorum naturalium, si homo in eis relictus fuisset. *Item in Disp. de Peccato Orig. th. 17.* Summa huc redit, intellectum Adami lapsi ignarum fuisse Dei, quatenus eum cognosci ad salutem est necessarium, inprimis divini de salute conferenda beneplaciti, absque quo cognito non datur salutem adipisci: voluntatem fuisse à Deo aversam, & ad bona terrena & caduca inordinarie conversam: appetitum autem rebellem jussa rationis nec expectasse nec auscultasse. Tales fuerunt Adami peccatoris mens, voluntas & appetitus, quoad naturam sibi relictam; nec aliter se habere potuerunt, nisi vitia ista naturæ inhærentia & naturaliter inseperabilia, supernaturalibus gratiæ donis excuterentur. *D.* Dreier in der Erörterung/*pag. 152. & seq.* Der unterste Theil der Seelen/darinn der Mensch mit den unvernünfftigen Thieren überein kömt/ begehet nichts anders/ als was den Sinnen lieblich und angenehm ist/ das vermag sein Wesen/ und kan nicht geändert werden/ oder es müste nicht mehr der appetitus sensitivus, die sinnliche Begierde seyn. Der oberste Theil der Seelen aber begehrt das/ was der Vernunfft und der Erbarkeit gemäß ist/ das streitet mit einander nach der natürlichen inclination und propension dieser Kräffte der Seelen; daß derwegen der unterste Theil dem obersten schlechter Dings gehorsam sey/ dazu muß er in seiner natürlichen inclination gehindert und zurück gezogen werden/ das kont er vor sich selbst nicht thun/ es konte es auch nicht thun die Vernunfft/ daß sich der Appetit gar nicht widerlich bezeigte / wenn das Gemüth die Himmlischen Güter begehret; denn das kan vor sich selbst aus seinen natürlichen Kräfften dieselbe nicht einmahl erkennen/ geschweige denn/ daß es vor sich selbst den appetitum sensitivum aus seinem natürlichen Vermögen von seinem eigenen objecto zurück halten sollen.

21. Hanc

21. *Hanc vero correxit ſuperaddita mox imago Dei, quæ freni inſtar hos motus rebelles compescuit.*

Georg. Calixt. in Epit. Theol. pag. ſeq. Hæc ſupernaturalia partim perficiunt naturalia, & iis aliquid addunt, partim corrigunt, eorumque curſum ſuſpendunt & impediunt, ſc. ubi cum beatitudine perfecta pugnant. *Et Diſp. de peccato Origin. th. 15.* In quibus enim natura ſibi relicta adverſabatur, vel impedimentum objiciebat ſive terrenæ proſperitati, ſive obedientiæ ad æternam beatitudinem deducturæ; in iis per ſupernaturales dotes fuit emendata, ejusque alias prodituræ operationes inhibitæ. Proſperitatem terrenam valde turbat & imminuit, quod natura ſibi relicta varias imbecillitates, morbos varios & tandem cum debilitate ſenii mortem inducit. Legis autem obſervationem (ad quam alias præcipue facit notitia in mente & voluntatis recta ac promta alacritas) impedit, quod appetitus ſenſitivus naturaliter in bonum delectabile ita fertur, ut impetu ſuo judicium rationis ſæpe præveniat & antevertat, ſæpe etiam ei ſe ſe opponat & præfracte adverſetur. Dotes igitur, quæ naturæ opes & vires excederent, aliæ corrigebant, quæ corpori, niſi prohiberentur, incommodarent: aliæ vero removebant obſtacula & impedimenta rectarum actionum. *Et §. 62. med.* Semel Adamo, tamquam principio & parenti totius humani generis collatum, in poſteris eſſe debuit; & quia non eſt, naturam eorum relinquit, qualem diximus, nempe intellectum impotentem cognoſcere, voluntatem inordinate converſam & averſam, & appetitum rebellem. Sicut equus, quamdiu adeſt frænum & ſeſſor, facit officium rectaque via graditur; quamprimum abſceſſerint, non per ferociam aliunde aut de novo ſuperadditam, ſed per ſuam ipſius indolem exorbitat, & ſuo impetu fertur; ſic etiam potentiæ humanæ deſtitutæ juſtitia originali. *Nec non Tract. de pact. theſi 6.* Lex in membris rebellans legi mentis, ſive impetus ille & contumacia vel repugnantia facultatum concupiſcentis & iraſcentis in ſtatu innocentiæ per donum juſtitiæ Originalis, quam vocant, naturæ ſuperadditum compreſſa & veluti abolita erat. Dreier in der Erörterung *p. 153.* Darum war auch hierzu vonnöthen eine beſondere übernatürliche Gabe und Krafft des Heiligen Geiſtes / der vollkömmlich die Kräffte der Seelen temperirt / daß keine dem Menſchen in geiſtlichen Sachen hinderlich wäre. Zwar hat GOtt natürlicher Weiſe die Kräffte der Seelen ſo temperirt und zuſammen ge-

füget / daß sie nicht vollkommner und besser seyn könte. Aber weil dennoch der Mensch von solchen unterschiedenen Stücken der Seelen zusammen gesetzet war / konte er ihn nicht anders machen / denn sein Wesen und Natur es zuließ / wie er ihn auch unsterblich erschaffen hat / so viel es seine Natur und Wesen zuließ. *Et vicissim pag. seq.* Daß aber nicht gar der Mensch ohne alle auch remota potentia ad rebellionem appetitus oder ad mortem gewesen / da konte GOTT nicht vor / die materia, daraus der Mensch erschaffen ward / daß er theils den unsichtbahren / theils den sichtbahren Creaturen gleich seyn solte / liessen es nicht zu / denn solte GOtt einen Menschen erschaffen / konte er keinen Engel machen. Was aber die Natur nicht vermochte / hat GOtt mit andern Gaben in der Schöpffung erstattet / daß da im geringsten zur leiblichen und geistlichen Glückseligkeit kein Mangel zu spühren war.

22. *Justitia ergo hæc originalis fuit donum supernaturale.*

Georg. Calixt. in Epit. pag. præced. Porro imago illa Dei, quam homo in lapsu amisisse dicitur, non fuit naturalis, fluens aut dependens ex naturalibus principiis (alioquin naturalem dicere potes, si nihil aliud intelligas, qvum cœpisse cum ipsa natura, sive ab ipso ortu & origine naturæ fuisse) sed supernaturalis peculiari Dei dono concessa justitia, innocentia & integritas. Nempe in intellectu supernaturalis cognitio essentiæ & voluntatis divinæ; In voluntate summa ad bonum cognitum inclinatio, sive summa erga DEUM subjectio; In appetitu supernaturalis & summa cum ratione concordia, ut sicut ratio Deo, sic appetitus rationi subjectus fuerit. *Et pag. 61.* Primo supernaturali lumine cognovit Adam de Deo, quæ naturali non potuisset & forte plura, quam nunc nos ex revelatione cognoscimus. Secundo ultimum & supernaturalem finem suum perfecte habuit cognitum, scil. summam animæ juxta ac corporis beatitudinem. Tertio scivit, Deum omnimoda omnium virium subjectione colendum esse, peculiariter abstinendum à fructu arboris scientiæ boni & mali. Quarto res naturales & philosophicas longe perfectius & certius cognitas habuit, quam nunc cognoscuntur. Quinto quoniam intellectus omnia bona sufficienter cognoscebat, poteratq; non errare in dijudicatione, propterea arbitrium volun-

voluntatis erat liberrimum, nullo modo præpeditum. Sexto neque ipse appetitus sensitivus mentis judicium præveniebat, aut cum eo pugnabat. Septimo peculiaris DEI providentia hominem ab infortuniis, doloribus, morbis & morte tutum præstitisset, in quem quoque finem condita fuit arbor vitæ, sive vivifica. Octavo, homo brutis, & quidem omnibus, solo quasi nutu imperasset sine molestia, periculo & labore. *Hornej. Dissert. Theol. V. §. 61. pag 641.* Homo autem primus secundum DEUM & ad ejus imaginem conditus fuit. Ergo non ita tantum factus, ut intellectu & ratione polleret, sed ut agnitione DEI & justitia ac sanctitate vera coruscaret. Nec naturalis tamen illa cognitio fuit, ita enim amitti salva hominis essentia non potuisset. Fuit ergo supernaturalis, sicut. & illa est quæ per gratiam instauratur. Quod etiam sic probatur: Ut hodie renovamur, ita olim eramus conditi; at renovamur per dona gratiæ; Ergo cum iis eramus conditi. *Item:* Qualis imago DEI nunc instauratur, talis est deperdita; Sed supernaturalis instauratur; Ergo talis est deperdita. Dreier in der Erörterung/ *pag. 157.* Ist aber ietzo die Erkäntniß Göttlicher Geheimniß / Gerechtigkeit und Heiligkeit / die GOtt gefällig ist / keine natürliche Gabe/ wie es wahrhafftig nicht ist/denn es wird das Ebenbild GOttes/Gerechtigkeit und Heiligkeit und die Erkäntniß durch die übernatürliche Krafft und Würckung des Heiligen Geistes in uns erstattet und ersetzet / *Ephes. 4. v 23. 24. Col. 3. 10.* So können diese Gaben auch vor dem Sünden-Fall im Stande der Unschuld nicht natürliche Gaben gewesen seyn / dergestalt/daß die Natur sie gewürcket hätte / und sie aus der Natur hergeflossen wären / sondern es sind geistliche Gaben dazumahl gewesen / aus übernatürlicher Würckung des Heiligen Geistes im Menschen erwecket/ wie es noch ietzo seyn.

23. *Neque naturalium virium illa rebellio fuisset peccatum, si Deus hominem in statu purorum naturalium voluisset relinquere.*

Georg. Calixt. Disp. de Peccato Origin. §. 22. Observandum autem, si Deo placuisset conditum hominem in statu mere naturali relinquere, & ad sublimiorem non evehere, sive ad consequendum supernaturalem finem mediis ejusdem generis non instruere: tam nasci cum concupiscentia ad motus & impetus rationi adversos proclivi nullum fuisset

 pecca-

peccatum: nulla videlicet posita tali primæ creationis vel divinæ ordinationis leg*, per quam teneretur homo ab ejusmodi concupiscentia esse immunis, vel dote sive justitia originali eam compescente instructus. Et ne quidem inordinata potuisset dici, si nullus fuisset ordo, juxta quem aliter, quam nativa pronitate, ferre debuisset. Idem dicendum de ignorantia mentis, & voluntatis inordinata ad bonum caducum conversione, quatenus in primo homine ad supernaturalem finem destinato per concreata supernaturalia dona removebantur sive corrigebantur. Horum enim carentia vitio dari vel peccatum haberi non potuisset, si homo in statu merorum naturalium relictus consequendo sublimiori fini destinatus & aptatus non fuisset. *Et §. 62.* Si autem placuisset Deo hominem conditum in statu mere naturali relinquere & ad sublimiorem non evehere, hæc quidem ita se habuissent, sed peccati vel pravitatis loco & nomine non venissent, quia alterius habitudinis nulla fuisset necessitas vel obligatio: nec adfuisset tunc dos vel res aliqua positiva, justitia videlicet originalis, per quam in sanctiorem ordinem redigerentur. *Idem in Tractat. de Pactis, quæ Deus cum homine iniit, th. 16.* Dices forte: quæ mere naturalia sunt, referuntur in Deum naturæ auctorem: Si igitur inordinati concupiscentiæ motus, quibus non possumus non lacessi, à natura sunt, & peccata sunt; hæc peccata in Deum tanquam causam, redundabunt. Respondeo autem, si Deo placuisset, hominem in statu merorum naturalium relinquere, tum legem de NON CONCUPISCENDO non tulisset. Quod vero nulla lex prohibet, id quoque peccatum non est.

24. *Per naturam quoque homo in statu integritatis morbis & morti fuisset obnoxius: immortalis solum beneficio doni illius supernaturalis perstitisset.*

Georg. Calixt. in Epit. Theol. verb. supra jam adductis: Septimo, naturale est hominem varie contingentibus casibus, doloribus, morbis & morti obnoxium esse. *Et vicissim:* Septimo, peculiaris Dei providentia hominem ab infortuniis, doloribus, morbis & morte tutum præstitisset, in quem quoque finem condita fuit arbor vitæ seu vivifica. *Tract. de pactu th. 15.* Si vero humana natura sibi relicta & ultra perfectionem naturalem, quatenus talem, exaltata non fuisset, mortem evitare non potuisset.

tuiſſet. Quod itaque potuit, donis naturæ ſuperadditis ſive ſupernaturalibus acceptum ferendum. *Diſp. de Peccato Orig. th. 10.* Naturale eſt homini, ut moriatur. Si primo nihil, quod naturam ſuperaret, collatum erat, moriendum ei fuit, etiamſi non peccaret. *Hornej. in Diſp. Theol. 5. §. 60 pag. 639.* Verum enim vero Deus Opt. Max. cum primo eum condidit, non naturalem tantum illam perfectionem, ſed & ſupernaturalem ipſi conceſſit: nam primo corpori, quod natura ſua mortale eſt, immortalitatem dedit. Patet id ex *Gen. 2. 17.* ubi ad Adamum dicit: De fructu arboris ſcientiæ boni & mali, de iſto non comedas: nam quo die comederis, utique moriturus es. Niſi ergo Præceptum illud transgreſſus eſſet, moriturus non fuiſſet. Immortalis itaque erat. At non per naturam: ergo per donum ſupernaturale. Dreier in der Erörterung/ *pag. 174.* Ebener maſſen lehren auch die alten Kirch-Väter von der Unſterblichkeit des erſten Menſchen / daß die nicht aus ſeinem Weſen und aus der Natur geſloſſen / ſondern als eine übernatürliche Gabe ihm gegeben: denn wiewohl er das beſte Temperament des Leibes hatte / und ihm GOtt den Baum des Lebens gegeben / dardurch die Kräffte wiederum erſetzet würden / daß er nicht ſchwach worden wäre; Dennoch aber war die potentia remota da zu ſterben / welche aus der Natur floß / daß es ſo ſeiner Natur und Weſen nicht zuwider war ſterben / als den Engeln / die per naturam unſterblich ſeyn / dieweil ſie die remotam potentiam zu ſterben nicht haben. Es muſte der Menſch gewiß Othem holen / daß er lebte / er muſte eſſen und trincken / er muſte von dem Baum des Lebens genieſſen / alſo gar / daß / wenn ſolches nicht geſchehen wäre / er freylich hätte ſterben müſſen.

25. *Peccatum Originis eſt abſentia donorum ſupernaturalium in homine, & formaliter non niſi carentia juſtitiæ originalis; quamobrem imputationis & propagationis ejus non cauſa Phyſica ſed moralis quærenda eſt.*

G. Calixt. in Epit. Theol. Tit. de ſtatu hom. poſt lapſum p. 67. Breviter itaque totam rem expedire poſſumus dicendo, hominem in ſtatu poſt lapſum habere ea, quæ proprio & ſtricto ſenſu naturalia appellavimus, & ſupra enumeravimus; Supernaturalia vero omnia amiſiſſe: Et quidem

dem abſentiam ſupernaturalium, quæ ſuperioribus potentiis conveniebant, peccatum eſſe, ut paulo poſt oſtendemus: Abſentiam vero ſupernaturalium, quæ inferiores potentias attinebant, pœnam eſſe peccati, nempe: carere inhabitatione Paradiſi, obnoxium eſſe omnis generis à natura & caſu exortis calamitatibus, morbis & morti. *Et pag. 71.* Hæc carentia cum qua naſcimur, eſt peccatum illud, quod originale ſolemus vocare, privative oppoſitum juſtitiæ originali; nempe in intellectu ignorantia rerum, quæ ſine jactura ſalutis ignorari nequeunt, & voluntatis divinæ de modo & mediis conſequendi ſalutem, tenebræ, ſive caligo; in voluntate averſio à Deo & bono; in appetitu rebellio. *Et differt. de Peccato Origin. th. 27.* Quum itaque dona ſupernaturalia, de quibus hic agimus, conſtituant juſtitiam, & quidem univerſalem, quæ proinde omnibus facultatibus, homini, quatenus homo eſt, propriis inſideat. Deo animam & animæ corpus perfecte ſubjiciat, & hominem adſequendo fini ſupernaturali idoneum reddat; ita eorum privatio erit injuſtitia itidem univerſalis, hominem à cœleſti beatitudine excludens, uti etiam pridem fuit expoſitum: & quemadmodum juſtitia conſiderari poteſt vel prout eſt actu primo ſive habitu ad juſtas actiones inclinante & impellente, vel prout actu ſecundo juſte operatur; ita quoque oppoſita injuſtitia. Intellectus videlicet infantis recens nati, quia privatus hoc originalis juſtitiæ dono, impotens eſt cognoſcere Deum, ſicut eum cognoſci ad ſalutem oportet; Voluntas non poteſt diligere Deum, uti diligere debebat; appetitus non poteſt exſpectare juſſa rationis, nec ſine reniſu & obluctatione capeſſere. Hujusmodi impotentia cum qua coincidit pronitas ad dubitandum de iis, de quibus dubitari non debebat, & ad bona caduca & delectabilia inordinate appetenda, eſt peccatum originis quaſi in actu primo. Ubi adeſt ætas & tempus, quo oporteret actu cognoſcere, actu diligere, & actu coërcere inferiores potentias: non cognoſcitur autem, non diligitur, non coërcetur; tunc eſt quaſi actu ſecundo: maxime vero, quum accedunt in intellectu negationes aut dubitationes, & in voluntate ac appetitu illegitimi motus in bona caduca & delectabilia inordinate prorumpentes. *Et viciſſim th. 61.* Dico igitur, quod peccatum Originis quoad formale ſuum nihil aliud ſit, quam privatio originalis juſtitiæ: & hanc definitionem probe intellectam ad expediendas Scholaſticas quæſtiones, quomodo anima traducatur, inquinetur, & non obſtante peccato Ori-

Originis à Deo creetur, facem prælucere & viam munire. *Iterum §. 68.* Deus etiamsi animam creet, peccati tamen, quod animo adhæret, causa non est: sed hoc generantibus parentibus omniumque primo Adamo imputandum est. Dreier in der Erörterung/ *pag. 207.* Es ist gut/ alles was da ist/ was aber böß ist/ das ist nicht/ und also hat die Sünde kein Wesen/ sondern ist ein Mangel oder Beraubung des Wesens/ das da gut ist. Formaliter und für sich selbst ist sie eine privatio, und also nichts/ materialiter aber nach dem Ding/ darinn sie ist ein Mangel/ oder daß sie seines Wesens beraubet/ ist sie quid positivum ein wesentlich Ding/ aber diß ist nicht die Sünde/ sondern ein subjectum der Sünde/ und die Sünde ist nur darinn/ oder hängt demselben an als ein Mangel. *Et pag. 329.* Hierbey ist nun noch weiter zu wissen/ daß die Erb-Sünde ist formaliter nichts anders/ denn eine privatio ein Mangel der Gaben/ die der Mensch empfangen/ und die er nach GOttes Verordnung haben solte/ wie wir in der vorigen Frage gelehret / darum darff man hier nicht suchen eine causam physicam, die die Sünde würcke in der Seelen/ sondern es ist genug causa moralis eine solche Ursach/ der etwas mit Fug und Recht kan zugemessen werden/ ob sie schon keine real Würckung hat. Wenn nun GOTT die Seele giebt in dem Leibe/ der dazu disponiret ist/ giebt er ihr zwar ihr Wesen / aber die übernatürliche Gaben des Geistes giebt er nicht/ als ein gerechter Richter/ der wegen der Sünde des ersten Menschen seinen Geist und Gnaden-Gaben von allen Menschen genommen hat/ die nach der Seelen noch in potentia Dei objectiva, nach dem Leibe noch in potentia physica materiæ waren: Darum sind unsere erste Eltern die causa moralis, welcher diß von Rechts wegen imputiret wird/ daß der Mensch ohne Gaben des Geistes unterm Zorn gebohren wird/ GOtt kan es nicht zugemessen werden/ denn der strafft die Sünde/ als ein gerechter Richter. Und wenn man nun vertheidiget/ daß die Erb-Sünde auch materialiter nicht sey quid positivum über den potentiis der Seelen eingeführet/ ist die Sache klar.

26. *In infantibus ergo Peccatum Originis neque designat qualitatem positivam, neque adeo causa adæquata damnationis est.*

G. Calixt. Disp. de Peccato Origin. §. 28. Existimo liquere, quomodo in peccato sive injustitia originali differant actus primus & secundus.

Ipsa impotentia cognoscendi habet se ad modum actus primi: quæ inde prodit ignorantia, quando jam tempus est cognoscere, & dubitatio, ad modum actus secundi. Impotentia itidem diligendi & coërcendi inferiora, cum qua coincidit habitualis quædam aversio à bono & conversio ad mala, est actus primus: quæ vero inde oritur diffidentia & actualis aversio una cum prava conversione, actus sunt secundi, ambigui inter originale peccatum & actuale, ut suo modo ad utrumque queant referri. Quatenus enim sunt actus à potentiis humanis hujus aut illius hominis prodeuntes, ita sunt peccata actualia: quatenus vero involuntarii sunt, & invitis, quin etiam repugnantibus obrepunt, non sunt actualia, sed originali tanquam radici germina, imputantur. Si vitiosus, inquam actus, quicumque ab homine prodit, actuale est peccatum; etiam illi sunt actualia peccata; *neque enim nihil, ait Augustinus, in homine agitur, quando concupiscentiarum suarum, etiam quibus non consentit, stimulis inquietatur*: Sed non sunt, si proprie actuale non est, quod voluntarium non est, & de quo dici potest, *Non ego id perpetro, sed peccatum quod in me habitat. Et lib. de bono perfecto summo pag 68.* Certe infantibus non baptizatis mitissimam pœnam irrogari existimat (*Augustinus*) libro 5. contra eundem (*Julianum*) cap 8. *Si, quod Servator de Sodomis ait & utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur, quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros?* Nisi fallor, solam privativam pœnam notat. Nam sicut peccarunt, neque tamen noverunt aut voluerunt peccare, atque adeo peccarunt non tam agendo, si proprie loquamur, quam habendo peccatum: ita quoque per privationem & non tam patiendo quam carendo punitum iri consentaneum est. Quæ, inquam, pœna carentia est, aut carentiam sequitur, ut cognitio aliqua istius carentiæ & causæ ejus, infantibus convenit. Cæteri sicut peccarunt, ita quoque ob hoc ipsum angentur animi & sensibus quoque sentient se puniri, & quam voluptatem peccando perceperunt, eam in damnatione vicissim reapse perceptis cruciatibus luent. Dreier in der Erörterung/*p.250.* Und darum pflegen auch die Scholastici die Lust in den Alten zu nennen concupiscentiam, in den Kindern concupiscibilitatem, solche Unvermögenheit / dadurch sie ins künfftige perfectis organis sich würden das Böse gelüsten lassen. Derowegen man in den Kindern keine Qualitatem positivam über die potentias setzen kan/sondern es ist die Erb-Sünde in den Kindern

die

die carentia justitiæ oder donorum Spiritus S. die eine greuliche impotentiam zu allen guten/remotam tamen, mit sich bringet in allen Kräfften der Seelen/daß solch Kind jämmerlich verderbt an Leib und Seele/und der edlen Creatur/die GOtt erschaffen hatte/ nicht mehr ähnlich ist. *Et post med.* Die Augustana Confessio sagt art. 2. daß die Erb-Sünde darinn bestehe/ daß alle Menschen gebohren werden ohne Furcht GOttes/ ohne Vertrauen zu GOTT/ und mit der Concupiscentia oder bösen Lust aber das ist die Meynung nicht/daß ein Kind darum in Sünden gebohren wäre/daß es GOTT so noch nicht actu erkennet/ Ihn fürchtet/ Ihm vertrauet/ wie die Alten/ sondern daß es das Unvermögen schon bey sich hat/GOtt recht zu erkennen ins künfftige/ Ihn zu fürchten/ Ihn zu lieben/ und also mit der concupiscentia in actu primo gebohren ist. *Idem Dreier/pag.342.* Und also sagt man recht/daß die Erb-Sünde unter dem Bunde/den GOtt in Christo mit uns eingegangen/ nicht sey causa adæquata damnationis, für sich selbst allein genug / daß der Mensch verdamt werde/wiewol/wenn der Unglaube und die Verachtung der Gnaden GOttes in Christo dazu kommt / auch die Erb-Sünde denn ihre Würckung hat/und den Menschen mit verdammt: Aber allein kan sie niemand verdammen/ ohn Ansehen des Unglaubens/ denn da heist es: **Wer da gläubt/der wird nicht gerichtet/wer aber nicht gläubet/ der ist schon gerichtet/denn er gläubet nicht an den Nahmen des eingebohrnen Sohns GOttes/** *Joh.3.v.18.* Per se verdamt die Erb-Sünde/aber per accidens wegen des neuen Bundes in Christo mit uns gemacht/daß ohn Ansehen der Erb-Sünde/damit alle Menschen beflecket sind/ wer gläubt/ soll seelig werden/ wer nicht gläubt/ soll verdammt werden/ verdammt sie nicht allein/ sondern der Unglaube und die Verachtung der neuen Bundes-Gnade muß dazu kommen. *Denique Johannes Latermannus in Exercit. de æterna Dei prædest. & ordinata omnes salvandi voluntate A. 1646. Regiomonti habita. §. 23.* Stante autem hac assertione, Deum, non obstante lapsu(quæ verba præ ceteris diligenter attendenda, sunt) omnes salvos velle; sua sponte inde fluit, quod solum Peccatum Originale post lapsum adæquata damnationis caussa esse non possit. Notanter dico ADÆQUATA CAUSA, quod enim SUFFICIENS damnationis causa sit, nemo nisi Pelagianus negaverit, imo sufficiens omnes damnandi causa fuisset, nisi Deo novum gratiæ fœdus sancire placuisset. Cæterum adæquata causa non est, id est, solum pec-

catum, quod ab ortu trahimus, non facit ut homo post lapsum in barathrum æterni exitii præcipitetur, sed accedat semper voluntaria adversus Evangelium contumacia, necesse est. *D. Grabe in Colleg. MSS. th.16.* Peccatum Originale sub fœdere gratiæ non est causa adæquata æternæ damnationis. *Confer. Melch. Zeidleri libr. ἀνέκδοτον.* Quod infantes recens nati nondum peccata habeant actualia.

27. Non incommode Deus potest dici causa peccati per accidens, indirecte scil. & improprie.

Georg. Calixtus in Epit. Theol. pag. 83. Alio modo intelligere possumus, DEUM causam dici peccati non nisi indirecte, improprie, occasionaliter & per accidens. Primo quidem cum permittit peccata perpetrari, quæ per absolutam suam potentiam, ne fierent, prohibere posset &c. Secundo cum homines deserit, & suam gratiam subtrahit; quod tamen non facit, nisi in pœnam præcedentium delictorum & quidem contumacium &c. Tertio cum differt pœnam quod ipse ideo facit, ut hominibus non desit tempus meditandi emendationem. Sed plurimi hac dilatione in suam ipsorum perniciem abutuntur, & in occasionem peccandi convertunt. Rom. 2. v. 4. & 5. cap. 9. v. 22. Quarto, cum quæ improbi improbe agunt & in finem malum, ipse sua bonitate & sapientia dirigit in fines optimos &c. Quinto cum permittit fieri delictum, quod minus sive levius est, & interim occludit viam ad aliud, quod esset majus & gravius, idque fieri non permittit &c. *Conf. Disp. ejusd. de Provid. §. 39. & præcipue 40. Eam vero loquendi formam defendunt, Autor in Append. Dissert. de Myster. Trinit. §. 113. & seq.* In der Antwort auff das Chur-Sächsis. Schreiben *§. 4.* auf *Hülsemanni* Muster *§. 75. præcipue vero in Apol. contra Buscherum. part. 2. à pag. 295. usque ad 313. D.* Christian Dreier/in der Erörterung *p. 34. ad 50. nec non tractatu de sanctitate Dei passim.*

IV.
DE JESU CHRISTO SALVATORE.

28. Divinitas Salvatoris in V. Testamento non fuit creditu necessaria.

Calixt.

Calixt. in der Widerl. *Weller.* und *Hulsem.* §. 87. Der ander ist: D. Calixtus schreibet/ man habe im alten Testament an JEsum Christum/ als wahren GOtt/ nicht eben glauben müssen/ man habe auch daran in gemein nicht gegläubet. Hat man ins gemein geglaubet/ der zukünfftige Meßias würde wahrer GOtt seyn/ so frage ich/ ob solches vermöge Zeugnissen der heiligen Schrifft gegläubet worden oder ohne Zeugnissen? Wenn es ohne Zeugnissen geglaubet/ ist warlich die Schrifft sehr mangelhafft gewesen/ indem ein so hoher Articul hat müssen geglaubet und dennoch mit Zeugnissen/ die gewissen und deutlichen Beweißthum inne hätten/ nicht hat können erwiesen werden. Sind hiezu bündige Zeugnissen der Schrifft nöthig gewesen/ die finden sich ja in Mosis Büchern nicht/ dann das Bara Elohim, Kanithi isch eth Adonai, Pluit Dominus à Domino, wie genugsam erkläret/ wollen es nicht ausrichten. Im Buch Josue/ der Richter/ Könige wird sich auch nicht finden/ damit diß Werck könte gehoben werden. In den Psalmen Davids/ und also vierhundert Jahr nach Mosis Zeiten/ finden sich hieher gehörige Sprüche/ deren doch die meiste nicht viel ausrichten würden/ wann dieselbige nicht im Neuen Testament angezogen und auff Christum wären gedeutet worden. Bey den Propheten finden sich zwar noch mehr/ es gehet aber dennoch schwer zu/ wann daraus ein bündiger Schluß wider die Juden gemachet und behauptet werden soll. Wañ aber GOTT hätte alle Menschen und zu ieden Zeiten dahin verbinden wollen/ nehmlich des Meßiæ Gottheit ausdrücklich zu glauben/ so würde er dieselbe auch allewege mit hellen deutlichen Worten offenbahret haben. Summa/ wir müssen anitzo die Gottheit Christi ausdrücklich gläuben/ oder kommen um unsere Seligkeit. Ob aber die unter dem Alten Testament für etlichen tausend Jahren eben so haben gläuben müssen/ davon ist ohne Noth mit so grausamer Bitterkeit zu zancken: und kan ich für meine Person einem ieden seine Gedancken frey lassen. *Et § præced. 63. & seq.* Die Gläubigen des Alten Testaments sind gleichfals gerecht und selig worden durch einen ebenmäßigen Glauben/ daß GOtt zu seiner bestimmten Zeit einen Meßiam oder Christum senden würde/ durch welchen vermittelst Göttlicher unendlicher Barmhertzigkeit/ Weißheit und Macht die Missethat versühnet/ und die ewige Gerechtigkeit solte wieder gebracht/ oder Vergebung der Sünde und die ewige Seeligkeit erlanget werden. Und dieses ist es/ was St. Petrus saget Actor. XV. v. 11. Wir/ die wir anitzo im Anfang des

Neuen Testaments leben / gläuben durch die Gnade des HErrn JEsu Christi selig zu werden / gleicher Weise wie auch sie / nemlich die Väter und Gläubige Alten Testaments selig geworden sind. Wann aber den Gläubigen des Neuen Testaments nicht solte ein mehrers von Christo kund geworden seyn / als eben insgemein den Gläubigen Alten Testaments / wie wolte St. Paulus geschrieben haben / Gal. III. v. 23 Ehe der Glaube (nemlich wie der a[illegible] den Neuen Testament sich befindet) kam / wurden [illegible] noch unter dem Alten Testament waren / unter dem [illegible] ret und verschlossen auff den Glauben / der da [illegible] werden. Item 1. Corinth. II. v. 7. Wir reden von der [illegible] verborgenen Weißheit GOttes / welche GOtt verordnet hat vor der Welt / zu unser Herrligkeit. Nemlich als ist offenbahrt und kund geworden / daß nunmehr der Meßias oder Christus gekommen / und was den verlohrnen Menschen für dem Verdammniß zu befreyen und der Seeligkeit fähig zu machen seines theils nöthig ins Werck gestellet und verrichtet / und also hinfürter von denen / die ihme durch den Glauben anhängig / oder den Christen / hat müssen veneriret und geehret werden: Da ist auch eine Nothwendigkeit entstanden zu wissen / ob er nur wäre eine Creatur und blosser Mensch / oder aber zugleich wahrer GOtt. Dann ist er nur eine Creatur / wolt es eine abscheuliche Abgötterey seyn / ihn als einen GOtt zu verehren und anzubeten; ist er aber GOtt / so muß ihme auch Göttliche Ehre angethan werden / oder es konte den Christen schuld gegeben werden / dessen S. Paulus die blinden Heyden beschuldiget / daß sie GOtt nicht hätten gepreiset als einen GOtt / Rom. I. v. 21. Aus diesen verspühret man die Nothwendigkeit der Offenbahrung von der Gottheit Christi. *Tam quoque in Dissert. de Myster. Trinit. & Apparit. §. 5. hanc in rem verba adducit Hugonis de S. Victore, quæ leguntur lib. 1. de sacram. part. 10. cap. 6. Ante legem Deus creator credebatur, & ab eo salus & redemtio expectabatur: per quem vero & quomodo ea salus perficienda foret, exceptis paucis, quibus hoc scire singulariter in munere datum erat, à cæteris, etiam fidelibus, non cognoscebatur. Sub lege autem persona Redemtoris mittenda prædicabatur, & ventura expectabatur. Quæ autem ipsa Persona hæc foret, homo an Angelus an Deus, nondum manifestabatur. Soli hoc cognoverunt, qui per Spiritum ad hoc singulariter illuminati fuerunt. Conf. Melch. Zeidler, in Exercit. Theol. pag. 18. lin. 28. & pag. 19. lin. 4.*

29. *Neque is unquam in eo apparuit: sed personam ejus sustinuit Angelus.*

G. Calixt. in Dissert. de Myster. Trinit. §. 24. Observandum, veteres, si non omnes, attamen plerosque illa V. T. loca, in quibus Deus Israël, qui verus citra omnem controversiam Deus est, apparuisse legitur, Christo Servatori nostro accommodare. Ex quo unanimem veterum de divinitate Christi consensum liquido constare arbitror: quamquam ipsa illa inde ita firmiter fortassis non adstruantur, cum apparitiones istas novi instrumenti codex, optimus sine dubio veteris interpres, angelis tribuat, & haudquaquam primis illis sed ultimis demum temporibus Deum in carne apparuisse & Patrem per Filium hominibus locutum esse attestetur. *Et Dissert. cit. de Myster. Trinit. & Apparit. §. 36.* Religio mihi semper fuit, angelum sic, ut dixi, nude nuncupatum de Christo interpretari: ne suspicio cuiquam, qui forte ad amplectendam Christi religionem induci posset, ingeneretur, Christum antequam carnem suscepisset, atque adeo citra incarnationem & functionem redimendi generis humani, quam in se recepit, consideratum, esse nuncium, ministrum, creaturam. *Idem* in der Widerlegung *D* Wellers §. *101. Lit. P. 2. f. b.* Qui angelus missus fuit a Deo, ut perageret particulare opus eripiendi particularem hominem Jacobum à malis & periculis, atque adeo ut exsequeretur opus pertinens non ad redemtionem universi generis humani, sed ad temporalem conservationem unius hominis, & pendens à communi divina providentia; is est legatus & minister & angelus Dei creatus. Sed angelus, qui eripuit Jacobum ab omni malo & periculo, missus fuit à Deo, ut perageret particulare opus concernens peculiarem hominem à malis & periculis eripiendum, & non pertinens ad redemtionem generis humani &c. Ergo iste angelus est legatus & minister & angelus Dei creatus. *Et §. 109.* Das ist woll wahr / und wird nachgegeben / daß der Mann / welcher (zum Exempel) mit dem Jacob gekämpffet oder dem Josuæ mit einem Schwerdt erschienen / item der Engel / der mit Mose aus einem feurigen Busch geredet / eine Figur / Fürbild oder Typus des HErrn Christi gewesen. Et idem dici poterit de pluribus. Es ist aber die Frage / ob er sey der HErr Christus oder der Sohn GOttes in der Person gewesen? Da wird nun geantwortet / weiln aus dem Namen / der ihme schlechter Dinge gegeben wird / eines Engels / und auch Zeugnissen der Schrifft

Schrifft (als Actor. VII. v. 30. 35. & 38. Gal. III. v. 19.) zu vernehmen stehet/ daß es ein Engel/ wie andere Engel sind/ gewesen/ als ist es der Sohn GOttes in selbst eigener Person nicht gewesen. *Nec non §. seq.* D. Weller lehret/ der Sohn GOttes sey in angenommener äusserlicher Gestalt den Vätern des Alten Testaments erschienen. Ich frage aber alsobald darauff/ ob er erschienen sey in einer äusserlichen oder sichtbahren Gestalt/ die er persönlich angenommen? Hat er die persönlich angenommen/ so ist es eine persönliche Vereinigung gewesen/ und ist alsdenn wahr/ daß der Sohn GOttes selbst in seiner eigenen Person erschienen. Hat er aber erwehnete äusserliche sichtbahre Gestalt nicht persönlich angenommen/ so ist es auch der Sohn GOttes in der Person nicht gewesen. *Conf.* Dreier in der Erörterung *a pag. 80. usque ad 140.*

30. Non incommode potest dici Filius Dei adoptivus.

Georg. Calixt. in Programmate in Festo Nativ. Christi. A. 1643. Helmst. edii affixo. §. 36. pag. 118. Sed quæro, num prout in terminis suis jacet & sonat, nempe Christus secundum divinitatem est Dei Filius naturalis, secundum humanitatem non naturalis, sed adoptivus, Nestoriana sit: an vero per consequentiam demum ex ea Nestorianismus, id est, divisio unius Christi Filiique in duos, eliciatur? Prius nemo sanus & Nestorianismi gnarus affirmaverit. Si dicatur posterius, ostendi velim, periculum fieri & consequentiam necti; apparebit contortam esse, imbecillem, imo nullam; nec ad thesin eam positam magis consequi Nestorianismum, quam Arianismum vel Ebionismum, cujus tamen ipsa quoque ab Hadriano arguitur. *Et §. 38. p. 120.* Ergo evidenter efficitur, non ita esse filium juxta humanitatem, sicut est juxta divinitatem. At juxta divinitatem est filius naturalis. Juxta humanitatem igitur non est filius naturalis: & proinde si filius, qui non est naturalis, sit adoptivus, erit adoptivus. Sin quem proprie naturalem non esse concedis, adoptivum negas, medium quoddam genus filiorum statuendum erit, quod difficulter inveniri poterit; aut non nisi de vocabulo lis relinquetur, quum videlicet juxta communem hominum conceptum qui est filius, & tamen non proprie naturalis, adoptivus haberi soleat. Proprie igitur est is filius naturalis, qui naturam ex substantia Patris mediante productione genera-

generationis accepit. Si sit alius improprie & citra talem productionem naturalis, erit non nisi posteriore illo sensu, quem paulo ante expositum dedimus, naturalis, nempe quod sit naturalis filius. *Et in fine hujus* §. Sed hoc non est, nisi improprie naturalem esse & proinde adoptionem non perimit. *Denique* §. 44. *p.* 126. Dico probabiliorem sententiam eorum, qui docuerunt Christum secundum Carnem non esse Filium Dei naturalem, sed adoptivum: imo ausim dicere veram; quamvis ea super re cum nemine ferram contentionis velim reciprocare. Hoc autem ideo dico, quia video argumenta contra illam sententiam invalida esse, & à dissentientibus solvi; quæ vero pro illa militant, præcipue quæ à natura & intrinseca ratione filiationis & adoptionis ducuntur, nec soluta esse, nec solvi posse.

31. *Cum assumeret humanam naturam, non communicavit ei proprietates divina, ut puta Omnipræsentiam.*

G. Calixt. Disp. de Persona & Off. Christi §. 43. *& seq.* Manifestum est ex hisce, ab Eutychianismo alienos non esse, quicumque divina attributa, quæ reapse idem sunt cum essentia divina, humanitati adtribuunt, ita ut eam in abstracto ab illis denominent, & quatenus talem intrinsece cum illis idem faciant: nominatim qui immensitatem sive omnipræsentiam carni adscribunt. Nam quorum eadem est omnipræsentia divina, eorum eadem quoque est essentia; quia harum maxima & simplicissima est identitas, ut nisi cogitatione separari nullo modo possunt. Sed humanitatis juxta ipsos & divinitatis eadem quoque erit essentia. Deinde tollit hæc ubiquitas articulos fidei. Nam si humanitas Christi vi personalis unionis (ut volunt) ubique est, à primo instanti conceptionis ubique fuit; si ubique fuit, nativitas ejus, actiones, passio, resurrectio & adscensio metaphorica, ficta & simulata erunt, ut docuerunt Manichæi. Et quomodo verum esset, quod dicit Christus ipse: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi. Si enim ubique erat, ibi certe erat *Hornej. part. 2. Disp. 1. Sect. 3.* §. 80. *fin.* Qui corpore & humanitate sua ex terris abiturus erat, hic in terris simul manere non poterat, nisi divina essentia & gratia sua id faceret. *Et Disp. de vera præsentia corporis Jesu Christi in S. Euchar. th. 24. lit D. 4. & seq.* Certe de humana

 Christi

Christi natu... literæ docent, eam non immensam esse: hæ enim tradunt, 1. Chri...um cum hominibus ita alicubi conversatum esse in terris, ut alicubi simul non fuerit: *Ita Joh. XI. v. 14.* Dixit eis JEsus: Lazarus mortuus est, & gaudeo proptet vos me illic non fuisse. *Et Luc. XXIV. vers. 5.* Dicunt angeli: Quid inter mortuos quæritis vivum? non est hic, surrexit. 2. Eædem testantur Christum assumta carne mundum hunc aspectabilem reliquisse, abiisse ad patrem, *Joh. XVI. v. 4.* & nube subvectum ascendisse in cœlos *Act. I. v. 9.* imo supra omnes cælos *Eph. IV. v. 10.* quam ascensionem nisi meram disparitionem esse dixeris, adversus immensitatem carnis Christi, firmum nobis argumentum præbere certum est. 3. Sacræ literæ promittunt, inde rediturum Salvatorem, ut judicem vivorum & mortuorum agat; Ita enim angeli in actibus Apostolicis: *Hic Jesus,* inquiunt, *qui sursum receptus est à vobis in cælum, ita veniet, quemadmodum eum vidistis proficiscentem in cælum:* Hæc *ut perspicua sunt, & nullis glossematis corrumpenda, ita humana natura sive immensitatem s. ubiquitatem (eadem enim hæc sunt) fortiter infringunt. D. Christian.* Dreier in der gründlichen Erörterung *p. 403. med.* GOtt und Mensch sind vereiniget zu einem supposito und Person. Die Naturen bleiben in ihrem esse, und behalten ihre Eigenschafften/ doch ist eine communio unter ihnen/ die nemlich aus der suppositali und personali unione herfleust/ daß der Mensch hat die Allwissenheit/ Allmacht/ Allgegenwärtigkeit personaliter, wie die Göttliche Natur die Eigenschafften hat per se & formaliter. *Et p. 422.* Darum habe ich wol gesaget/ daß D. Brentius hie ein wenig zu weit gangen wäre/ wenn er die Mittheilung Göttlicher Hoheit in die persönliche Vereinigung mit eingeführet/ welches andere unsere Theologi nicht thun. *Zeidl. in Colleg. Controv. Sect. 4. th. 1.*

32. Ecclesia ergo Lutherana quæ illaudabili Ubiquitatis dogmati adhærescit, ob crassum illum errorem, quem tuetur & obtrudit, non minorem contrahit maculam quam Calviniana; ut merito sit quod gratias is Deo agat, qui in illa non educatus sit & vivat. Si quis in Calviniana vero natus sit, modo, quod commode fieri potest, quædam

ejus

ejus maculæ emendentur, præstat ut ad eandem redeat.

G. Calixt. in Epist. ad Christoph. Ranzov. edita Moguntiæ cIɔ Iɔc LII. EcclesiaLutherana,quæ dogmati Ubiquitatis adhærescit,VIX MINOREM maculam contrahit, quam Calviniana, dum hunc SATIS CRASSUM ERROREM tuetur & obtrudit. Mi nobil. Ranzovi, ausim affirmare, vix alibi Ecclesiam inveniri melius comparatam, quam in nostra patria & hic in Ducatu Brunsvicensi, Ditionis Wolffenbutelicæ & Calenbergicæ. Exulant enim inde non modo superstitiones & corruptelæ Pontificiæ, sed etiam Calvinismus, qui præsentiam in Eucharistia negat & illaudabile dogma Ubiquitatis. *Idem in Responso ad Dn. Ernestum Landgravium Hassiæ, pag. 10. 11. 12.* Si consideremus Ecclesias occidentales, quæ Latinæ esse, propter antiquum in iis latinæ linguæ usum perhibentur, & potissimum eas, quæ sunt in Imperio Romano-Germanico, earum aliæ Pontificiæ audiunt, aliæ Lutheranæ, aliæ Calvinianæ. Nulla inter eas plura fundamento superaddidit, quam Pontificia. Lutheranæ aliæ simpliciter inhærent Augustanæ Confessioni, aliæ nonnulla dogmata addiderunt, inter quæ eminet dogma Ubiquitatis. Ago Deo gratias, quod natus & educatus sim in Ecclesia, quæ id ipsum nunquam receperit, & hodie vivam in Academia, quæ nunquam probaverit. Scio proinde, purioribus merito accenseri, nec alibi puriores, præsertim quod doctrinam attinet, inveniri. Quod attinet sacros ritus & emendationem morum, nolim negare, in aliquibus vel illos commodiores, vel hanc majorem dari posse. Si ista, ut commode fieri poterit, emendentur, non video causam, quare aliam Celsit. Tua velit quærere Ecclesiam, cui nomen det & quæ sibi ultro pateat, quam eam, in qua natus fuit & innutritus (*nata & innutrita*) h. e. Calvinianam.

33. *Meriti Christi & gratiæ divinæ universalitas non tam pertinent ad fidem ipsam, quam ad informationem in fide.*

Dreier in der Erörterung/*pag. 740.* Darneben ist wohl zu mercken/daß im Symbolo ein ieglicher bekennet/was er gläube/nicht was andere gläuben / daß nehmlich Christus ihm zu gute gebohren / und von den Todten aufferstanden sey / daher steht nichts darinn expresse von dem

allgemeinen Willen GOttes alle Menschen gern seelig zu machen / von dem allgemeinen Verdienst Christi / und allgemeinen Beruff der Menschen. Welche Wissenschafft in Anfechtungen nöthig ist/die zweiffelnden und zaghafften Gewissen auffzurichten / alſo gar / daß/ wenn iemand auff die Gedancken kommt / er habe kein Wort GOttes davon / daß GOtt ihn wolle seelig haben / er sich nicht wieder auffrichten kan / ohn die allgemeine Verheissungen/ wie ich das anderswo auch erwiesen und dargethan habe. Aber das gehört mehr ad informationem in fide, als ad fidem ipsam, denn aus den allgemeinen Sprüchen muß man entweder sich selbst unterrichten/oder andere sich unterrichten lassen/ wie man auch entweder sich selbst unterrichten muß aus unbeweglichen Sprüchen der Schrifft/oder sich von andern unterrichten lassen / wenn man bey andern Stücken des Glaubens in Zweiffel geräth/ als von der Gottheit/ oder Genugthuung Christi/ die allerdings in dem Catholischen allen nöthigen Verstand des Symboli enthalten sind / und kan man doch darum nicht sagen / daß alle Sprüche / die zu solcher Information können angeführet werden / allen und ieden Christen zu wissen nöthig wären. *Joh. Musæus in Tract. de Syncretismo Quæst. proœm. 4. p. 32. §. 17.* Primum, quæ creditu necessaria sunt, alia dicuntur necessaria secundum se, alia necessaria ratione alterius, v. g. secundum se necessarium est, ut credas, DEUM tibi esse propitium & salutem conferre propter Christum: non autem secundum se necessarium est, Deum velle omnium misereri, & omnibus per media à se instituta fidem in Christum conferre: sed hoc necessarium est creditu ratione alterius, nempe, ut credere possis, Deum velle tibi esse propitium & peccata remittere, necesse est ut credas etiam, Deum velle omnium misereri, nemine excepto, ut sub hac universalitate ad te possis descendere & de te individuo subsumere. De te enim in individuo Deus nihil revelavit expresse, sed tamen implicite sub propositionibus universalibus. *Pag. 33.* Quæ salute salva nec ignorari, nec negari possunt, ea continentur sub classe illorum, quæ necessaria dicuntur secundum se positive & directe: Quæ autem salva salute quidem ignorari possunt, ea continentur sub classe illorum, quæ sunt necessaria ratione alterius, negative & indirecte. Quæ sub priori classe continentur, ex usu loquendi proprie & stricte dicuntur articuli fidei & pleraque in Symbolo Apostolico continentur. *Pag. 36. fin. §. 21.* Ecclesia quæ fidelium mater est, ad corporis sui conservationem & ædificationem plura requirit, quam prædicta doctrinæ Christianæ capita, quæ omnibus & singulis

ſingulis creditu neceſſaria ſunt. Eſt enim Eccleſiæ velut matris fidelium, ut pariat Deo filios, ut natos in fide educet, &c. *p. 37.* Ad quæ munia obeunda non iis tantum indiget partibus doctrinæ, quæ ſimplicioribus & qui vel ingenio vel informatione deficiente, ad cæterarum intelligentiam pertingere non poſſunt, neceſſariæ ſunt: ſed doctrina Chriſtiana univerſa. *Et paulo poſt:* Reformati negant, ad ſalutem eſſe omnibus creditu neceſſarium Deum velle omnium ſalutem, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus, Deum velle omnibus conferre fidem, modo non ponant obicem, & operationem gratiæ, qua collaturus eſt fidem, impediant. Non de eo jam dicemus, an hæ in controverſiam vocatæ partes Doctrinæ, omnibus ſimpliciter creditu ad ſalutem neceſſariæ ſint; illud certum eſt, Eccleſiæ eſſe neceſſarias ad ædificationem corporis Chriſti, v. g. ſi quis peccatorum ſenſu anxius & tentatus, nullum habeat in ſe fidei ſenſum, & de gratia Dei deque ſalute ſua dubitare incipiat, Eccleſiæ ſane eſt, afflictos & tentatos homines erigere. Erigere autem eos nunquam poterit, niſi in ſubſidium vocatis promiſſionibus divinis, de univerſalitate gratiæ & meriti Chriſti. Quod ante hac in Diſp. 3. de Converſ. cap. 3. prolixe oſtendi. Incumbit ergo Eccleſiæ Doctrinæ partes, ut ut forſan, præſertim ex Calvinianorum mente, non ſimpliciter omnibus creditu neceſſariæ ſint, ſartas tectas conſervare.

34. *Mors & Sangvis Chriſti tantum ſunt cauſa inſtrumentalis moralis redemtionis & juſtificationis noſtræ.*

Conr. Hornejus in Reſp. ad Hülſem. in Dialyſi Apolog. p. 453. Mortem & Sangvinem Chriſti cauſam inſtrumentalem redemtionis noſtræ recte dici omnino puto; cum etiam inter cauſas morales non principales tantum: ſed inſtrumentales quoque inveniri ſciam. Verum hæc res eſt parvi momenti. *Joach. Hildebrand. in Colleg. Controv. noſtri temp. MSS. in Proœm. differens de neceſſ. Philoſ. ad Theolog. Polem. ſic inter cætera:* In Doctrina de Juſtificatione noſtri docent, quod ejus efficiens principalis ſit miſericordia Dei: meritoria Chriſtus & ex parte Chriſti inſtrumentum conjunctum humanitas Chriſti: ſeparatum ejus verbum Sacramenta & miniſtri. Cauſa inſtrumentalis ex parte noſtra fides eſt. *M. J. Hunold. in Schola Neo-Brandeb. Rector, in Program. ad audiendas tres Orationes de Paſſione Chriſti, pariter pluribus probare conatur:* Meritum Chri-

sti causam instrumentalem moralem justificationis hominis peccatoris coram Deo esse.

35. Christus quidem Deus & homo descendit ad inferos: sed non quoad corpus.

Dreier in der Gründl. Erört. *p. 471. seq.* Derohalben haben unsere Theologi nicht verworffen die Lehre von der Höllenfahrt Christi der Seelen nach/sondern dieselbe ist der meisten unserer alten Theologorum gewesen / sie kan auch nicht verworffen werden / daß man nicht die Lehre der allgemeinen Christlichen Kirchen verwerffe/welche wir mit viel mehr Sprüchen der alten Väter beweisen könten / wenn wir uns nicht der Kürtze zu befleißigen hätten:das ist gewiß/daß keiner unter den alten Lehrern gesagt hat / daß Christus dem Leibe nach wäre zur Höllen gefahren. Darum kan man sagen einfältiglich / daß die gantze Person GOtt und Mensch zur Höllen gefahren sey/will man aber auch sagen/nach welchem Theil er zur Höllen gefahren / sage man mit der alten Kirchen / allein der Seelen nach / und will man erklären/was die alte Kirche hiervon gehalten hat / kan man die Wahrheit nicht unter die Banck stecken / sondern muß sagen / daß ihre Meynung sey / Christus sey allein der Seelen nach zur Höllen gefahren. *Et in Programmate Paschali è 1. Pet. III. v. 18. A. 1682. Melch. Zeidleri Colleg. Controv. Sect. 4. th. 2.*

V.
DE HOMINE IN GRATIAM RESTITUTO.

36. Praecedunt quidam in homine actus in ejus potestate siti, quos Deus praestari vult, priusquam supernaturalia adhibeat auxilia.

Calixt. in Epit. Theol. p. 241. seq. Certum est, hominem posse esse sollicitum de sua salute, posse suscipere curam de mediis ad eam: Hoc qui faciunt, eos Deus majoribus auxiliis dignatur, ut intelligant verbum &c. Et hoc ab homine praestari vult, priusquam ipsi majora & specialiora, & suo genere supernaturalia suppeditet auxilia. *Iterum:* Non negamus ESSE QUOSDAM ACTUS IN HOMINIS POTESTATE

TE SITOS, quos ab ipso Deus præstari velit, PRIUSQUAM AD AUXILIA ET DONA SUPERNATURALIA PROGRESSUS FIAT. *Et in Digress. A. 1634. pag. 267.* Si quid per lumen naturæ opus est intelligi, sine quo fides commode haberi nequeat, aut si quid remoratur, quod oporteat solvi & expediri, certum est, pro cujusque indole & captu id fieri posse.

37. Voluntas hominis etiam gratiæ prævenienti & præparanti, antequam Spiritus S. corda intret atque inhabitet, sed ea adhuc pulsat, cooperatur, neq; adeo pure passive se habet.

Hornej. Part. 2. Disp. 3. Sect. 1. §. 34. pag. 267. Συνεργὸς ergo Dei voluntati nostra fit, seu divinæ gratiæ cooperatur, non tantum, cum homo jam conversus, renatus & justificatus in fide & charitate crescit, & opera pietatis per gratiam justificantem & inhabitantem facit, sed etiam cum per auxilia gratiæ prævenientis, præparantis & adjuvantis, ad Deum convertitur & primum justificatur: sicut enim homo renatus & justificatus cooperari gratiæ Spiritus S. jam inhabitantis dicitur, dum dono seu talento gratiæ justificantis & sanctificantis semel accepto sedulo negotiatur: ita idem etiam auxiliis gratiæ Spiritus S. adhuc corda nostra nondum inhabitantis, sed ut ea intret atque inhabitet pulsantis, cooperatur, dum auxiliis illis præventus, adjutus & præparatus ad Deum convertitur, ut justificatus ac renatus templum Dei & Spiritus ejus fiat. *Georg. Calixt. in Judicio de Controv. Theolog. th. 32. p. 20.* Dicit noster Gigas, equidem vos omnes, qui immersi estis & IN MORTIS PERICULO versamini, servare cupio: sed cum homines sitis, ita volo vos servare, ut meæ actioni aliqua actio vestra respondeat; Itaque me respicite, & manum meæ manui inserite, sic eripiam & servabo vos. Hos autem fateri oportet, se se id non posse, adeo videlicet viribus defectos, ut quidquid ultra superficiem aquæ eminet, nec oculis queant videre, nec manibus attingere: Regerit Gigas noster. Esto, ita se se habet, ecce à me remedium; Infundam aquis, quibus mergimini, OLEUM, mirabili & naturam superante virtute, à me indita, præditum, quod per univer-

sum

sum lacum & loca, in quibus hæretis, diffusum, cujuscunque corpus attigerit, ei non quidem necessitatem imponet, facultatem tamen præbebit, me adspiciendi, manumque meam ad extrahendum porrectam apprehendendi. Hoc oleum est Evangelium ubique prædicatum, quod est Organon divinum, ad fidem & salutem hominibus impertiendam destinatum, cum quo per aures ad mentem immisso, conjuncta est gratia divina supernaturalis, per quam præstatur, ut homo, qui sibi relictus pridem non poterat assensum & fidem præbere, jam possit. *Joh. Latermann. Exerc. de æterna prædest.* §.31. Nunc quod gratia Dei ita offeratur, ut ea oblata in hominis potestate sit, per illam ea, quæ ad conversionem & salutem necessaria sunt, præstare, & si pravitati suæ indulgere velit, non præstare in hunc modum demonstramus &c. *Item* §.33. Omnes, *inquam*, si velint, possunt se convertere. *Et* §. *seq.* Et hic sententiam secundum nos fert Scriptura: dum innumeris in locis, conversionem eo modo liberam facit, ut in potestate hominis sit, velle se convertere, & nolle se convertere. *Et.* §. 42. Quod si adhortationes frustraneæ non sunt, ut certe non sunt, pendebunt omnia simul à cooperatione hominis, hoc est, ab homine in virtute gratiæ libere operante, libere credente, libere perseverante. Dreier in der Erörterung/ *pag.* 484. Weiter wird die Deliberatio gehindert durch die habitus, die mancher consvetudine aus Gewohnheit annimmt / da hat iemand die indifferentiam nur in principio im Anfang/ehe er den habitum bekommt/ als der da kranck wird durch unmäßiges Leben / kont wohl nicht kranck werden/aber wenn ers einmahl versehen hat / und schon kranck worden ist/ so hat ers nicht mehr in seiner Macht oder freyen Willen / daß er kranck werde oder nicht/ sondern muß nun schon kranck seyn / doch ists ihm zu imputiren/denn er hatte im Anfang können nicht kranck seyn; So hat iemand in seiner Macht/ daß er gerecht oder ungerecht sey von Anfang / wenn er aber durch Gewohnheit schon den habitum hat / stehet es nicht mehr in seiner Macht gerecht oder ungerecht zu seyn / sondern muß allein

allein ungerecht seyn per habitum, wird aber billig gehasset und gestraffet/ denn im Anfang hatte ers in seiner Gewalt / daß er konte gerecht und ungerecht seyn / wie iemands im Anfang in seiner Macht hat einen Stein wegzuwerffen und nicht wegzuwerffen / aber wenn er ihn schon weggeworffen hat/ kan er ihn nicht wieder zurück nehmen. *Pag. 515. in marg.* Die Vermahnungen/ Dräuungen / Warnungen/ Bitte / Verheissungen/ Straffen/ Belohnungen sind eine Anzeigung des freyen Willens. *Pag. 521.* Ich halte nicht dafür/ daß ein Verständiger sagen werde/ ein Mensch sey gantz zu GOtt bekehret / ehe er Busse thut / das Gute will und gläubet; so gehet demnach das Wollen des Guten/ und der Glaube dem ultimo complemento der Bekehrung vorher / saltem natura, si non tempore, und wo derowegen Wollen und Gläuben actiones seyn/ dadurch recht kan gesaget werden vom Menschen/ er thut etwas/ so folget richtig/ daß der Mensch am Ende seiner Bekehrung etwas thue / und so weit sich nicht mere passive habe. *Et pag. 522.* So derowegen diß ein Thun ist / und zumahl die lucta carnis & Spiritus, der Streit des Geistes und des Fleisches / nicht ohne Thun und Verrichtungen des Menschen ist / so ist der Mensch nicht bloß subjectum patiens in seiner Bekehrung/ sondern thut was Guts durch die Gnade GOttes / ehe er völlig bekehret ist.

38. *Ab Ethnicis solis naturæ viribus opera quædam fieri possunt moraliter bona, præsertim faciliora & quando nulla eos tentatio urget.*

Horn. Part. 2. Disp. 3. Sect. 2. §. 63. pag. 299. Cæterum etsi hæc ita se habent, extendenda tamen eo usque non sunt, ut nullum prorsus bonum opus morale etiam ex iis quæ faciliora sunt, & quando tentatio nulla urget, solis naturæ viribus fieri posse statuamus, cum Paulus ad Rom. 2. tam expresse dicat, gentiles, quæ legis sunt, natura facere, etsi raro & paucissima talia sine dubio aguntur. Unde nec omnia omnino ethnicorum opera peccata esse dicimus, nec omnes eorum virtutes vitia, ut S. Augustinus fere docet, quamvis nec opera nec virtutes illæ vel ad salutem aliquid faciant, vel eo sensu bona sint, quo Scriptura virtutem aut bonum aliquid appellat: nihil enim tale est, nisi quod à fide & gratia Dei proficiscitur.

39. *In pacto quoque Evangelico legis & operum ratio quædam habetur.*

Hornej. in Iterata Assert. §. 53. Unde discrimen pacti legalis non in eo consistit, quod Lex conditionem operum habeat, Evangelium nullam habeat; Utrumque enim, sed diversimode habet; sed quod Lex exactam obedientiam & omnibus numeris perfectam postulet: Evangelium gratiam & remissionem præstet, sed pœnitentibus & novam vitam, prout in hac fragilitate fieri potest, inchoare sibi proponentibus. Quocirca etiam opera ita ad pactum legis exposcuntur, ut illa causa justitiæ & salutis sint; ad pactum autem Evangelicum, ut conditio tantum pura & grati animi, pro accepta justitia & promissione salutis. *Et G. Calixtus in Epit. Theol. p. 71.* Instar enim pacti se se habet actio illa Dei, quæ ei nobiscum de salute nostra intercedit. Ipse videl. nobis promittit summum & cœleste bonum, & vicissim à nobis stipulatur observationem ejus, quam nobis ponit, conditionis. Quin lege eam quoque sancit, & observari mandat; atque adeo, nisi observetur, severe vindicat. Hinc igitur est, quod in pacto etiam Evangelico legem quandam agnoscamus.

40. *Sola fides essentialis pars est pœnitentiæ: contritio autem & nova obedientia integrales.*

G. Calixt. in Epit. Theol. pag. 151. Porro ex iis, quæ de lege & Evangelio diximus, constat, quare pœnitentiæ, sive conversionis hominis ad Deum duæ statuantur partes, contritio scil. & fides, quibus à nonnullis additur nova obedientia. Verum proprie loquendo contritio ipsam conversionem, quæ formaliter conversio sit, antecedit, novitas vitæ subsequitur; ipsa vero fides est forma Conversionis: Hac enim posita homo conversus esse dicitur: Negatur autem conversus esse, si absit. Essentialiter igitur conversio in fide consistit, contritio autem & Novitas vitæ, una cum fide, simul accipi possunt, quasi partes integrales conversionis, complexum illorum actuum, qui ante, in & post conversionem requiruntur, significantes.

41. *Vocis justificare, quatenus proprie ad articulum de justificatione pertinet, acceptio non forensis tantum, sed moralis quoq; est.*

Hor-

Hornej. Part. 2. Disp. 4. Sect. §. 1. Quarto justificare est justum aliquem pronunciare & ab intentato crimine ejusque pœna absolvere. *Ps. 82. v. 3. Rom. 8. v. 33.* & hæc significatio est forensis. Quinto justificari est justum i. e. justitiæ amantem & studiosum fieri. Ita accipi videtur *1. Cor. 6. v. 9. Tit. 3. v 5.* Et hæc acceptio moralis est. §. 2. Cæterum ex quinq; illis significationibus tres priores ad propositum parum faciunt: Quarta autem & quinta huc proprie pertinent, & maxime quarta; nam quinta illa rarissime in Scripturis occurrit, cum quarta usitatissima sit.

42. *Agnoscere peccata & ea humiliter deprecari, idem est quod fide justificari.*

Hornej. Part. post. Disp. 4. Sect. 1. §. 47. p. 361. Unde etiam fit, quod qvum justificatio fidei excludat virtutes & opera omnia, quæ propria bonitate sua æstimantur, non tamen eos actus respuit, qui aliena justitia & bonitate nituntur, quales sunt agnoscere peccata & humiliter deprecari: tantum enim abest ut hæc opponantur justificationi fidei, ut per illa justificari sit fide justificari. Sic Matth. XIIX, 32. dicitur: *Totum debitum remisi tibi, quia me rogabas.* Luc. XIIX. 14. *Descendit iste* (publicanus) *domum suam justificatus præ illo* (Pharisæo) *quia quicunque se extollit, deprimetur, & qui se deprimit, extolletur*; & Psalm. 51. 4. *A peccato meo munda me: nam defectiones meas ego agnosco.* Hic justificari per deprecationem & humilem peccatorum suorum agnitionem idem est atque per fidem justificari & per meram gratiam Dei justitiam consequi.

43. *His ipsis enim præparamur & disponimur ad justificationem, eaque etsi non proxime, saltem remote ad eam faciunt.*

Hornej. loc. cit. §. 56. p. 369. Quæ cum ita se habeant, nihil impedit, quo minus motus illi pœnitentiæ, ut timor iræ Dei, agnitio peccati, ejus detestatio & novæ obedientiæ propositum, præparationes seu dispositiones dicantur, quibus se homo non quidem per vires naturales, sed gratiam Dei ita ad justificationem consequendam disponat, ut eam tamen præparationes illæ nec de condigno nec de congruo mereantur. Tantum alia ratio de fide ipsa est; hæc enim non ut dispositio, sed ut causa instrumentalis ad eam concurrat. *Et in Repetit. doctr. de necess. B. O. §. 87. n. 5. pag. 81. & seq.* Falsissimum etiam est, motus illos seu agnitionem &

deteſtationem peccati prout ex actu amoris Dei & Deo obediendi proficiſcuntur, actus regenitorum ſeu juſtificatorum eſſe: ſunt enim regignendorum & juſtificandorum, cum Deus non tantum homines regeneret & juſtificet, & regeneratis ſubinde auxilia gratiæ adſpiret, per quam bona agant, ſed etiam ipſe omnes per illa eadem ad pœnitentiam & fidem adducat, ut per fidem juſtificentur. Et profecto diu ſane præcedunt motus tales, antequam vera pœnitentia & fides ſequantur, etſi etiam interdum totus ille apparatus ſanctorum motuum & actuum ſine mora à Deo datur, ſicut latroni contigit. *Georg. Calixtus Conſid. Concil. Trident. ad Seſſ. VI. can. 9:* Fides ſola proxime & immediate ponit juſtificationem: Agnitio autem & dolor de peccatis remote ad juſtificationem faciunt.

44. *Propoſitum quoque vitandi peccata & obtemperandi præceptis divinis ad obtinendam juſtificationem neceſſaria ſunt.*

Horn. part. 2. Diſp. 4. Sect. 1. §. 34: Et ſane non fidem tantum, ſed pœnitentiam quoque i. e. peccati agnitionem ad deteſtationem & novæ vitæ propoſitum, ad remiſſionem peccatorum & juſtitiam conſequendam requiri, jam ſupra conceſſimus, nec negari poteſt. *Idem in iterata aſſert. §. 21.* Theſi itaque prima hunc proponit (*ſc. ſtatum controverſiæ*) & primo dicit: *Non eſſe quæſtionem, an B. O. ſint neceſſaria?* Concedo. Nec 2. *An B. O. ſint ad juſtificationem neceſſaria? Hoc enim,* inquit, *negamus ipſi, & concedit D. Hornejus Diſp. 2. th. 17.* Sed hic annotandum eſt, ſi per B. O. intelligas ſeu τὰ κατορθώματα, ſeu actus ipſos obſervationis præceptorum Dei, verum eſſe. Quod ſi autem de pœnitentia & propoſito deinceps vitandi peccata & obtemperandi præceptis divinis, non item; hæc enim natura juſtificationem præcedunt. *Et §. 37. in fine:* Cum autem dixi, ad adipiſcendam ſalutem in ſpe, ſeu juſtificationem, B. O. ſtudium non eſſe neceſſarium, diſtingvo ſtudium B. O. & propoſitum eis ſtudendi: nam hoc etiam juſtificando neceſſarium eſt. *Nec non § 53:* Unde diſcrimen pacti legalis non in eo conſiſtit, quod lex conditionem operum habeat, evangelium nullum habeat; utrumque enim ſe diverſimode habet: ſed quod lex exactam obedientiam & omnibus numeris perfectam poſtulet, evangelium gratiam & remisſionem præſtet, ſed pœnitentibus & novam vitam, prout in hac fragilitate fieri poteſt, inchoare ſibi proponentibus.

45. Ipſa

45. *Ipsa etiam Bona Opera sunt conditio & causa sine qua non justificationis.*

Hornej. in Iterata Assert. §. 51. in fine. Unde patet, opera quidem ab actu justificationis in doctrina evangelica excludi, ut causam veram & meritum salutis, at non ut causam sine qua non & conditionem ejus, absque quibus adultis & tempus operandi habentibus non detur. §. 55. Quocirca ea etiam opera ita ad pactum legis exposcuntur, ut illa causa justificationis & salutis sint: ad pactum autem Evangelicum, ut conditio tantum pura & grati animi pro accepta justitia & promissione salutis contestatio. *Et §. 110.* In Syllogismo autem, quem ipse instantiæ loco opponit, tantum distinguatur inter B. O. in proposito & in re ipsa, & nulla erit difficultas: nam fides viva non solum dicitur, quæ actu opera habet, sed etiam quæ in proposito. Ergo Syllogismus est talis: *Necesse est ut fidem vivam habeas,* B.O. habere vel in proposito vel actu ipso. *Necesse est, ut justificeris habere, fidem vivam: E. necesse est ut justificeris, habere B. O.* saltem in proposito, quæ postea justificatus ad rem conferat. Quid quod ipse Sanctus Jacobus diserte totum Syllogismum concedat, ita ut non tantum justificatum habere B.O. sed hominem ex operibus etiam justificari dicat. *Et in Repetit. § 36.* Medium simpliciter diximus esse fidem, observationem autem præceptorum Dei nec causam instrumentalem, nec medium, sed conditionem solum seu causam sine qua non salutis esse. Verba nostra in prima Disp. statim n. 3. ita habent: *Fides autem causa instrumentalis & medium tantum est, observatio denique præceptorum Dei nec causa instrumentalis, aut medium est, sed conditio solum vel causa sine qua non, nec justitiæ sed salutis.*

46. *Quando autem fides dicitur imputari ad justitiam, fit illud per elevationem à causa principali quasi perfecte promereretur justitiam.*

Calixt. in Epit. Theol. pag. 109. edit. in quarto & in 8o. p. 176. Causæ instrumentales non attingunt effectum per se, sed ad effectum producendum elevantur à causa principali, ultra propriam suam & naturalem virtutem. Tales causæ à parte Dei sunt verbum, *1. Petr. I. v. 23.* & Sacramenta, *Eph. V. v. 26. Tit. III. v. 5.* Etiam illi, qui verbum prædicant & Sacramenta administrant, sive ministri Verbi & Sacramentorum. Instrumentalis autem à nostra parte, apprehendens oblatam à Deo per verbum

bum

bum justitiam, est fides. Atque ideo fides dicitur nostra justitia, quia nihil est in nobis, quod ullo modo ad justitiam faciat præter solam fidem; facit autem, quantum facit, non quidem sua nativa virtute, sed quoniam ad hunc effectum elevatur à causa principali, nempe misericordia divina, quæ fidem imputat pro justitia, hoc est, ita ordinavit, ut fides nobis sit, quasi perfecte promereretur justitiam, vel ipsa esset justitia.

47. Justificatio Sanctificationem quoque Spiritus connotat & complectitur.

Horn. in Disp. de fidei non qualislibet sed quæ per Charitatem efficax est, necessitate ad salutem. §. 4. Neminem autem peccatorum pœnitet, nisi quem Deum & proximum non dilexisse se, & præcepta ejus non observasse piget pudetque. Unde nec per evangelium & fidem ei habitam justificatur, i. e. remissionem peccatorum & sanctificationem Spiritus Dei adipiscitur, nisi qui propositum diligendi deinceps eum, quem ante non dilexerat, & præcepta ejus observandi habet, quæ antea non observarat.

48. In Sanctificatione vero adulti eos progressus faciunt, ut ex toto corde, anima & viribus Deo serviant, nec nisi ex imbecillitate peccent.

D. Justus Gesenius über die Epistol. *Lection* auff *Reminiscere.* 1. *Thess.* 4. *Serm.* 2. Es wird von den Theologen observiret / und die Erfahrung und genaue Betrachtung derer Leute / die in Warheit und ohne falsch zu Christo sich bekennen und für Christen sich ausgeben / lehrets auch / daß drey gradus und merckliche Unterschiede unter allen wahren Christen seyn. Etliche sind INCIPIENTES und anfangende Christen / die zwar von Hertzen glauben und der Frömigkeit sich befleißigen. Diese Anfänger werden noch sehr zu Untugenden von ihrem Fleisch gereitzet / ihr Fleisch gelüstet noch sehr und hefftig wider den Geist / und fället es ihnen all schwer / daß sie sich der alten angewöhnten Sünden / die sich fleissig bey ihnen angeben und anmelden / recht erwehren mögen. -- Darnach sind auch PROFICIENTES oder fortgehende Christen / die - nun der Gewohnheit zu sündigen sich enthalten / ja auch leichte und mit wenigern Verdruß und Widerstreben / mit Lust in Ubung der Gottseligkeit fort-

fortfahren --- aber das Fleisch gelüstet gleichwohl wider ihren Geist / und fället manchmal ein harter Streit und Kampff des Fleisches und des Geistes bey ihnen vor / daß sie bey schwerer und harter Versuchung gleichwol noch mit grosser Müh und allschwerer Arbeit Widerstand thun und das Feld behalten müssen. --- Endlich und drittens sind auch ADULTI oder PERFECTI, welche andere ziemlich weit gekommene Christen noch übertreffen / und durch ihren starcken und festen Glauben mit sonderlicher Lust / Begierd und Freude der Heiligung nachjagen und GOtt lieben / und demselben dienen von gantzen Hertzen / von gantzer Seelen / von gantzen Gemüth und allen Kräfften --- wenn sie aber sündigen / das geschiehet aus Irrthum oder Ubereylung / und nimmermehr Muthwillen.

49. Ad salutem ergo necessarium est obsequium præstare præceptis divinis & operam dare justitiæ.

G. Calixt. in Hist. Josephi p.13. & seq. sive ad cap. 39. Gen. v. 11. Ergo ad evitandam damnationem & consequendam hæreditatem regni Dei, necessarium erit talia non agere, sive abstinere ob operibus carnis, adulterio, scortatione & similibus; atque hoc ipso morem gerere legi divinæ prohibenti adulteria, uti etiam homicidia, furta, rapinas & alia id genus opera carnis. Qualis sane abstinentia ad eam pertinet sanctimoniam, sine qua nemo videbit dominum, id est, sine qua nemo beatitudinem & regnum cœleste consequetur. Sine quo autem res haberi vel obtineri non potest, id ad eam rem habendam vel obtinendam est necessarium: At sine actibus abstinentiæ, de quibus diximus, obsequiique, ea in parte legi divinæ præstiti, regnum cœleste haberi, vel obtineri non potest. Ergo ejusmodi actus abstinentiæ ab adulteriis, homicidiis & reliquis operibus carnis ad habendum, vel obtinendum regnum cœleste sunt necessarii. Und in der Antwort auf *D.* Hülsemanns Meisterliches Muster. *§. 36.* Quod necessarium est ad hoc, ut sis ex Deo, sive Filius Dei & desinas esse filius diaboli,

diaboli, id etiam necessarium est, ut damnationem effugias & salute aliquando potiaris: sed operam dare justitiæ (ποιεῖν δικαιοσύνην) & diligere fratrem, necessarium est ad hoc, ut sis ex Deo, sive Filius Dei, & desinas esse filius diaboli. *Nam per hoc manifestati sunt Filii Dei & filii diaboli: quisquis non dat querelam justitiæ, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. 1. Joh. III. v. 10.* Ergo operam dare justitiæ vel diligere fratrem, necessarium est, ut damnationem effugias, & salute aliquando potiaris; quod necessarium est ad hoc, ut in morte non maneas, nam *qui non diligit fratrem, manet in morte. 1. Johan. III. v. 14.* Ergo diligere fratrem necessarium est ad evitandam damnationem & habendam salutem. *Hornej. in iterata Assert. th. 37.* Necessarium est ad salvationem quod non necessarium est ad justificationem, e. g. renovatio & sanctitas vitæ, quæ in justificando non est, in justificato autem omnino esse debet. *In Disp. de fidei non qualislibet sed quæ per charitatem efficax est necess. ad salutem. §. 5.* Sicut autem pœnitentia & propositum diligendi Deum & præcepta ejus observandi, causa sine qua non & conditio est, sub qua homo justificatur, & hæres æternæ salutis ab initio scribitur, juxta illud Christi effatum *Luc. XIII. v. 3.*, *Nisi resipiscatis, omnes similiter peribitis:* Ita ipsa actualis Dei & proximi dilectio & præceptorum ejus observatio causa sine qua non est & conditio, sub qua hæreditas illa æternæ salutis actu ipso aditur. Dico pœnitentiam causam non veram, sed sine qua non, seu conditionem tantum esse, sub qua justificamur, ac studium pietatis & bonorum operum causam sine qua non & conditionem, sub qua per fidem justificati æternam salutem adipiscimur. Dreier in der Erörterung *pag. 458. in marg.* Wie die guten Wercke als Früchte des Glaubens nöthig seyn zur Seligkeit *p. seq.* Daß es aber nicht das Ansehen hätte/ als schliesse der Apostel *Gal. II. v. 16.* die guten Wercke auch aus von der Erlangung der Seligkeit/ so setzet er *vers. 17.* hinzu &c. *Johann. Musæus* in Bedencken/ daß die guten Wercke nöthig zur Seligkeit. *Melch. Zeidler. in Colleg. Controv. Sect. 2. thes. 1. Joach. Hildebrand. in Colleg. Controv. nostri temp. MSS. ubi refert, quæ B. Professori Theologo Weinmanno in Academia Altorffina in hac causa moverunt Collegæ Fabricius atque Joh. Paul. Felwinger Philosophus ibidem alias non incelebris.*

50. Quo-

50. *Quoniam his operibus conservamur, ne salute excidamus.*

G. Calixt. in Epit. Theol. Moral. p. 3. §. 5. Ut autem homo in ſtatu gratiæ permaneat, præſtat ſerium veræ pietatis & ſanctimoniæ ſtudium, ſi non alia ratione, certe tanquam cauſa, quæ removeat cauſam alias deſtructuram, quod nos ſervatum cupimus. Nempe impuritas vitæ & impietas prohibet Spiritum Sanctum in animis noſtris habitare, fidemque & gratiam pellit & eliminat: contrarium autem pietatis & ſanctimoniæ ſtudium, impuritatem & impietatem arcet & removet, ne ſincero Chriſtianiſmo & ſtatui gratiæ poſſit officere. Porro quemadmodum per hujusmodi ſanctimoniæ ſtudium fides non acquiritur, ſed quæ acquiſita jam ante fuit, conſervatur: ita quoque per id ipſum ſtudium vita, ſive jus, ſi ita loqui liceat, ad hæreditatem vitæ æternæ aliquando adeundam non acquiritur, ſed acquiſitum, ne amittatur aut intercidat, cuſtoditur; quin & confirmatur. Quid enim aliud eſt vocationem & electionem noſtram, ut ſanctus Petrus loquitur, firmam effici, quam jus quod ex vocatione & electione ad capeſſendam vitam æternam per fidem habemus, nobis confirmari? *Et §. 6.* Finis autem ultimus hujus, uti univerſæ Theologiæ, ſalus & beatitudo eſt æterna; intermedius vero conſervatio fidei & ſanctimonia vitæ, quæ legibus & voluntati Dei conformetur; ſive potius, accurate loquendo, finis hujus partis adæquatus eſt conſervatio fidei ſalvificæ & ſtatus gratiæ, in quantum à ſtudio pietatis & ſanctimoniæ vitæ pendent. *Hornej. in iterata aſſert. §. 49.* Sicut infanti aut puero tutores ſunt neceſſarii, ut qui heres paternorum bonorum eſt, ejus bona illorum opera adminiſtrentur aut cuſtodiantur, ne vel ipſe vel alii hereditatem à patre acceptam diſſipent; & ita ei non ad hoc, ut heres fiat, ſed ut, qui heres eſt, hereditatem aliquando actu ipſo poſſideat, & ea utatur, fruatur, tutores omnino neceſſarii ſunt: ſic etiam filiis Dei & heredibus vitæ æternæ ſtudium pietatis & B O. plane neceſſarium eſt, dum hic ſunt, ut hereditatem *ſibi in cœlis reſervatam, 1. Petr. I. v. 4.* aliquando obtineant, nec ex ſtatu gratiæ excidant, præſertim cum hac & non alia lege hereditas iſta illis promiſſa ſit. *Et §. ſeq. in fine.* Per fidem ſalutem acquiri conceditur, per eandem etiam cuſtodiri, per B. O. autem non acquiri, ſed ſuo etiam modo cuſtodiri ſæpe dictum eſt.

51. Ipsa denique Electio haudquaquam citra intuitum operum misericordiæ facta, nec vita æterna decreta cuiquam, nisi qui in vinea Domini sedulo laboravit.

Horn. Part. 2. Disp. 2. Sect. 2. §. 31. pag. 225. Nullatenus ergo citra intuitum operum misericordiæ aut immisericordiæ, sed secundum ea uterque locus à jacto mundi fundamento paratus & hominibus destinatus est. *Et vicissim:* Spectat huc etiam parabola operariorum *Matth. XX.* quia vitam æternam non absolute cuiquam decerni monstrat, sed cum conditione, si in vinea domini sedulo laborarit. *Iterum §. 42. p. 237. Sed electio* nec ex fidei seu operum fidei dignitate facta est, verumtamen tantum secundum prævisionem fidei, quæ per charitatem efficax est, ut conditionem aliquam, sub qua nos Deus gratis salvare decrevit.

VI.

DE ECCLESIA ET REBUS ECCLESIASTICIS.

52. Ecclesiæ Catholicæ nomine Græca, Pontificia, Lutherana & Calviniana veniunt: quod vero in iisdem præter hæc Symbola antiquissima & universalia, nempe Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense definitur, de novitate merito suspectum est.

Georg. Calixt. in der Verantwort. auff das Chur-Fürstl. Sächsis. Schreiben *n. 23. lit. B. 4. f. a.* Zu Helmstädt ist wol folgender Discurs gefallen/ weiß mich aber nicht zu entsinnen/ daß derselbe durch den Druck solte divulgiret seyn: Es ist heutiges Tages die Christenheit in vier grosse Theile oder Partheyen/ als da ist die Griechische/welche sich durch Orient zwar unter harter Türckischer Dienstbarkeit dennoch weit und breit erstrecket / die Papistische / die Lutherische und Calvinische. Wañ

man nun beobachtet / worinnen sie alle nicht überein kommen / ist solches eine starcke Anzeigung einer Neuerung / wenn ein Theil etwas absonderliches hat / damit die andern alle nicht einig: Zum Exempel alle vier Partheyen nehmen an und bekennen sich zu dem Symbolo Apostolico, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi: E. soll und kan man auch hiezu getrost und ohne Gefahr eines Irrthums sich bekennen. Die Griechen aber lehren absonderlich / daß der Heilige Geist von dem Vater alleine / und nicht von dem Sohne ausgehe. Die Papisten haben absonderlich und vor sich allein des Pabsts primat und Infallibilität / den Gebrauch der einerley Gestalt / die Messe ohne Communicanten / das Fegefeuer und anders dergleichen. Die Calvinisten stehen absonderlich und allein / indem sie läugnen / daß im heiligen Abendmahl der wahre Leib und das wahre Blut des HErrn Christi gegenwärtig sey und gegessen und getruncken werde. Etzliche Lutheraner stehen gleichfals alleine / und werden von allen andern auch theils ihren eigenen Religions-Verwandten gelassen / indem sie eine Ubiquität der Menschheit Christi gläuben und lehren. Worinnen nun eine Parthey allein stehet / und hat die übrigen drey zuwider / dasselbe ist zum wenigsten / wo nicht gantz falsch / dennoch wegen Neuerung und Irrthum sehr verdächtig. *p. seq.* Auch einem zum Christlichen Glauben sich bequemenden / an diesen Streitigkeiten aber sich stossenden Juden solle man antworten: Er solle nicht annehmen / was diese oder jene Parthey absonderlich habe / sondern das jenige / darinnen sie alle oder ja ihrer drey wieder eine einzele überein stimmen / so wäre den Sachen gerathen / und würde er auff solche Weise sicher gehen. *Et in Judic. de Controv. Theolog. ac Tolerantia Reform. A. 1650. edito Frf. p. 28. §. 45.* Stat ab Ubiquitate hodie saltem pars aliqua eorum, qui Lutherani dicuntur: contra eam vero, quicquid reliquorum est Christianorum toto orbe, tum Orientalium, tum Græcorum, tum Pontificiorum, tum Calvinianorum. Neque præter rem censeri potest, quod scribit vir magni judicii, Marcus Antonius de Dominis libro suo VII. cap. II. n. 5. Ubiquitatem corporis Christi adhuc magis, quam est Transubstantiatio, absurdam, magisque impossibilem omnis bonus Theologus semper respuet. Asserere eam non est boni Philosophi, neque boni Theologi. *Et part. 1. Respons. ad Moguntin. §. 28. lit. F. 4. f. b. & G. 1. f. a.*

Transeamus tandem ad præcipuum totius negotii caput, ad credenda, inquam, sive ad articulos fidei proprie strictéque ita dictos, quorum videlicet ignorantia salutem excludit. De hisce itidem adjicere me oportebit, quæ de iis præfatione ad Serenissimum Principem Augustum scripsi: Inter tanta Ecclesiæ mala, distractiones & calamitates, quibus non possum non illacrymare, gaudere tamen me non diffiteor, quum video tum Græcam sive Orientalem, cum Latinam sive Occidentalem ecclesiam, etiamsi in tres magnas partes divulsam, (aliorum enim segregum, qui cum nulla harum trium faciunt, rationem non habeo) universam tamen adorare & venerari unum Deum creatorem cœli & terræ, Patrem, Filium & Sanctum Spiritum: credere item, quod Filius propter nos homines à damnatione vindicandos & in salutem adferendos è beatissima matre virgine naturam humanam incarnatus susceperit, passus sit & mortuus, resurrexerit, adscenderit in cœlos, inde supremo seculi die rediturus ut mortuos resuscitet & omnes judicet: nterea in terris passim ecclesiam sibi colligat, in qua remisionem peccatorum impertiat ad se conversis, pœnitentibus & vere fidelibus, collaturus iisdem, si tales ad finem usque perseverent, æternam beatitudinem; reliquis vero nolentibus converti, impœnitentibus & infidelibus, & qui secundum carnem vixerint, æternum supplicium irrogaturus. Hæc omnia ab omnibus tribus ecclesiæ Occidentalis partibus integre admitti, nihilque eorum in dubium vocari equidem gaudeo. Spero etiam, quæ est Dei Christiq; φιλανθρώπου servatoris nostri benignitas, omnes eos qui hæc simpliciter crediderint & pie vixerint, in magno illo die Domini salvatos fore: etiamsi singulorum rationem reddere, vel intimiorem modum exponere, vel quæstiones circa ea exortas solvere, vel, dum forte satagunt, hallucinationes effugere, aut alias errorum penitus immunes degere nequiverint. Quod in innumeros è medio grege fidelium, pios alioquin & probos, cadere, ipsa, nisi fallor, evincit experientia. Et post aliqua: Persuasum habeant, qui alios docent, officio satis se facere, etiamsi neque suam neque auditorum suorum curiositatem expleant, sed res ipsas, quatenus ad salutem habendam cognosci necessarium est, exponant, nec ulterius provehantur, quam quo præit dux Scriptura. Modum, quo infinitum & æternum numen aut existat aut operetur, uti cognosci opus non est, ita nec exponi. Sufficit credere, unum esse Deum,

Deum, qui Pater ſit & Filius & Spiritus Sanctus; Filium incarnatum eſſe & hominem factum; à Deo creatum eſſe mundum, mortuos reſuſcitatum iri. Etiamſi non penetremus, quomodo una natura in tribus perſonis, aut vice verſa duæ naturæ in una perſona ſubſiſtant, nec adſequamur, quomodo divina potentia vel è nihilo aliquid producat, vel quod tenues in auras diſſipatum eſt, redintegret; nihil id nobis aut ſaluti noſtræ oberit. *Tum quoque in Epist. ad Colloq. Thorunenſe §. 3. lit. F. a. f. 4.* Cur omnes eos, qui ſuſcepto baptiſmo unum Deum creatorem cœli & terræ, Patrem, Filium & Sanctum Spiritum venerantur & adorant, & credunt Filium ex virgine natum, hominemque factum paſſione & morte ſua à peccatis & peccatorum pœnis nos redemiſſe, reſurrexiſſe, in cœlos adſcendiſſe, ibi regnare & inde rediturum ad ſuſcitandum mortuos & judicandum cunctos homines; cur, inquam, hos omnes cives regni Dei ac Chriſti habeam, nec eorum quemquam niſi de ejus adverſus conſcientiam peccandi & in peccatis perſeverandi libidine certo conſtet, excludere auſim, alibi expoſui, nec hic opus eſt aut locus repetere. *Et §. 20.* Addet fortaſſis alius, plus requiri, quam ut articuli fidei ita nude, quemadmodum in Symbolo Apoſtolico proponuntur, credantur. Reſpondeo, me hic loqui de credendis, quatenus ad intellectum pertinent, quibusque præbitus adſenſus ab intellectu removet infidelitatem & ignorantiam, quæ æternam ſalutem excluſura & damnationem inductura eſſet. Quis enim neget, oportere etiam voluntatem Deo ſubjici, ut promta ſit ejus legi obſequium, quantum quidem & quale per ipſius Dei gratiam potuerit, præſtare, nempe tum naturali ſive morali, tum poſitivæ, qua ſacramentorum uſum exigit & præſcribit. Præterea paſtori & doctori Eccleſiaſtico multa ſunt neceſſaria, ut recte queat partiri ſermonem veritatis, & adverſarios refellere. Quæ tamen omnia non referuntur alio, quam ut veritas articulorum fidei ſecundum ipſam ſuam, ut ita dicam, ſubſtantiam, ab hominibus agnoſcatur & credatur, ſarta tecta conſervetur, & à præſtigiis & depravationibus hæreticorum vindicetur. Explicationes igitur illius fidei, cui deſerviunt & ad quam animis humanis imprimendam referuntur, analogas eſſe convenit. Perſuaſum autem

habeant, qui alios docent (ita alibi scripsi, quod hic repetam) officio suis se facere, etiamsi neque suam neque auditorum suorum curiositatem expleant, sed res ipsas, quatenus ad salutem habendam cognosci necessarium est, exponant, nec ulterius provehantur, quam quo præit dux Scriptura. *De Johanne Gerhardo Vossio Arminiano quoque b. m. Joh. Lutermann. in Declar. Apologet. pag. 105.* Cæterum à me inter illos (Christianos Catholicos appellavero) recensetur, qui ut ut in hac vel illa parte vivere coguntur, nulli tamen ita addicti sunt, ut alios penitus exe-crentur, & in sua parte omnia minima, maxima, quæ opiniones, quæ ritus approbent, sed quicquid in omnibus partibus (*sermo est de Evangelica, Reformata & Pontificia*) rectum & Antiquæ Catholicæ fidei ac observationi consentaneum est, amplectuntur & venerantur: quæ vero his contraria & modum mediumque excedentia deprehenduntur, declinant, & quanquam ea mutare non possint, ex animi tamen sententia improbant. *Et ibidem pag. 106. sequente:* Omnino igitur uni ex tribus istis partibus ex animo adhærendum, quæ videlicet unicuique, secundum conscientiam, præ cæteris, ab erroribus & corruptelis maxime immunis videtur. Interim nemo, nisi Puritanus aliquis aut ex veterum Catharorum numero negabit, quamlibet hodie particularem Ecclesiam suum habere fœnum, suas stipulas. *Conf.* Dreiers Predigt von der einigen sichtbahren Kirchen *pag. 7. lin. 3. 22. & pag. 11. lin. 6. Orat. de Syncret. l. 3. a. 21. §. 4. b. 4. 3. b.* Erörter. *p. 677. 685.*

53. Neque vero etiam in doctrina de Sacramentis eorumque administratione & usu adeo inter se partes dissident, quo minus inter Ecclesiæ Catholicæ cives numerandæ sint.

Georg. Calixt. in Respons. ad Mogunt. §. 22. E. 3. & 4. De administratione & usu Sacramentorum in hunc modum scripsi: Hic gaudio & solatio nobis est, quod nemo (loquor autem de Græcis, Pontificiis, Protestantibus) baptismum, lavacrum illud regenerationis, repudiat aut ipsam ejus, ut sic loquar, essentiam labefactat, aut infantibus recens natis denegat: sicut è contra maximo est cordolio, alterum Sacramentum, quod tesseram mutuæ caritatis Servator noster esse voluit, fraude Satanæ & hominum sive vecordia sive improbitate in materiam asperrimæ litis & acerbissimi odii vertisse, *Mox interserit hæc verba Marci Antonii de Domi-*

Dominis lib. 7. de Republ. Eccles. cap. 11. n. 8. Omnes & Pontificii & Lutheri & Calvini discreti sectatores in eo convenimus circa sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, nobis in eo verum ac reale Christi corpus vere & realiter exhiberi. Cur ergo in hoc non sistimus omnes? Cur hic terminum dissensionum non collocamus? Cur ad modum ineffabilem, mirabilem & occultum, nobisque penitus ignotum & quem Christus ipse nos latere voluit, tam audacter descendimus, ut, qui cum nostra insipientia non desipiat, eum à caritate & communione religiosa & catholica excludamus? Hic est tam atrocis & periculosæ dissensionis facillimus modus sopiendæ, ut omnes veritatem corporis Christi in sumenda Eucharistia exhiberi uno ore fateamur, & circa modum, quo fiat hæc exhibitio, quippe ineffabilem & inexplicabilem, nobis omnibus silentium perpetuum indicamus; & ex hac dissensione schismata coalita exstinguamus. Stemus in solo QUOD SIT, nempe verum Christi corpus in Eucharistia exhiberi; Verba Scripturæ ut sunt & jacent, retineamus; QUOMODO res sit, ne investigemus anxie. Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se; ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax. Cur ergo dicente Christo, HOC EST CORPUS MEUM, nos addamus, est corpus per transsubstantiationem, consubstantiationem, figurative duntaxat, & non realiter; fide percipiendum & non ore, &c. Hoc est addere sermoni Dei, unde facile arguamur & mendaces inveniamur. Cur ob ista nostra addita contendamus, ut schismate ecclesiam dividamus? Idem corpus Christi omnes comedimus; sed modum, quo id fiat, omnes ignoramus. *Iidemque immediate subjungit:* Utinam sano & recto consilio omnes obtemperent. *Et post pauca lit. E. 4. f. b.* Speramus tamen & optamus, si fides, qualem ante descripsimus, (descriptio illa mox repetetur, & hic quoque recitabitur) sibi constet, Deum ex immensa misericordia & propter Christum, in quem creditur, errores ejusmodi, qui per ignorantiam hactenus insuperabilem & inopiam melioris informationis excuti nondum potuerunt, benigne condonaturum, qvum ad supplicium non imputet, si qui potiundi opportunitate destituti Sacramento penitus priventur. Non est itaque tanta necessitas utendi Sacramento, aut etiam legitime & perfecte utendi, quanta est necessitas recte credendi. Unusquisque autem caveat, ne operam quærendi, quanta ingenii & conditionis, qua vivit, ratione habita, exigi merito possit, in se desiderari patiatur; maxime vero, ne studia partium vel sua compendia cogni-

tæ

tæ veritati anteponat. Indignum se reddit favore numinis, qui quod falsum esse novit, suffragio vel testimonio suo fulcit, quamvis de re agatur non maximi momenti & in quotidiano commercio posita.

54. Sacramentorum neque natura neque numerus è Scriptura aut Veterum consensu colligi potest, nedum firmiter probari.

Georg. Calixt. in cit. Resp. adv. Mogunt. §. 103. Certum est, quid Sacramentum sit vel quid proprie Sacramentum constituat, & proinde quot vere & proprie Sacramenta sint, ex Scriptura non posse colligi. *Iterum in Consideratione doctrinæ Pontif. juxta Concil. Trident. Ad Sess. VII. §. 1.* Definitus Sacramentorum numerus nec Scriptura probari potest, nec consensu Veterum.

55. In baptismo infantes in gratiam recipiuntur vel vi operis, quo iis ille confertur, vel quod aqua beneficio institutionis, non quidem physica, virtute tamen causæ instrumentalis moralis ad regenerationem concurrat, vel voluntas parentum offerentium interpretative se habeant, eorundemque fides infanti imputetur, atque adeo hac fide perinde qua adulti hereditatem cælestem consequantur.

Georg. Calixt. in Not. ad Concil. Trident. Sess. 7. Ex opere operato si accipiatur ita, ut sit idem, quod interventu & virtute operis juxta Christi institutionem peracti, tum verum est, Sacramenta hoc modo habere quendam sibi proprium & immediate unitum effectum, v. g. regenerationem infantum per Baptismum. Adulto tamen, fide & pietate ac internis animi in Deum motibus destituto, ULTERIORA gratiæ dona non conferunt. Est quidem Phrasis, ex opere operato, valde exosa, sed si exponatur, ut sit idem, quod ex vi operis, juxta Christi institutionem ac mandatum peracti, tolerari potest. *Disp. de Baptismo Respondente Brandano*

dano Delrio §. 185. lit. P. 2. fac. b. Quemadmodum ſerpente Deus utebatur ſic & baptiſmo utitur, nempe tanquam inſtrumento morali, non phyſico & naturali. *Et §. 122. & ſeq.* Si Adultis, quod Auguſtinus & poſt illum nemo non concedit, ſufficit ſucipiendi baptiſmi votum & deſiderium, eoque interveniente, quamvis baptiſmo privati, ſalvantur, pariter de infantibus ſtatuendum, illis ſufficere ſimile votum & deſiderium, quod licet in illis per ætatulam nondum fuerit, in fidelibus tamen parentibus non defuit, qui liberos ſuos baptizari nunquam non deſiderarunt. Et hoc deſiderium, hæc voluntas parentum ad prolem eorum interpretative pertinebit. Quemadmodum enim juris naturæ eſt, ut infantes, quamdiu tales ſunt, tamquam partes habeantur ſuorum parentum, & quod eorum nomine parentes agunt aut promittunt, in ipſorum cedat commodum, & non minus ratum habeatur quam ſi ipſi egiſſent aut promiſiſſent: ita in caſibus neceſſitatis circa hoc baptiſmi negotium liberi voluiſſe putantur, quod parentes voluerunt, Deoque tacitis votis ſunt polliciti. Nam cum infantibus, qui re ipſa baptizantur, Eccleſiæ, parentum, aliorumq; baptiſmo eos offerrentium voluntas, propriæ voluntatis loco imputetur; cur non itidem quod infantes baptiſmo deſtinatos, ſed morte præreptos attinet, eccleſiæ & parentum voluntas inſtar ſuæ ipſorum voluntatis habeatur? Si, inquam, infantibus proprio voluntatis actu deſtitutis ad baptiſmum in re ſuſcipiendum ſufficit voluntas, quam diximus, Eccleſiæ & parentum; cur non iisdem pariter ad baptiſmum in voto ſuſcipiendum ſufficiat? Denique ſi perpendamus voluntatem illam Dei, qua promptum ſe oſtendit ad ſervandos omnes homines, primi parentis lapſu non obſtante, neceſſum erit, ut ſtatuamus Deum quoque ejusmodi infantes ante baptiſmum mortuos ſervatos velle, iisque ut omnibus aliis ſervandis ſufficiens medium ordinaſſe. Tale vero medium, quo ſervari infantes queant, nullum aliud ab hominum parte dari poteſt, præter hoc unum, quod in parentum deſiderio ac voto collocatur. *Et §. 171.* Infantes vero nec intelligere nec fari valentes interrogare, abrenunciationem & fidei profeſſionem eos poſcere, ab aliis autem reſponſa exſpectare, non ſtatim ineptum ac otioſum videatur. Actus enim parentum, ſuſceptorum, aliorumque, infantes baptiſmo ſiſtentium, fiunt actus infantum, & Eccleſia, cujus brachiis ad Chriſtum deferuntur tenelli, illis cor quaſi commodat ad credendum, aures ad audiendum, intellectum ad capiendum, lingvam ad reſpondendum. Quomodo enim tutor cauſam pupilli ſui plane infantis

 agit;

agit; loco ejus interrogatus respondet vel negando vel affirmando, illique ignoranti hoc modo prodest in foro: sic in ecclesia & causa salutis animæ prodesse potest infanti, quod per spiritualem tutorem seu confitendo seu negando ejus nomine agitur, credit hoc modo infans, ait, negat per susceptorem & vicissim susceptor infanti credit, id est ad ejus utilitatem & bonum. Quemadmodum igitur in foro post tutoris confessionem & omnia recte defensa lis secundum pupillum datur, ita post fidei professionem & diaboli abnegationem infantis nomine a susceptore tanquam tutore factam, infans per baptismum in Ecclesiam Christi adoptatur & jus capit æternæ hereditatis cernendæ. *Denique* §. *193.* Hunc Spiritum Sanctum dicimus non solum operari posse, sed revera in infantibus baptizatis operari, ut capaces & compotes fiant gratiæ divinæ, remissionis peccatorum, υἱοθεσίας & juris adeundæ hereditatis cœlestis, quæ per fidem, quam adulti habent, impetrantur. Quo sensu si quis infantes dicere velit actu vel effectu fidei habitum habere, dicturus id est nobis non repugnantibus. *Conf. Zeidler. in C. lleg. Controv. Sect. 2. th. 7. §. 9.*

56. Adeo perspicuum est, ab Evangelista Johanne cap. VI. de Eucharistiæ Sacramento agi, ut quid in ea, quomodo & in quem finem accipiatur, tradi apertius haut queat.

Georg. Calixtus in Harm. Evang. l. lib. 5. cap. 2. p. 208. Certum autem est, nisi Sacramentum à Servatore institutum foret, omnia de Spirituali manducatione accipienda fuisse, ut ita fides ipsa per Metaphoram & secundum Analogiam vocetur comestio & bibitio, corpus & sangvis Christi, utpote objectum, cibus & potus dicantur; Sed quoniam à Servatore postea instituta est Eucharistia, & quod in ea accipitur, & quomodo accipitur, & in quem finem, hic tam planis, perspicuis & disertis verbis proponitur, ut si quis data opera de Eucharistia aperte loqui velit, loqui apertius non possit, ea propter hæc ipsa verba de Eucharistia intelligenda esse judicarunt. Nam si de ea accipiuntur, propria omnia sunt, non Metaphorica; ubicunque vero proprius sensus locum habere potest, ad Metaphoras delabendum non est, &c. *In Dissert. de Commun. sub una §. 78 pag. 144.* Sicut legislatoris est determinare res sumendas, ita quoque modum sumendi, ut, sicut illæ quæ sint, è verbis ejus cognoscimus, ita quoque istum ex iisdem discamus: tantum abest ut liceat intro-

introducere modum verbis non modo non indicatum, sed cum illis pugnantem. *Pag. seq.* Ad posterius respondeo, Servatorem, qvum, ex quo cœperat Eucharistiæ instituendæ mentionem facere, quod fit versu LIII. quater cœnam & sangvinem, esumque & potum conjunxisset, tandem versiculo LVII. tamquam de re jam satis exposita per compendium sive synechdochice loqui, & solum esum memorare. *Et vicissim:* Ergo si locus hic Sacramentum Eucharistiæ concernit, uti pertendunt doctores pontificii, neque nos inficias imus; necessitas tam bibendi quam edendi demonstrata est. *Iterum* § *seq.* Sed nos imprimis & præcipue institutionem, utpote vernaculum & germanum principium, juxta quod, & quid de hoc Sacramento credendum, & quomodo peragendum, statui oporteat, urgemus. E qua & illis, quæ ante dicta sunt, argumentum formare & contra Pontificiorum objectiones defendere in proclivi est. Dreier in der Erört. *pag. 597. & seq.*

57. *Sacra Cœna sacrificium memorativum & quidem tam pro mortuis quam pro vivis sensu laxiori dici potest.*

Georg. Calixt. Disp. de Sacrificio Christi. §. 46. Reperimus, quod jam ante proposuimus, nempe qvum gratiarum actiones & preces sacrificia sint, in sancta Eucharistia sive Missa, quæ gratiarum actiones & preces, quales diximus, complectitur, insigne admodum ejus generis sacrificium occurrere. Quin Deum patrem per Christum Christique mortem & meritum obtestari & precari nihil est aliud, quam Deo Patri Christum Christique mortem & meritum offerre. In Missa itaque Deo Patri suus Filius, Filiique mors, quæ verissimum est sacrificium, offertur; & quidem, ut ex iis, quæ hactenus prolata sunt, constat, pro vivis & pro defunctis. § 47. Dices: si quando patrem per Filium precamur, Patri Filius offertur; consequens erit non modo in Eucharistia offerri, sed in quibusvis precibus, etiam præter & extra Eucharistiam. Respondeo & concedo, omnino etiam citra Eucharistiam offerri. Addo autem in Eucharistia peculiarem deprehendi rationem, quæ in precibus extra eam non occurrit. Nempe consideranda est præsentia corporis & sangvinis Domini Eucharistiæ propria. Non igitur, ut in aliis precibus, nude & simpliciter Christum offerimus, sed respicientes ad eam præsentiam, quasi præsentem offerimus. Et hoc est Sextum, cujus intuitu in Eucharistia sive sacrificium esse, sive Christus, Christique corpus pro

Bbb bbb bb 2 nobis

nobis traditum, & ſangvis pro nobis effuſus offerri recte pronunciabitur. §. 48. Septimo itaque quoniam in Sancta Euchariſtia præſens eſt & accipitur corpus ac ſangvis Domini; præſens quoque eſt & accipitur idipſum, quod olim in cruce ſacrificium fuit: nempe idem corpus, quod pro nobis in mortem traditum, & idem ſangvis, qui pro nobis in remiſſionem peccatorum effuſus. Ergo ſi ſacrificium materialiter capimus, eſt in Euchariſtia idem numero ſacrificium, quod fuit in cruce, ſive res & ſubſtantia prorſus eadem: eadem, inquam, victima ſive hoſtia. §. 97. Dices, Juſſit Dominus Euchariſtiam in ſuæ mortis commemorationem celebrari, non juſſit nos, dum hoc agimus, Patrem per hanc ipſam mortem precari, ſive eam Patri precibus offerre. Reſpondeo, nullo in hunc finem peculiari mandato opus fuiſſe, qvum ad fundamenta Chriſtianiſmi pertineat, & ignorare nequeat, quicumque fidelis eſt, ſe, quandocumque mortis Domini meminit, tum demum recte & pie meminiſſe, ſive ejus memoriam ut Chriſtianum decet, recolere, ſi fide amplexus & innixus per eam Deum remiſſionem peccatorum oret, ſive, quod idem eſt, ſi vera & viva fide Patri Filium ſiſtat & offerat, vel inter Patris iram & ſua peccata filii meritum & mortem ponat. *Et paulo poſt:* Intereſt quoque recordationi eamque comitanti precationi citra Sacramentum factæ, & alteri, quæ fit, quando Sacramentum peragitur, quod hæc conjuncta eſt cum reſpectu ad præſentiam corporis ſangvinisque Domini, & ad ſymbolicam mortis ejus repræſentationem, illa non item. §. 99. Eſt quidem memoratio, eſt precatio citra & extra ſanctiſſimum hoc Sacramentum. Quia vero in eo præſens exhibetur corpus, quod morti traditum fuit, ſangvisque qui effuſus, & præterea ſymbolicis ſive ſacramentalibus actionibus traditio corporis & effuſio ſangvinis figurantur; ideo veteres memorationem huic ſacramento peculiarem, ſacrificium memorativum, precationem autem oblationem appellare amant: utroque illo vocabulo non proprie & ſtricte, ſed improprie & late accepto. §. 120. Hoc modo Miſſam & Sacramentum Euchariſtiæ ſacrificium memorativum eſſe, ſive ſacrificii, quod in cruce Servator obtulit, quando cum ſacris ſymbolis corpus ejus editur & ſangvis bibitur, memoriam peragi, noſtri qui reformationis cupidi in opinionem operis operati, ſi non theoreticè, practicè tamen apud Pontificios paſſim regnantem, & Miſſas ſolitarias (de quibus alias) & ſubtractionem calicis acriter invecti ſunt, non negarunt. §. 126. Sane ſacrificium, quale in Miſſa eſſe concedimus, non eſt ita nuda commemoratio ſacrificii in cruce peracti, ut non adſit ipſa in cruce oblata

victima.

victima, corpus videlicet & sangvis Domini: nec ita est nuda commemoratio, ut nullus inde sperandus sit fructus & effectus spiritualis; nec ita nuda, ut præter laudes & gratiarum actiones non adjungantur recte preces ad eum modum conceptæ, de quo jam ante multa diximus num. 73 & seqq. denique num. XCVI. Et hoc fuerit Christum pro vivis & mortuis offerri, ut ibi expositum. *§. 113.* Juxta hos igitur interpretes, offerre Patri suum Filium, est Patrem per Filium pro nobis mortuum, precari, obtestari. Quod si umquam alias certe dum sancta Eucharistia celebratur, rectissime fit. *Denique in Apol. adv. Buschcrum part. 2. §. 10. fin. & init. seq.* Das meynen die Unsrigen / wenn sie sprechen / daß der HErr Christus nicht allein für die Lebendigen / sondern auch für die Todten bey der Handlung des heiligen Abendmahls geopffert werde. Daß nun diß der alten Väter Meynuug gewesen / solches wird von D. Calixto vermittelst ihrer eingeführten Wort und Zeugnissen beygebracht und erwiesen; zugleich auch gestanden und nachgegeben / daß solches Christlich und unverwerfflich sey.

58. *Sicut animæ piorum ante diem Judicii plenaria & perfecta beatitudine nondum fruuntur: sed eandem adhuc in tranquillitate læta spe & intensissimo desiderio expectant: ita animæ impiorum horrore judicii & pœnarum terrentur, iis autem post consummationem demum seculi cruciabuntur.*

G. Calixt. Disp. de Igne Purgator. §. 7. Verum & huic opinioni sacrosanctæ Scripturæ contrariantur, imprimis doctrina de extremo judicio, quod omnes Christiani exspectant. Id vero frustra & sine causa instituetur, si jam tum ante illud animabus perfecta & consummata vel beatitudo vel damnatio obtingeret; martyres effusi sangvinis sui vindictam à Domino postulantes, requiescere jubentur adhuc paullum, donec conservi eorum sive numerus conservorum compleatur. Ergo ante expletum numerum Martyrum & quamdiu adhuc supersunt, sangvinem pro veritate doctrinæ Christianæ fusuri, nondum fruuntur consummata beatitudine primo defuncti, sed eam exspectant. Similis locus est in epistola ad Ebræos XI. 39. *Hi omnes,* inquit Apostolus (intelligit autem fideles, qui hactenus mortui fuerant) *non obtinuerunt promissum illud, quoniam DEUS de bono potius quiddam providerat, ne absque nobis consummarentur.* Qui

non obtinent promissum (hoc est, promissam salutem) antequam omnes fideles Novi Testamenti consummentur; vel, ut brevius dicam, qui cum omnibus fidelibus & justis Novi Testamenti sunt consummandi, illi ante extremum diem consummatam beatitudinem non asseqvuntur. Atqui fideles Veteris Testamenti una cum fidelibus ac justis Novi Testamenti sunt consummandi. Ergo. Summa: Apostolus divinitus esse decretum asseverat, ut omnes fideles simul & junctim consummentur: omnium vero consummatio ante novissimum diem fieri nequit. *Et Tract. de Pactis* §. 17. Videtur itaque, quod animas separatas attinet, ita fere se habere, quemadmodum se habet, quod attinet electos, ad capessendum regnum & destinatos supplicio. Illi dummodo sint electi, etsi nondum sint coronati, etiamsi nondum in manus traditum sceptrum & regnum acceperint, in honore tamen coronandis congruo habentur & tractantur, sicut decet regnaturos: isti vero in carceribus miseram vitam agunt, & metu imminentis supplicii torquentur. *Horn. part. 2. Disp. Theol. 6. Sect. 1. §. 24. p. 647.* Sicut autem testimonia S. Scripturæ, quibus exitus fidelium & piorum ita describitur, ut ii nunc statim ad meliorem vitam transire, nunc diem illam judicii expectare dicantur, facile inter se conciliantur, si media quasi via inter duo extrema incedamus, ut animas eorum statim post excessum ad Christum venire, i. e. in refrigerio & quiete esse, jamque cœlestis illius beatitudinis ἀῤῥαβῶνα, cum certa totius illius suo tempore consequendæ expectatione habere, ipsam autem illam seu integram & plenam ejus possessionem in extremo die adipisci dicamus; sic etiam Patrum illa dicta eodem modo in concordiam facile reducuntur. Quemadmodum autem de beatitudine piorum res se habet, ita etiam de cruciatibus & tormentis impiorum sine omni dubio comparatum est. *Joach. Hildebrand. in Discurs. MSS. ad Colleg. Controversiar Quæst. 14. in fin.* Neque enim de statu animæ separatæ multum constat; & cum anima separata nondum sit in plena beatitudine nec in consummata gloria, augeri & minui illa beatitudo inchoata potest; precibus ergo nostris forte effici potest, ut his, quibus jam erat bene, sit melius. &c. Usum forte preces illæ habent ad leniendum rigorem examinis, quem piissimi quoque formidarunt, & magno illo die peragetur; nam in illo adhuc locus aliquis erit misericordiæ, 2. *Tim. 1. v. 18.* & in litania canitur: Am Jüngsten Gericht hilff uns lieber HErre GOtt. *D. Chr. stian.* Dreier *in Progr. Pasch. A. 1657. B. 1. b. lin. 19.* Gustant animæ prima fercula: sed plene saturabuntur cum expergiscent. *Zeidler. in Colleg. Controv. sect. 2. th. 10.* §. 2. Consummata gloria non potiuntur.

THESES

THESES
D. MELCHIORIS ZEIDLERI,
Professoris Theologi Regiomontani,

de

CONTROVERSIIS IN ECCLESIA NOSTRA EXORTIS.

Desumtæ ex

B. CHRISTOPHORI HARTKNOCHII,
Lib. II. Hist. Eccles. Prussicæ Cap. 10.
pag. 634. & seqq.

SECTIO I.

De Controversiis Rationem fidei & Theologiæ in genere ac normam utriusq; concernentibus.

Th. I. Aliud est fides aliud cognitio strictè sic dicta.

II. Idem, quatenus idem, ab eodem simul credi & cognosci non potest.

III. Fides non est opinio strictè sic dicta, sed firma ac immota animi assensio.

IV. Symbolum Apostolicum ipsos Apostolos habet Auctores.

V. Symbolum Apostolicum comprehendit omnia, quæ unicuique ad salutem per se creditu sunt necessaria.

VI. Conclusiones ductæ ex iis, quæ per fidem apprehendimus, quatenus inde deducuntur, ad fidem non pertinent sed cognitionem.

VII. Datur Scientia Theologica propriè sic dicta.

VIII. Scientia Theologica non est una sed multiplex.

IX. Principium decidendarum controversiarum Fidei pariter & cognitionis seu Theologiæ est Scriptura Sacra, non tamen qualitercunque, sed in sensu suo genuino, hoc est, Apostolico & Catholico accepta,

X. Ad

X. Ad dignoſcendum Canonem omnino neceſſarium eſt teſtimonium Eccleſiæ.

XI. Scriptura in quibusdam locis plures habet ſenſus non ſolum myſticos ſed etiam literales.

SECTIO II.

De Controverſiis pertinentibus ad Theologiam moralem.

Th. I. Studium ſanctimoniæ recte dicitur ad ſalutem eſſe neceſſarium, ut conditio ſive cauſa ſine qua non, dummodo recte intelligatur.

II. Imago DEI conſiderata ut principium actionum bonarum ſpiritualium, donum fuit etiam in primo homine non naturale ſed ſupernaturale.

III. Peccatum Originis formaliter non eſt poſitivum quid, ſed privativum.

IV. Peccatum Originis ſub novo fœdere non eſt cauſa adæquata damnationis.

V. Exerit ſe etiam in ipſa converſione hominis liberum ejus arbitrium. Aſt actus ſpirituales, quos edit, non ex principiis ſcil. naturalibus ſuis edit viribus, ſed ex viribus novis à gratia Spiritus S. conceſſis.

VI. Certus eſſe poteſt homo vere fidelis & pius de ſalute ſua, non tamen certitudine abſoluta, ſed ex parte hypothetica.

VII. Sunt & infantes fidei ſalvificæ capaces, non tamen ejusdem planè ea per omnia in illis eſt rationis cum fide adultorum.

VIII. Judæi hodierni & Mahumedani non ſunt Idololatræ proprie dicti.

IX. Judæi ſub Veteri Teſtamento non invocârunt DEUM ut Patrem ea ratione, qua Credentes ſub novo fœdere eum ut Patrem invocant, ſed nec adeo diſtincte & explicite in nomine Chriſti orarunt, atque hi orant.

X. Preces pro defunctis jure in Eccleſiis noſtris retinentur.

SECTIO

SECTIO III.

De Controversiis pertinentibus ad Theologiam Mystagogicam.

Th. I, Dicere quod verba Institutionis Eucharistiæ, hoc est corpus meum, hic est sangvis meus, plures admittant sensus probabiles, absurdum non est.

II. Panis in Eucharistia proprie fit corpus Christi, non per unionem, sed per mutationem.

III. Sanctam Eucharistiam, seu, ut vocabulo Ecclesiastico utamur, Missam, sacrificium suo modo esse negari non potest.

SECTIO IV.

De Controversiis ad Theologiam Oeconomicam pertinentibus.

Th. I. Christus homo ubique præsens est, vi unionis personalis, sed & dominatur ubique per carnem Divinitati ejus ad modum Organi, conjunctam. In substantia interim carnis, in qua in cœlum ascendit, ubique præsens esse nequit.


II, Christus ad inferos descendit, non secundum corpus, sed secundum solam animam.

SECTIO V.

De Controversiis ad Theologiam simplicem pertinentibus.

Th. I. Mysterium Trinitatis sub V. Testamento, saltem implicite à plerisque fuisse creditum rectè dicitur, dummodo recte intelligatur.

II. Beatitudo futuri Seculi potissimum consistet in visione Dei, quæ tamen oculis perficietur non corporis sed mentis seu intellectus.



APPENDIX
AD
ARTICULUM IV.
DE
ERRORIBUS SYNCRETISTICIS
HEINRICI NICOLAI.

HEinricus Nicolaï natus A.1605. d. 7. Maij patre plane ejusdem nominis Secretario Reipublicæ Gedanensis, post annos sedecim, Gymnasio patrio ob pestiferam luem ea tempestate clauso, in Academiam Wittebergensem missus est; triennio ibi exacto, cum Disputationem, de Actionibus Magicis conscripsisset, eamque præside Jacobo Martini publice habuisset, Lipsiam se contulit, atque ibi Heinrico præsertim Höpfnero, Philosopho & Theologo insigni percharus fuit; Inde porro Jenam profectus Johanni quoque Gerhardo se probavit. Hinc Norimbergam, Altorffium, quin & Ingolstadium adiit, ut cum solidioris doctrinæ politiorisque literaturæ viris colloquia institueret. Reversus Marpurgum exercitiis Academicis frequenter institutis supremos in Philosophia honores adeptus est. Inde porro iter Francofurtum ad Mœnum, Moguntiam, Coloniam Agrippinam, Dusseldorpium, Rheinbergam, Arnheimium, Trajectum, Lugdunum, Amstelodamum, Franequeram, Gröningam instituit, non tam visitandarum urbium gratia, quam ut statum passim Academiarum oculis usurparet, & cum viris doctis sermones misceret, quemadmodum à Maccovio præcipue & Amesio benigne se exceptum prædicare solitus est. Ex inferiori Germania reditum in patriam meditatus Hamburgum appulit, Lübecam porro contendit, in Academia tamen Rostochiensi per triennium hæsit, & Cothmanno, Tarnovio, nec non Quistorpio familiariter usus est. Reverso denique in patriam, Philosophica professio, quam ante Andreas Hoyerus SS. Theolog. Licent. morte sua vacuam reliquerat, Anno 1630. ei demandata est, atque hactenus illi omnia quie-

ta,

ta. Cæterum cum A. 1645. Colloquium Thorunienſe inſtitueretur, temere huic negotio edito *Irenico* ſe ingeſſit; non poterant enim eum latere lites inter Theologos Regiomontanos, quæ de Syncretiſmo ibi agitabantur, & à quibus partibus Miniſtri Eccleſiæ Dantiſcanæ ſaltem præcipui ſtarent. Senatus ergo ſedulo cavens, ne non tam veteres controverſiæ in articulis fidei componerentur, quam novæ potius excitarentur, Miniſterii Eccleſiaſtici judicium ſuper hoc Irenico expetiit; Iſtud vero inter alia capita hæc præcipue annotarat: quod Lutherani pariter atque alii Sectariorum nomine appellarentur; quod Conſenſus primitivæ Eccleſiæ norma diceretur, ſecundum quam lites dijudicandæ eſſent; quod conſequentias è dictis Scripturæ duci Autor nollet, & de his quæ in controverſiam venerint, verbis tantum in Scriptura Sacra frequentioribus loquendum exiſtimet, atque ſufficere putet credere, quod Chriſtus ſit unigenitus Dei Filius, &c. Iſtud vero judicium Theologorum ut primum in manus Heinrici Nicolai per amicum quendam venit, mox ille Reſponſionem paravit, eandemque typis alibi locorum exſcribi permiſit. Excuſavit quidem factum primo, quod neſcierit, judicium illud profectum fuiſſe à Miniſterio Dantiſcano; deinde vero, ſe neſcio Reſponſionem ſuam typis divulgatam eſſe. Verum reſpondit ad hæc D. Joh. Botſaccus: Judicium iſtud illi à nemine, niſi à membro quodam Senatus communicari potuiſſe; facilem itaque fuiſſe conjecturam, illud profectum à Miniſterio Dantiſcano; deinde oſtendi poſſe, quod idem ipſe exempla nonnulla Irenici illius defenſi inter amicos diſtribuerit, nonnullis miſerit, vendiderit. Abrah. Calovius Gymnaſii eo tempore Rector, qui juxta eum habitabat, omnem operam impendit, ut illum in viam reduceret; verum Henricus Nicolaus illud officium neglexit, & ad ea quæ illi objiciebantur, perparum reſpondit. Ea res vero quando colloquiis diſcuti debuit, partim injuriam ſibi fieri conqueſtus eſt, partim vero heterodoxias iſtas ſtuduit defendere; adeo ut nulla ratione à ſententia ſua deduci potuerit. Præcipue vero A. 1649. tentatum eſt, utrum controverſia illa inter Miniſterium Eccleſiaſticum & Heinricum Nicolai amice poſſet componi? Sed in eo negotio, etſi omnem operam & laborem Calovius impendebat, fruſtra tamen omnes illi conatus fuere. Idem nimirum diſerte Hardknochius Lib 3. Hiſt. Eccleſ. Pruſſicæ pag. 839. fin. Inſonderheit iſt A. 1649. zwiſchen Jhm und dem Miniſterio verſucht worden / ob die Sache nicht könte vertragen werden? Ob aber gleich inſonderheit D. Calovius ihm ſolches

höchst hat lassen angelegen seyn/so ist doch dieses alles fruchtloß abgegangen. Tandem vero quod studiis perpetuisque meditationibus corporis vires admodum confectæ essent, (prout Dilgerus quidem refert, in Conc. fun.) Senatus munere eum exsolvit; honorarium tamen ei constituit, quod utique numeratum, nisi A. 1651. ad Professionem in Gymnasio Elbingensi vocatus fuisset; Sed cur Senatus, quærat aliquis, dimisit eum, cum nondum petiisset se dimitti? qua specie confectæ laboribus vires obtendi potuere, cum anno mox sequenti in Elbingensi illo Gymnasio non Philosophicam tantum, sed etiam Theologicam Professionem in se susciperet? Probabilius ergo est, quod Calovius in principio Discussionis Nicolaitanæ Exercitationis Apologeticæ asserit, nempe Heinricum Nicolaum munere suo abire jussum, quod posthabito interdicto Senatus defensionem Irenici prælo subjicere ausus fuerit, & cum operæ Typographicæ sisterentur, atque exemplaria superiorum autoritate prohiberentur publicari, ille nihilo secius post exigui temporis decursum, Scriptum illud integrum divulgari curarit. Cæterum Elbingæ receptus omnibus modis id egit, ut *Irenicum* istud porro defenderet; Ideo enim Exercitationem edidit Anno 1652. de *Non liquendo*, illis scil. in controversiis, quæ adeo abstrusæ essent, ut nihil in iis certum determinari possit; anno seq. Exercitationem de *Medio religioso* seu media quadam via eligenda, cum partes in religione diffidentes utrobique in excessu peccarent; nec non eodem anno 53. de *Conciliatione enunciationum*, qua dissolvere nititur pleraque argumenta, quæ moliminibus Syncretisticis hactenus fuerant opposita. Anno 1654. edidit Socinianorum in gratiam *Methodum Trinitatis*, ut nimirum, sicut titulus promittit, controversia de Trinitate compendiosius tractari, superflua & subtilitates resecari, cunctaque ad antiquitatem & simplicitatem Apostolicam reduci possent. Anno porro 1657. *Exercitationem Apologeticam pro illa Methodo Trinitatis* edidit, quam Calovius Theologiæ jam Professor in Academ. Wittebergensi in Vindiciis Considerationis Arminianismi, una cum *Quadrigato expenso* eodem anno adv. eundem nominatim edito discussit. Cum vero Serenissimus Princeps *Adolphus Johannes* Palatinus Rheni, Palatinatuumque Borussicorum supremus Director ac militiæ Svecicæ Generalissimus Quadrigatus illus exemplaria ad Fiscum anno seq. 58. publico edicto revocasset; mox Serenissimus Elector Brandeburgicus Fridericus Wilhelmus svasu Syncretistarum in Academia Regiomontana titulum Consiliarii Ecclesiastici eidem attribuit.

tribuit. Tandem ergo Heinricus Nicolai ut odio se plurimorum & istis controversiis liberaret A. 1658. Dantiscum reversus est & colloquium cum Ministris Ecclesiæ illius expetiit; si forte assertionum suarum commodiori declaratione cum iis posset reconciliari. Etsi vero Anno 1648. & sequente Colloquium de iisdem Controversiis, non tantum sine omni fructu, ut diximus institutum, & ea res potius ab Heinrico Nicolai ad vehementiores altercationes deducta erat: ne tamen negasse Theologi Dantiscani viderentur, quod æquitatis aliquam speciem habere posset, articulos aliquot ad eum miserunt, ut de his mentem suam rectius explicaret, vel errorem confiteretur. *Primus* erat de turbis in Ecclesia Dantiscana excitatis, & dato longe lateque in ista vicinia scandalo. *Secundus* quod à Confessionibus Ecclesiæ Evangelicæ publicis defecerit, & Symbolum Apostolicum latibulum errorum vocare non fuerit veritus. *Tertius*, quod contra tertium Augustanæ Confessionis articulum divinitatem Christi abnegarit, eundemque dubitarit profiteri summum esse & altissimum patrique coæqualem DEUM. *Quartus*, quod divinitatem & subsistentiam Spiritus S. cum Socinianis & Arminianis in dubium vocarit. *Quintus*, quod Syncretismum cum Pontificiis, Calvinianis, quin & Socinianis ineundum svaserit, eorundemque hostium argumentis Ecclesiam orthodoxam oppugnarit. Ad *primum* respondit eodem modo, prout supra jam retulimus, negando sc. Irenicum defensum se conscio esse editum. Ad *secundum*, licet quædam Scripturæ loca alia ratione explicarit, non se tamen discessisse à libris Symbolicis, neque Symbolum Apostolicum latibulum errorum à se appellatum, nisi quatenus ad palliandos errores à nonnullis depravaretur. Ad *tertium*, se non oppugnasse Trinitatem, ast quædam tantum pro illa argumenta afferri solita rejecisse, verba quoque de summo & altissimo DEO ad primum tantum Augustanæ Confessionis articulum pertinere. Ad *quartum* quod non negarit divinitatem & personalitatem Spiritus Sancti, sed litium componendarum gratia abstinendum saltem putarit à vocabulo personæ. Ad *quintum*, quod pacis autor inter dissidentes extiterit, non vero retentis erroribus eosdem in gremium Ecclesiæ recipiendos existimarit. Senior autem Ministerii D. Joh Botsaccus regessit ad *primum*, Non posse negare Nicolaum, quod Autor extiterit Irenici defensi, illudque disseminarit atque vendiderit. Ad *secundum*, Eundem à libris Ecclesiæ Lutheranæ Symbolicis defecisse prolixe jam esse probatum in Vindiciis adversus illum scriptis, appro-

bare quoque Auguſtanam confeſſionem in Articulo de Trinitate vocem perſonæ, à qua Nicolaus abſtinendum ſvadeat. Ad *tertium*, quod Nicolaus in Exerc. Apologetica dicat filium dependere à patre, neque profiteatur eundem ſummum, ſed tantum Deum ſubordinatum. Ad *quartum*, Nicolaum terminum perſonæ vocare tricoſum, & in hoc ſubſiſtendum ſvadere, quod Spiritus S. in DEO ſit, vel aliquid DEI. Ad *quintum*, Nicolaum in Exercitatione Apologetica iis uſum argumentis, quibus Sociniani adverſus orthodoxos uti ſolent, Scepticiſmum Exercitatione de non liquendo inducere, ut Syncretiſmum promoveat. Anno autem exeunte hujus ſeculi ſexageſimo, cum Heinricus Nicolai adhuc Dantiſci commoraretur, vitæ ſibi finem imminere ſentiens ultimo Natalitiorum Chriſti die M. Dilgerum Eccleſiaſten in æde Parochiali præcipua ad ſe accerſi petiit. Admonuit vero Dilgerus non jam ſolum de tota vita, ſed de libris quoque à ſe editis DEO rationem reddendam eſſe. Excipiebat Nicolaus: multa ſibi affficta, quæ nunquam in mentem illi veniſſent. Regerebat Dilgerus: Licet fortaſſis id factum eſſet in aliquibus, non dici tamen poſſe de omnibus, cum ſatis manifeſte plurima in Scriptis ſuis à vera fide aliena defendat. Replicabat Nicolaus, non id ſe feciſſe ex intentione prava; neque poſſe ob imbecillitatem virium plura loqui. Reſpondit Dilgerus: operibus liquido pravis non poſſe prætexi intentionem bonam, rerum vero illarum neceſſitatem requirere, ut animi ſui ſenſa apertius profiteatur; quod ſi enim ſerio de admiſſis pœniteret, ſperare ſe, futurum ut DEUS illi vires ad loquendum concedat, quo cum Eccleſia conciliari poſſit; admonebat itaq; ne pœnitentiam differret, ſed agnoſceret, ſe defendendæ ſententiæ ſtudio ab illius Eccleſiæ dogmatibus, à qua ſolatium & cum qua communionem peteret, nimis longe receſſiſſe; Quare, inquit Nicolaus, ſi in ſcriptis meis à vero nonnunquam deflexi, *rejiciatur* iſtud. Verum non id ſufficere Dilgerus monuit, ſed agnoſcere Nicolaum debere, quod errarit: neque aliis committendum hoc, ut illi errores rejiciantur; ſiquidem id dudum factum: ſed ipſum Nicolaum, ſi digne Sacra Cœna uti velit, errores ſuos rejicere & damnare debere. Ita eſt ſane, reſpondit Nicolaus: *Rejiciantur ergo*, atque ingemiſcens addidit: Eſto quæſo DEUS mihi peccatori propitius. Hoc viſo & audito Dilgerus ſolatia ei rurſus ingeſſit, DEUM quoque illi condonaturum confirmavit. Addidit autem, quia hæc res non parvi momenti atque ad Eccleſiam ſpectaret, ſocium ſe velle ſibi adjungere aliquem è Collegis, ut in ore duorum teſtium

ſtium veritas conſiſteret. Nicolaus ergo etſi opponebat, inſtare fatalem horam, neque poſſe fortaſſis eo usque vitam producere. Nihilominus tamen M. Dilgerus ſocium ſibi adſcivit M. Michaelem Falkium ad Templum Catharinæ Paſtorem. Rediens ergo Dilgerus cum Falkio ea quæ monuerat repetiit, imprimis vero admonuit Nicolaum, quod in articulo de Trinitate manifeſte nimis ab Eccleſia deſciverit. Reſpondit ille: Se quidem ejus non meminiſſe, perſtare tamen in Canonibus Concilii Nicæni. Inſtabat Dilgerus, an crederet, quod unus in eſſentia DEUS ſit Pater, Filius & Spiritus S. Reſpondit Nicolaus: Utique, ſubjiciebat vero: *Pater cum Filio & Spiritu Sancto.* Quæſivit ergo Dilgerus: cur verba hæc immutaret? Reſpondit Nicolaus: Patres Concilii Nicæni ita loqui; Regeſſit Dilgerus, poſſe quidem admitti eam verborum formam, modo ne alius ſub ea ſenſus lateret; Inſtitit ergo quærere, utrum crederet quod Filius cum Patre æqualis eſſet majeſtatis & gloriæ? Reſpondit Nicolaus: Eam eſſe virium corporis imbecillitatem, ut non poſſet plura loqui. Regeſſit Dilgerus, ſaltem uno verbo confiteretur, quod Pater Filius & Spiritus Sancti ſit unus & æternus & ſummus DEUS. Aſſentiebatur Nicolaus. Urſit quærendo illum Dilgerus: An ergo crederet, quod unus ſit DEUS in *eſſentia* & trinus in *Perſonis*? Excipiebat Nicolaus: non ita loqui Scripturam; tutiſſimum eſſe in his myſteriis verbis Spiritus Sancti inſiſtere. Inſtabat Dilgerus: Ita vero loqvuntur & ſentiunt orthodoxi omnes, atque Auguſtana ſimul Confeſſio; Prælegebantur quoque illi verba Auguſtanæ Confeſſionis; & opponebatur: Exercitatione de non liquendo hoſtes in heterodoxia ſua eſſe confirmatos; magnum ergo ſcandalum Nicolaum illius editione dediſſe. Petiit autem Nicolaus; ne in hora mortis iſtis quæſtionibus urgeretur, ſufficere ſibi jam piſcatoriam illam ſimplicitatem, quam amplexi quoque fuerint primitivæ Eccleſiæ patres. Regeſſit Dilgerus: ad evitandas hæreticorum quidem fraudes formulas has loquendi in eccleſiam eſſe introductas. Cum vero identidem Nicolaus provocaret ad Concilium Nicænum, quæſivit porro Dilgerus: An etiam crederet, quod Filius Patri eſſet ὁμοούσιος? Iterum opponebat Nicolaus: Ob confectas corporis vires non ſe poſſe plura loqui, petere ſolum, ut Sacræ Cœnæ particeps fieret. Reſpondit Dilgerus: illum ex quo ſcriptis ſuis præcipue in articulo de Trinitate Eccleſiam oppugnaſſet, pro membro Eccleſiæ non fuiſſe habitum; priusquam ergo illa damnaret, non poſſe recipi, bonisque ejus ſalutaribus

frui;

frui; præterea famam exiisse in civitate, futurum, ut si convalesceret aliam fidei formulam profiteretur. Negavit Nicolaus, tale quid se unquam animo volvisse, adhæsisse potius Augustanæ Confessioni. Quare, subjicit Dilgerus, quod ab hac diversum in tuis libris continetur, hoc à te alia Scriptura delendum & reprobandum est; Ejus ergo revocationis formulam, quia vires tibi desunt, conscriptam tibi exhiberi curabo, cui opus est ut subscribas. Abierunt itaque Dilgerus & Falckius ad Dn. Botsaccum, eidemque rem omnem &, in quem statum jam perducta sit, exposuerunt. Respondit ille verbis Scripturæ: Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem. Formulam ergo hanc Dilgerus conscripsit, eamque à Botsacco approbatam Nicolao misit: *Ergo Magister Heinricus Nicolai agnosco & confiteor Augustanam Confessionem invariatam, prout illa à Theologis orthodoxis Lutheranæ Ecclesiæ explicata est, cum omnibus dogmatibus, quæ in illa continentur, præsertim quoad primum articulum de Trinitate, conformem esse non tantum verbo DEI, sed & puriori orthodoxæ antiquitati; In qua fide & ego mori desidero, ac omnia illa, quæ in Scriptis meis sanæ illi fidei & confessioni adversantur, rejicienda & reprobanda esse volo. Promitto insuper, si DEUS mihi vitam longiorem concesserit, omnia quæ in Scriptis meis huic fidei confessioni adversantur, emendaturum. DEUS propitius sit mihi peccatori. Amen. A. 1660. d. 27. Decembr.* Perlecta illa petiit Nicolaus ut ad eum reverterentur. Dilgerus & Falckius ergo eum accedunt, imprimis vero Dilgerus exhortatus est illum ad pœnitentiam. Audito illo sermone, dixit Nicolaus: *Esto propitius ô DEUS mihi peccatori. Fateor magnum me esse peccatorem, neque solum in peccatis conceptum & natum: sed DEUM quoque cogitationibus meis, verbis & operibus graviter offendisse.* Addidit Dilgerus: Debere Nicolaum non eorum solum pœnitentiam agere, quæ in vita: sed quæ scriptis quoque deliquerit. Respondit ille: Omnium me pœnitet peccatorum, quocunque illa nomine veniant, exclamavitque denuo: Propitius quæso esto mihi DEUS peccatori. Subjecit Falckius: Quod si de quovis otioso verbo ratio reddenda esset, reddendam utique esse illam de scriptis, quibus mysteria divina impugnata essent. Ergone (regessit Nicolaus flebili voce) vos ô Domini, viaticum sacrum mihi negabitis? Minime, dicunt illi, modo vera pœnitentia id susciperet, & Christum satis fecisse pro peccatis suis crederet. Utique, inquit Nicolaus; Prælegebant illi Psalmum quinquagesimum primum, ejusque

verba

verba voce subsequebatur Nicolaus. Hoc facto interrogabat illum Dilgerus: An Confessionem suam edere vellet? respondit Nicolaus: non suppetere sibi vires ad loquendum. Ergo quæstionibus quibusdam eam complectar. Agnoscisne te peccatorem, qui Deum verbis, factis, scriptis graviter offenderit, eaque propter ex corde doles? Utique dixit Nicolaus. Pergit ille quærendo: Tune Christum agnoscis verum DEI Filium, qui pro tuis & totius mundi peccatis satis fecerit; cujus passionis & mortis gratia omnia tibi peccata condonentur? Imo vero, respondit Nicolaus, hoc credo. Iterum Dilgerus: Credis ne hanc absolutionem à peccatis à Christo fieri, tibique simul Corpus ejus & Sangvinem ad manducandum & bibendum exhiberi? De hoc nunquam, ait Nicolaus dubitavi. Porro quærebat Dilgerus: An ex animo quoque inimicis suis, præsertim NN. de quo præcipue conquestus erat, condonaret? Imo, inquit ille, etsi graviter is me læsit, attamen remitto illi & condono. Ingesserunt ergo in illum omnis generis solatia, cumque dictum 1. Tim. 1. v. 15. addidissent: *Fidus est hic sermo & omni ommnibus dignus, quem amplectamur, quod Christus JESUS venit in mundum, ut peccatores servaret, quorum primus ego sum.* Valde ingemuit ad hæc ultima Nicolaus, atque provolvens se in lecto de latere in latus: Immo ego, inquit, gravissimus peccator sum, indignus certe quem cœlestis Pater in Filium recipiat; abjicio autem omnia illa peccata mea in abyssum infinitæ misericordiæ divinæ. Addidit Dilgerus: Et in Christi Salvatoris meritum. Utique, ait Nicolaus, in hunc quoque credo. Cum itaque prælectam Formulam approbasset, eique subscripsisset, Dilgerus eum à peccatis absolvit, eamque absolutionem Nicolaus oculis manibusque in cœlum sublatis suscepit; Inde etiam Corpore & Sangvine Christi magna devotione sumtis: *Tu*, subjecit, *Domine JESU manes in me, & ego in te.* Ita abeuntes pastores rogavit Nicolaus, ne eum desererent, sed subinde inviserent, quod & fecere. Post obitum ejus inter Manuscripta Cursui vitæ testamentum quoddam additum repertum est, quod integrum Hartknochius pag. 847. & seq. exhibet; in eo hæc inter cætera ad præsens negotium spectantia leguntur: Alle meine Meynungen / Glauben / Lehre / Schrifften / nach der Schrifft bewährten Symbolis, und ältesten rechtgläubigen Vätern will ich erkläret und verstanden haben. *Vicissim:* So in Controversien oder Streit-Schrifften etwas versehen/

oder zu weit gegangen / oder Widersachern zur Ungebühr etwas zugeschrieben / oder sonst verfehlet / wie dasselbe irgend geschehen mögen / dessen allen will ich von GOTT dem HERRN Vergebung hertzlich gesucht und gebethen haben. Textum denique in sepultura explicandum elegit Ecclesiast. 4. v. 4. Errores ejus alii septem, alii XLII. numerarunt, plures adhuc D. Calovius in appendice Arminianismi congessit & ordine exposuit. Nobis vero quia *Irenicum* Nicolai, idemque *defensum* & *philosophica* ejus scripta, librum quoque de *Habitu Theologiæ* (quæ Calovius passim citat) oculis usurpare non licuit: ex Elbingensibus tantum Exercitationibus positiones aliquot congessimus, iisdemque pro instituti nostri ratione verba Nicolai addidimus, ut vel ad oculum Lectori pateret non abs re Ministerium Dantiscanum gravissimorum errorum Nicolaũ reum peregisse. Prolixius autem solito ex Hardknochio hæc recensuimus, ut appareret, quam ægre Nicolaus ab istis opinionibus deduci potuerit, quas è scriptis G. Calixti (ad quæ in Exercitationibus suis subinde provocat) de Syncretismo & Mysterio Trinitatis haudquaquam in V. T. credito necessario &c. hauserat. Nimirum viribus corporis validis admirantur nonnulli vanas ejusmodi in fidei doctrina novitates, easdemque ostentandi primum ingenii causa cupiunt defendere. Interim vero sensim pravum semen radices agit, & scrupuli illi in mortis hora difficulter teneræ conscientiæ eximuntur. Utinam ab orthodoxis atque ex orthodoxorum libris studiosa juventus fidei dogmata probe imbiberet, studiique Theologici fundamenta solide poneret, nec dum controversiis istis, quibus in hac mundi fæce Ecclesia varie exagitatur, temere se ingereret, ingeniique ostentandi gratia dogmatum novitates sectaretur. Sed quoniam ad judicandum ea festinat, priusquam circumspecte cuncta pertentarit, fraudesque adversariorum cognoverit; hinc est, quod acutulis his & nasutulis pura jam & sincera fidei doctrina sordeat, eaque sola amplectantur, quæ auribus seculi grata esse sentiunt.

DOGMA-

DOGMATA
HENR. NICOLAI.

1. Cum in fundamento fidei, Symbolo scil. Apostolico Pontificii, Lutherani, Reformati, quin & Sociniani conveniant, potest utique inter eos Syncretismus iniri.

Henr. Nicolai de Concil. Enunc. th. 15. p. 23. med. Quænam autem fundamentalia fidei sint passim variant Theologi. Præcipua Symbolo Apostolico, cujus reliqua Symbola explicationes & deductiones sunt, contineri, plerique consentiunt, Pontificii vel Romano Catholici, Lutherani, Reformati, Photiniani, ut L. I. C. 4. c. l. deducetur. Videatur Tannerus T. 3. d. 1. q. 1. & 7. aliique alibi allegati. In his ergo & necessariis horum in Scriptura traditis explicationibus, ut consensus ineatur maximopere laborandum. Cætera vel tandem sequentur: vel ad uberiores explicationes pertinere videbuntur, quas nec ab omni simplici Christiano postulare possumus, nec dissensum in talibus præcise pro ipso fundamento assignare debemus. *Et in Exerc. de Med. Relig. th. 19. p. 38. fin.* Lutherani & Reformati in fundamentalibus dogmatibus possunt uniri; si quædam dogmata omittantur aut moderatius proponantur, ut de ubiquitate, absoluto decreto, particulari gratia, redemtione & vocatione, reali corporis Christi à cœna absentia.

2. Mysterium Trinitatis in quæstionibus hodie controversis non ex sola Scriptura definiri potest: sed requiritur etiam consensus Antiquitatis.

Exerc. de Med. Rel. th. 6. p. 8. Mysterium Trinitatis sufficienter quidem, non autem ita abundanter ad omnes Scholarum quæstiones & disceptata, quæ illæ de eo moverunt, in sacris est revelatum; quorsum Scriptura data non est, nec dari debuit. Sed traditione opus, non ad fidem ejus: sed ad antiquitatis consensum, & dictorum de eo agentium similem cum nostro sensum & explicationem ostendendam ac Adversario deducendam.

3. *Præstat de Mysterio Trinitatis cum Patribus loqui, qui vixere ante Concilium Nicenum, quam cum Nicenis aut Concilio illo posterioribus.*

In Meth. Trinit. th. 9. p. 7. init. Si de consensu & sententia veteris Ecclesiæ Christianæ in puncto de Trinitate quæratur, optime illam ex Ante-Nicenis Patribus sumi; hi enim ab utraque parte concessi sunt. Niceni & post-Niceni alteri parti suspecti sunt. Primis post Apostolos seculis fidem Christianam puriorem & Apostolorum sententiæ conformiorem fuisse certum est, eamque fidem priscos Patres optime scivisse & ad posteros fidelissime propagasse liquidum: successu seculorum plures errores irrepsisse, fidemque Christianam corruptiorem evasisse.

4. *Præstat in proponendo Mysterio Trinitatis à vocibus ESSENTIA, & PERSONA abstinere, & cum Scriptura dicere, quod unus sit Deus Pater, Filius & Spiritus S.*

In Meth. Trinit. th. 8. p. 5. circa init. Mysteria fidei sufficienter quantum ad fidem, verbis Scripturæ contineri, illisque pro fide proponi, deduci & confirmari posse. Utcunque termini rationis humanæ Philosophiæ Patrum Ecclesiæ traditionum similes non adhibeantur aut intelligantur. Mysteria enim fuerunt, antequam tales termini inventi, exculti, adhibiti aut usu recepti fuerunt, Rebus ipsis posteriores contra Adversarios ac hæreticos introducti & usurpati, ad melius explicandum, defendendum, distingvendum, sæpe tricosi, incerti & varii sensus sunt, & rem ipsam non constituunt. Ita si probetur tres illos, quos in Deo credimus, Patr. Fil. & Spir. Sanctum in Scriptura N. Testamenti ita repræsentari, ut quoad rem idem illud sint, quod personæ voce exprimimus, satis Trinitatem nostri sensus probatam esse, etiamsi de formalibus talium terminorum, aliisque difficultatibus Metaphysicis constituere aut convenire nequeamus. Pro fide satis est, rem ipsam Scripturæ verbis expressam pie credere, devote amplecti, in Christiana simplicitate acquiescere, & ad praxin pietatis vita exprimendam contendere, quam de variis terminis Philosophicis aut Metaphysicis odiose in infinitum disceptare; quos Ecclesia Christiana nunquam adhibuisset, nisi

occa-

occasione Adversariorum aut curiosorum eo adacta esset; In quo Photinianos, ubi rem recte æstimaverint, omnino nobis consensuros existimo. *Et §. seq. pag. cit. fin.* Qui circa terminum aliquem hæreat aut dubitet, an & quomodo in Mysteriis adhibendus, non statim ipsum Mysterium negare censeri debet, si rem verbis Scripturæ proponat, illisque credat. *Thes. 45. pag. 54 fine & seq.* Ad fidem Christianam satis est, ea de Deo & Trinitate credere, quæ Spiritus S. suis verbis & phrasibus in Scriptura expressit, etiamsi nullus tandem humanorum terminorum adhibeatur; cum fides omnibus istis terminis prior sit. Ultra Scripturæ terminos hic tuto progredi non licet: Si fiat, difficulter egredi licet, sed intellectum absorberi oportet, & Adversarius perpetuum disceptandi campum apertum habet. Hæc Trinitas à Deo Patre accepta, à Christo præscripta, ab Apostolis prædicata, à prisca Apostolica Ecclesia recepta & defensa, Apostolorum & proximorum post Apostolos Patrum, Ignatii, Polycarpi, Justini Martyris tempore obtinuit, ad quam tutissime hodiernam fidem redigenus: Reliqua sequentibus seculis adjecta de essentia, persona, supposito, eodem numero & diverso, relationibus, oppositionibus varia Philosophica & Scholastica implicant, quæ nec omnes fideles sciunt nec capiunt, nec ad ipsam fidem requiri debent, quæ sufficienter in Scripturis sine istis terminis proponitur. *Et in Exerc. Apolog. ad Sect. 3. num. 60. p. 67. in med.* Ob difficultatem & tricositatem terminus aliquis omitti potest, etsi in se verus. *Et mox:* Terminus personæ Metaphysicam nobis aperuit. *vicissim post med.* Si cum rigido hoste res sit, Personæ terminum omittam, & intra Scripturæ voces me teneam ut litem compendifaciam.

5. *Pater per naturam & absolute Deus, inoriginatus scilicet, Filius autem Deus de Deo.*

Meth. de Trinit. pag. 34. med. Deus per naturam inoriginatum & à se ipso absolute existentem notat, qui esse nulli debeat, præterquam sibi ipsi. Hic solus est Pater: & proxime ab eo originatum & propagatum, propaginem aliquam inoriginati ante secula ab eo fusam, ab eo existentem, & esse ei ac omnia debentem. Sic Filius & Spiritus S. etiam Deus per naturam sunt. *Et circa fin.* In loco 1. Cor. 8. Pater pro Deo expresse determinatur, & Christus unius Domini appellatione repræsentatur, quia is Dominus & Christus à Patre factus. *Et th. 26. pag. 36. ante med.*

Object. Talibus Epithetis nemo nisi Deus essentialis in sacris describitur; Cui ergo tribuuntur illa, talem DEUM esse oportet. Resp. Rectè. Sed Pater ista habet a se, & a nullo alio, Filius ab alio & Patre; eoque est Deus: sed de Deo; & Jehova, sed à Jehova: & lumen sed de lumine, ut Niceni loquuntur. *Pag. 38. ante med.* Deus proprius in sacris partim independenter, originaliter absolute summus ille, à quo omnia in cœlo & in terra, ipse a nullo, & qui etiam Christi Deus est. *Joh. 17. 1. Cor. 8.* partim dependenter, originaliter respectivè summus, à summo & sub summo proximus repræsentatur, Deus de Deo, lumen de lumine. *Th. 39. pag. 44. post med.* Filius autem Deus: sed originatus a Patre & sub eo. *Th. 46. pag. 56. post med.* Filius à Patre secundus, genitura & sapientia Patris, originatus, dependens, generatus, subordinatus. *Denique in Exerc. Apolog. th. 41. pag. 43. med.* Idem de subordinati voce habendum, de qua th. 18. tricaris. Ubi secundus & tertius sub primo, & post eum, non ante eum habes. Hactenus ordo à primo & subordinatio.

6. Filius Dei non potest absolute dici αὐτόθεος.

Exerc. de Med. Relig. §. 7. pag 9. med. Scriptura ita non loquitur, & significatum vocis αὐτόθεος distingvendum, ut absolute sic vocari aut non vocari posse citra distinctionem nec affirmari nec negari possit.

7. Pater major est Filio, etiam qua hic Deus est.

Meth. de Trinit. th. 20. p. 31. circa init. Pater major Filio est, etiam qua Filius Deus erat; non quidem re ipsa: sed hoc ipso, quod ille Pater, hic Filius. Patris enim nomen est honorificentius nomine Filii.

8. Filius & Spiritus S. non crearunt absolute: sed tantum per communicationem à Patre.

In Meth Trinit. pag. 48. med. Creatio summo illi Deo tribuitur originaliter sine subordinatione ad alium, qui per eum crearit, & prorsus inde-

independenter: Filio & Spiritui S. originate, subordinate & dependenter ad Patrem; Unde & per Filium creasse Deus legitur. Sed nunquam alias per DEUM Patrem creasse legitur. Per communicationem à Patre Filius & Spiritus Sanctus. Pater sine ulla ab alio communicatione crevit. Et sic creatio & Patri & proximis ejus propaginibus Filio & Spiritui Sancto adscribitur, quæ summum illum DEUM, vel aliquid summi illius DEI & ad eum pertinens esse oportet genituram & spiraturam ejus. *Vicisfim circa fin.* Ordo iste subordinationem ac dependentiam à Patre inferre potest, qua & totum esse suum Filius & Spiritus Sanctus à Patre habent; quod aliquanto plus quam nudum ordinem dicit. Et licet absolute creatio omnibus tribus adscribatur; nondum inde numero unum præcise esse intelligitur.

9. *Potius Spiritus Sanctus virtus Dei quam Persona appellandus est.*

In Meth. de Trinit. th. 45. pag. 54. Ad fidem Christianam satis est credere, unum DEUM Patrem creatorem omnium, à quo omnia. Et unum Dn. JESUM Christum, Filium creatoris unigenitum, per quem omnia: & unum Spiritum S. virtutem & donum DEI augustissimum. *Pag. 56. post. med.* Spiritus S. à Patre tertius, virtus Patris & Filii à Patre per Filium missa. &c. *Et th. 34. pag. 4. in fin.* Spiritus Sanctus Deus; sed ut Dei sit.

10. *Christus in terris tantum præsens est præsentia Mediatoria.*

Exerc. de Med. Relig. th. 5. pag. 7. Mediatoria præsentia, ubi se futurum condixit, tutissime præfertur.

11. *Renati sunt subjectum justificationis tantum secundarium: electi vero exquisitum.*

Exerc. de Med. Relig. th. 24. pag. 33. Justificatio est electorum tanquam subjectorum exquisitorum imprimis & specialiter DEO cognitorum & dilectorum: aliorum renatorum, ut subjectorum accedentium

tium & secundariorum, qui gratiam ad tempus accipiunt & postea excutiunt.

12. *Ad justificationem hæ dispositiones requiruntur, ut homo à peccatis abstineat, & vitam in melius mutare sibi proponat.*

Exerc. de Med. Relig. th.24. pag. 32. post med. Dispositiones quædam requiruntur ratione ordinis, quem Deus in justificando servat, ut de peccato dolere & ab eo abstinere, DEUM vindicem ejus censere, & vitam in melius mutare proponere: sed non requiruntur ratione meriti, de congruo aut condigno.

13. *Remissio peccatorum in justificatione fidei nostræ imputatur.*

Exerc. de Med. Relig. th. 21. pag. 28. circa fin. Fides nostra in Christum crucifixum, qui justitia & propitiatorium nobis à DEO factus est, *Rom. 3. v. 25. 1. Cor. 1. v. 30.* nobis reputatur ad justitiam, *Rom. 4. v. 5. Philipp. 3. v. 9.* Vel Justitia coram Deo seu peccatorum remissio fidei nostræ imputatur, ut & Abrahamo, *Rom. 4. v. 9. 24.*

14. *Obedientia præceptis Christi præstita fidei forma sensu latiori dici potest.*

Exerc. de Med. Relig. th. 22. pag. 30. init. Obedientia est fidei forma, qua large obedientia sumitur & forma. Fides enim obedientia est erga Deum, & sic frequenter in sacris obedientia fidei dicitur.

15. *Deus potest dici causa peccati per accidens sensu latiori.*

Exerc. de Concil. Enunc. th. 5. pag 8. in fin. & seq. Deus est causa peccati per accidens, terminum causæ late sumendo, pro quacunque occasionante aut statuente, unde ansa peccati per accidens rapitur: non incitante aut influente.

16. In-

16. *Indigni manducant in Sacra Cœna corpus Christi non in substantia, sed in medio tantum aut signo.*

Exerc. de Med. Relig. th. 53. pag. 65. ante Med. Indigni edunt corpus Christi in medio & signo pane, qui communio corporis Christi & ipsis esse debuit: non edunt in sese & substantia sui, quomodo mysticus cibus mentis & fidei est, qua impii carent; & sic rei corporis fiunt, quod comedere debuerunt, & per incredulitatem, ac quod edendi organo careant, non comederunt. *Et de Concil. Enunc. th. 6. pag. 11. post med.* Indigni manducant corpus Christi, quantum ad panem & medium attinet: non manducant, quantum ad substantiam sui fideli corde suscipiendam.

17. *Cælibatus Ecclesiæ ministris etsi non imperari: suaderi tamen poterit, ut valde conveniens.*

Exerc. de Med. Relig. th. 35. pag. 45. med. Svaderi cælibatus & requiri in clericis, ut valde conveniens potest, sed imperari aut imponi ut necessarius non debet.

18. *Sancti demortui à vivis invocari possunt, ut hi affectus suos eorum affectibus conforment.*

Exerc. de Med. Relig. th. 54. p. 66. in fin. Sancti demortui à vivis invocari possunt improprie, nostrum sc. affectum eorum affectui conformare, repræsentare, jungere, ut qui militantis Ecclesiæ membra hîc fuimus, ibi triumphantis consortes cum illis esse desideremus & indicemus.






PARS SECUNDA DE DIVERSIS ENTHUSIASTARUM SECTIS

ARTICULUS I.

DE HÆRESI MENNONISTARUM IN INFERIORI PRÆCIPUE GERMANIA,



Nthusiasmum definit Joh. Himmelius in Matæol. Enth. pag. 3. hæresin opera maleferiatorum è Sathanæ instinctu in Ecclesiæ proscenium introductam, contemnentem Verbum & Sacramenta divina, suggestionibus privatis indulgentem &c. *Enthusiastas* vero Spanhemius in Dispp. Miscell. P. 2. p. 282. dicit esse homines fanaticos, qui afflatum vel inspirationem & revelationem Dei vel fingunt vel præsumunt, suisque placitis prætendunt. Ex horum numero præter eos, de quibus seorsim agemus, fuere saltem hoc seculo *Philippus Zegler* Wurzburgensis, qui A. 1625. varias prophetias disseminavit, nimirum Romam A. 1627. delendam, Fridericum exulem revocandum in Bohemiam, cui Regno per annos XIII. esset præfuturus &c. Sed quia Francofurti insignia Cæsarea dejecerat, mentisque vertiginem pati credebatur, in vincula conjectus est in iisdemque vitam finiit. Voët. Dispp. Select. part. 2. pag. 1079. seq. *Hermann de Hade* ruricola in E[illegible] vico

quodam

quodam sub præfectura Soltovensi in Ducatu Lüneburgico, angelorum sibi factas apparitiones jactavit, quibus edoctus fuerit, quæ ad cœlum via esset tutissima: Sed hujus editas in lucem Prophetias excussit Ministerium Ecclesiasticum Cellense, atque à malo Spiritu eidem factam inspirationem ostendit apud Stolterfoth. in Præfat. Confid. pag. 35. & Repetit. pag. 90. *Johann. Warnerus*, ejusdem conditionis homo è vico Bokkendorff in Misnia A. 1640. plurimas Revelationes sibi factas præcipue de exitu belli Germanici epistolis aliquot in vulgus sparsit; quibus pariter urbi Romæ excidium: Imperatori Ferdinando III. amissionem Principatus & exilium vano ausu prædixit; atque prout partibus tum nonnulli favebant, fidem non tantum illi adhibuerunt D. Jacobus Fabricius, Superintendens Generalis Pomeraniæ citerioris, nec non Zacharias Hogelius, Pastor Augustinianorum apud Erfurtenses. His autem se opposuerunt modo citatus Stolterfoth. in Descr. Visionum pag. 10, 57. 60. & seq. Tob. Wagnerus in Confid. Visionum Warnerianarum & Arnoldus Mengering in Inform. Conscient. Evang. Dom. 25. Trinit. part 2. quæst. 2. & 3. Hunc secutus est *Georgius Richardus*, Æditus in pago Seehausen prope Lipsiam, qui centum visiones in quatuor partes divisas publicavit, quibus inter alia Vis. 71. quæ ei obtigerit A. 36. 10. Nov. Urbanum VIII. Pontificem throno dejiciendum, neque ullum post ejus tempora in locum ejus evehendum; Per Christianum V. Principem hæreditarium Regni Daniæ (qui tamen paulo post fatis concessit) Cæsarem ad Pragam & Viennam præliis gravissimis conficiendum: Suecorum armis Pontificios ad Evangelicam fidem reducendos, omnesque Judæos ad Christi Ovile compellendos temere prædixit; castigatus itaque ab eodem Stolterf. p. 418 & 448 nec non in Repetit. p. 157. Mengeringio p. 116. & Nicolao Baringio in Admon. de Visionib. p. 81. Innotuit quoq; illis temporibus *Christophorus Cotterus* è civitate Sprottensi in Silesia, qui ab A. 1616. usq; ad 1647. quo diem obiit, plurimis visionibus adeò Joh. Amosum Comeniũ decepit, ut hic illas publici Juris faceret, quantum vero iisdem tribuendum vel ex hoc liquere potest, quod cap. 5. v. 30. s. p. 36. & seqq. p. 55. & 60. Friderico Palatino Coronam Bohemiæ spondet, domuique Austriacæ interitum minatur. Successit eidem *Nicolaus Drabicius*, qui ab A. 1638. ad A. 1664. plurimas per orbem Prophetias sparsit, inque iisdem præter jam dictas Cotterianas Sigismundo Ragozio Transylvaniæ Principi Regnum Hungariæ, & quod ridiculum sane, cum hic jam esset mortuus, Revel. 98. v. 10. p. 95. & Rev. 100. v. 22. p. 100.

 & seqq.

& seqq. promisit. Interceptus ergo in illo regno capite manuque amputatis, libro quoque cui titulus: *Lux in Tenebris*, infami loco combusto dignam pœnam luit. Quam turpiter vero in horum & Christinæ Ponatoviæ virginis Bohemæ conatibus, qui ejusdem omnino farinæ erant, juvandis modo dictus Comenius se dederit, è Voetii Dispp. part. 2. p. 1080. liquet. Nostris temporibus Amstelodami plurimas Prophetias divulgavit *Johannes Rothius*, is quia patri nomen Zachariæ erat, Christi se præcursorem ad Judicium jactavit A 1668. jussu Regis Melchisedeci Imperatorem, Reges quoque & Principes admonuit, ut sceptra deponerent, instare enim Regnum Christi. Sed A. 1677. à Principe tum temporis Arausionensi nec non Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinibus ad examen vocatus, & in custodiam traditus, cum in plurimis ipso rerum longe alio eventu redargueretur, dimissus tandem atque ab omnibus deridiculo habitus est. Prophetiæ ejus maximam partem his titulis leguntur: De Panier of Standarte Gods: Eene Niewe Hemmel en Arde: het niewe Jerusalem: de Konig Melchisedech, Speelgel voor alle Menschen: een Vermanung uyt Babel te gaen; Prophetien ende Revelatien: Basuyne Goddes of Stemme van de Vrünt des Brydigams: Het Leger des grooten Goods opgerichtet int Norder Deelte des Werlts tegen Babel, tot uytroeginge van allen Gootlosen &c. Ejus inde vestigia legit *Quirinus Kuhlmannus* Silesius, Jacobi Bohemi simul propugnator, Calovii vero atque Scherzeri acerrimus insectator. Sic enim in Bohœmo redivivo c. 12. *In Museo meo solus paucis diebus plura didici ex uno Bohemo, quam ab omnibus avi sapientibus simul auditis discere potuissem.* Et in præfat. Operis ejusdem: *Inter innumerabiles visiones accidit, ut erepto mihi ex museo millena luminum millia circa me exorientium intueri daretur.* Plura ejusmodi legi possunt apud Calovium in Anti-Bohemo cap. 32. & seq. Novissime etiam *Joh. Wilh. Petersen* de Chiliasmo è sacris literis propugnando desperans, *Assenburgiæ Nobilis cujusdam in domo sua virginis visiones* Epistola in lucem edita jactavit; non sane absque suspicione quod eidem illas insusurraverit, literasque Salvatoris nomine ad ipsam submiserit. Objecit enim illi inter alia Ernestus Friedericus Klingspornius, Lit. c. 1. sac. 1. Wo noch irgends die geringste Scham in ihm ist kan er in Abrede nicht seyn / daß er nicht einer vornehmen Damen den Einschlag solte gegeben haben / daß sie mittelst einer solchen tuba Stentorea zu Nachts einen auch vornehmen Mann erschrecken / und ihn unter dem Nahmen GOttes zu amplectirung einiger Irrthümer / die dieser Chiliast

schon

schon damahl geheget/ ermahnen solte/ &c. Die Dame lebet durch Gottes Gnade noch/ und kan dieses alles täglich confirmiren. Istas autem Enthusiasticas machinas peculiaribus scriptis disturbarunt Augustus quidem Pfeifferus in Anti Enthusiasmo & Wincklerus in Responso ad eundem Petersen; Spenero autem, qui judicio primum suo palliare has visiones conabatur, respondi im weiterem Nachdencken über einiges Bedencken von der durch D. Petersen zu Lüneburg ausgegebenen Prophezeyung.

Cæterum qui deinceps Enthusiastarum nomine veniebant, specialiori appellatione vocabantur Anabaptistæ; Belgica lingva, ut ipsi scriptis suis profitentur, Doops-Gesinde; Germanica vero, quemadmodum Orthodoxos illi appellabant Kinder-Dopers/ipsi vicissim dicti sunt Widertäuffers; quoniam quoscunque sive à nobis deficientes ad ipsos, vel ex uno illorum secta ad aliam, eos rebaptizare solent; eundemque morem in excommunicatis postliminio ad Ecclesiæ gremium redeuntibus observant. Quia vero hoc quoque nomine, ut tradit Faulkelius in Babel oder Verwirrung der Widertäuffer B. 2. à nonnullis exagitati sunt, ac si aricte m baptizarent, maluerunt dici die Rechtgedoopte. Conf. Hornbeckium. pag. 331. Lutheri ætate à primo suo autore dicebantur Münzeriani. *Thomas* siquidem *Münzerus* animo secum volvens, quam felici successu Lutherus Ecclesiam à tyrannide Papatus liberasset: eodem sperabat subditos quoque à Magistratus Politici potestate in eos liberare posse. Primus itaque ipse inter Evangelicos Cygneæ Pastor ad hujus instituti societatem pellexit Nicolaum Storchium, Marcum Stubnerum & Martinum Cellarium. Eos vero rebus hisce novis mature cognitis Elector Saxoniæ finibus suis ejecit. Contulit se Münsterus primum Norimbergam: sed quod nec ibi reciperetur de sede sua incertus, plurima postmodum loca, denique Basileam usque percurrit; cum vero nec ibi locum reperiret, quo commode posset motum excitare, in Thuringiam reversus est; Alsteti ergo muneri iterum Ecclesiastico admotus, non intermisit, quacunque ratione posset, sparsis præcipue passim literis, copias colligere, quibus fidem spemque fecit, missum se à Deo, ut à servitute hac temporali populum Christianum liberaret. Earum literarum exempla quædam leguntur apud Joh. Wigandum in Anabapt. p. 307. Præcipua in iis & solennia fere verba hæc sunt: *Pergite, Pergite, Pergite, Incitate fratres, ne despiciant divinum testimonium: alias omnibus pereundum est. Excitate fratres, summopere, summopere*

mopere est necessarium. Ne sinatis gladios vestros frigescere à sangvine. Cudite Pinckpancke in Nimrodi incude. Conjicite in turres, destruite. Impossibile est, ipsis vivis, vos humano metu liberari. Nolite metuere, non est vestrum, sed domini prælium; neque vos estis, qui præliamini &c. Subscribere vero primum his literis est solitus: *Thomas Münzerus servus Dei contra impios;* deinceps autem frequentissime h.m. *Thomas Münzerus cum gladio Gideonis.* Sermo ejus seditiosus paulo ante conflictum legitur apud Sleidanum lib. 1. Comment. de Statu Relig. pag. 111. Accessit denique his conatibus quidam cognomine *Pfeifferus*, qui satis audax primus quidem dici posset inflasse tibias & classicum cecinisse; cum enim hic somnium habuisset, se magnam partem murium in fugam conjecisse, monitum se divinitus existimavit, ut ad prælium se accingeret. Dissuasit quidem Münzerus, quod præsentibus copiis se nondum parem potestati Principum putaret. Sed impatiens plane moræ Pfeifferus, assumta secum rusticorum cohorte Eisfeldiam invadit, exspoliat arces, templa, fugatque nobiles, prædaque onustus demum redit. Interea vero arma quoque rustci parant in vicinia civitatum Mülhausen & Franckenhusen, hisque initiis allecti, spoliant atque devastant cœnobia Ilefeld, Walkenried, Volkerode, Ballenstad, Kelbra; Inde urbes quoque aggrediuntur Northusiam, Sangerhusiam, Isenacum &c. Fuldam occupant, & in comitatu Stolbergensi atque Mansfeldensi pleraque infesta reddunt. Philippus ergo Landgravius Hassiæ & Heinricus, Dux Brunsvicensis, nec non Albertus comes Mansfeldius cum viderent rem ad pugnam spectare, quoscunq; poterant à periculo deterrent; Ipse quoque comes Münzerum literis admonuit, quam periculosæ plenum opus esset aleæ, quod moliretur. Is autem quia cœpto desistere non minus periculosum putabat, Marti rem committere maluit. Clade ergo Rusticorum cum circa Franckenhus. finitum esset prælium, ipsa quoq; illa urbs, expugnatur; in ea capti trecenti seditiosorum & capite multati sunt. Münzerus ibi in domo haud procul à porta se abdiderat, in qua capta urbe nobilis simul divertebat; ejus autem famulus, lustrandi domicilii causa in superiorem illarum ædium partem percurrens reperit ibi Münzerum decumbentem in lecto, rogat quis sit, & utrum fortassis è numero seditiosorum? Is vero ait se jam pridem febri decumbere. Forte ad lectum repositæ erant caligæ, lustrat eas famulus, an quid in his prædæ? sed invenit in Marsupio Literas Alberti Mansfeldi, ad Münzerum, quibus eundem à cœpto revocare studuisset. Proditus ergo hoc pacto & ad Georgium Saxoniæ

ducem

ducem perductus, ut quæstio rigidior de illo haberetur; indeque Heldrungi in carcerem conjectus est; mox cum Mülhusium caperetur, & ibi Pfeifferus deprehensus capite plecteretur, adductus quoque est in castra Münzerus. Huic cum in mentem ei revocaretur, in quam cladem & pericula miseros ille subditos conjecisset; magno ille risu respondit: Sic voluere. At vero cum ipse quoque ad supplicium traheretur, ita prorsus dejecto animo accessit, ut nec fidei quidem rationem satis commode explicare potuerit: unde cum Symbolum saltem Apostolicum recitare deberet, voce illi sua Dux Heinricus præivit; Morti autem proximus hortabatur Principes ut clementia uterentur erga deceptos à se subditos; promissum vero illi, neminem ex reliquis hoc supplicii genere periturum. Itaque caput illi amputatum, hastæ affixum, mediis in campis collocatum est. Mülhusiis autem rebellibus multa quadringentorum millium aureorum imposita; nec non ut quotannis cuilibet Principi trecentos aureos persolverent: munitionesque eorum dejicerentur: Arnstadienses tria millia, rustici in vicinia quindecim millia pendere jussi sunt: In Svevica quoque conjuratione novem fere millia rusticorum cæsa: in Franconica prope Herbipolim tredecim millia: in Kizingen septuaginta gladio sublati & octoginta oculis privati sunt. His vero tandem exemplis editis resipuere cæteri, atque à seditione destiterunt.

Cæterum cum apud *Monasterienses* puriorem Evangelii doctrinam profiteretur Bernhard. Rottman, homo seditiosus, reluctantibusq; Pontificiis ægerrime ad publicam docendi provinciam admitteretur, factum est Hassiæ Landgravii apud Episcopum intercessione, ut Evangelii doctrina expetentibus civibus in illa quoq; civitate vigeret: & sex templa eam in rem doctoribus Evangelicis, qui Marpurgo advenerant, aperirentur; In primario autem templo haud quisquam aliquid novi moliretur. Rebus vero ita pacatis, vixque octo exactis mensibus venit quoque Monasterium Johannes Buchold, patria Leydensis, Professione opificii sartor, annos natus circiter viginti tres. Is cum in pueritia literas didicisset, & Anabaptistica scripta plurima in Batavia legisset, prout forma erat liberali, statura corporis decora & sermone blandus, ex arte quoque sua vestes eleganter conficiebat, commodeque corporibus aptare noverat, in plurimorum notitiam, nonnullorum quoque familiaritatem pervenit; adeo ut etiam in Knipperdollingii, viri quidem patricii, sed fastuosi & prodigi, ædibus benignissime haberetur. Is clanculum de rebaptizan-

baptizandis adultis femina sparsit, atque omnibus tandem modis id egit, ut Hermannus Stapreda Collega Rottmanno adderetur, plurimique alii ejus sectæ è Batavia eam in urbem reciperentur. Conventicula primum clanculum habita, rebaptizati plurimi, & virus hoc brevi tam late sparsum, ut Stapreda publice jam in Pædobaptismum inveheretur, neque ipse Rottmannus dissentiret. Senatus ergo in curia habendum colloquium indixit, quo á partibus Anabaptistarum steterunt Bernhardus Rottmann, & Hermannus Stapreda, aliique concionatores, qui ad eosdem defecerant, nimirum Johannes Cloprisius, Heinricus Rullius, Godefridus Stralen, Dionysius Vynnen Delphensis; atque ex his qui recens ex Hollandia advenerant Bernhardus Crechting & Julius Phrysius: ex altera vero parte erant Hermannus Buschius, Johannes Glandorpius Petrus Wirthemius, Johannes Holtmann, Theodorus Bredevorth Arnoldus Belholdus & alii. Sed Hermannus ille Buschius Rottmannum, Stapredam ejusque socios ita confudit, ut Anabaptistæ quam primum decreto publico urbe excedere juberentur. Illi accepto licet salvo conductu atque viatico, tamen apud plurimos clanculum habebantur; Anno ergo superioris seculi trigesimo tertio, exeunte Decembri, quidam ex his, quasi divinitus excitatus discurrere palam in urbe cœpit, atque monere omnes, ut agerent pœnitentiam atque rebaptizarentur; Factoque mox ad forum maximo hominum concursu, clamorem reliqui extollunt omnes, ut quicunque rebaptizati non fuerint interficiantur. Interea simul Rottmannus & Knipperdollingius occulte missis in oppida vicina literis suæ sectæ addictos monuerant, ut quam primum suis omnibus relictis Monasterium advolarent, fore enim ut pro suis ibi facultatibus decuplum acciperent: Ejus vero instituti certiores redditi cives alii in tutiora extra urbem receptacula bona sua subduxerant. Viribus hoc pacto Anabaptistæ in urbe superiores Senatum ex sua cohorte deligunt, & Knipperdollingium consulem creant; reliqui passim in urbe discurrentes palam monebant omnes, ut brevi urbe abirent; secus enim omnes nondum rebaptizatos, vitæ adituros esse periculum. Mox Johannes Matthæus, qui prophetico spiritu se agi jactabat, indixit cunctis, ut quod quisque auri & argenti haberet, conferret in publicum, bonaque sua omnia cum reliquis communicaret: Item, ut præter Sacra Biblia libri omnes comportati publice flammis comburerentur. Non poterat tandem hos conatus æquo animo ferre supremus Magistratus, itaque adductis in societatem belli reliquis è vicinia Prin-

Principibus urbem obſidere conſtituit. Copiis illis advenientibus Johannes Matthæus longam haſtam prætendens ad caſtra hoſtium ſe contulit; Exceptus verò à milite quodam gregario natione Miſnenſi & confoſſus eſt. Johannes ergo Leydenſis ſolatus populum quod ſic quoque Maccabæi periiſſent, hac ratione viam ad regnum ſibi parare inſtituit, componit nempe ille ſe ad quietem, & totum triduum ſomniat, expergefactus nullum verbum facit, chartam verò poſcit, in eaque duodecim viros nominat, inque his aliquot nobili genere natos, qui ſummæ rerum præeſſent, & tanquam in Iſraële cuncta gubernarent; his enim à patre cœleſti addebat decerni ſummum imperium; deinde verò nova quædam addidit dogmata, in quibus hoc certe ſingulare, quod vir non eſſe deberet obſtrictus uni conjugi, ſed plurimas eum poſſe ducere in matrimonium. Cum quidam contradicerent, ipſe Leydenſis ſuo exemplo rem confirmauit, tresque uxores duxit, atque in his Johannis Matthæi prophetæ iam occiſi viduam; Id exemplum cum alii ſequerentur, ea tandem libidinis rabie incitati nonnulli, ut puellas quoque impuberes conſtuprarent. Hanc licentiam ægre ferentes nonnulli, Prophetam Leydenſem, Cnipperdollingium aliosque qui in vulgus hoc dogma ſparſiſſent, in forum convocatos comprehendunt. Fit concurſus in urbe maximus, & cum prævalerent, qui libidines illas ſectarentur, captivi quidem vinculis ſoluti, circiter quinquaginta verò ex utraque parte magno cruciatu necati ſunt. Menſe autem ineunte Julio mox alius Propheta ſurgit & progrediens in publicum Johannem Leydenſem Regni Chriſti, quod iam inſtaret, Regem proclamat; Is ergo abrogatis duodecim viris proceres ſibi deligit, coronas etiam duas & vaginam & torquem & ſceptrum & ejus generis alia parari ſibi jubet ex auro lectiſſimo. In foro conſtituebatur ei ſolium ſublime panno ſimiliter veſtitum aureo. Cum verò Cnipperdollingius modò vaticinatus eſſet omnes colles eſſe humiliandos valleſque extollendos; Leydenſis prophetia illa in rem ſuam uſus, dictitavit Cnipperdollingium Conſulem debere jam fieri carnificem, interminatus ei, niſi hoc munus in ſe reciperet, eum eſſe mancipandum carceri. Quia verò non recuſabat iſtud munus: ſed gratum quoque habebat, promiſit Leydenſis, quamprimum eſſe eum ad ſublimiora evehendum. Durante interea obſidione libellus Monaſterii in lucem editus eſt, *Reſtitutio* dictus, argumentum ejus præcipuum erat, futurum propediem, ut pii regnarent, & impii Reges atque Principes de ſolio ſuo deturbarentur. Cnipperdollingius verò exiliit mani-

bus pedibus reptans per plateas, singulis qui occurrebant adhalando nunciabat; Patrem eos sanctificasse; acciperent ergo Spiritum Sanctum. Brevi post indictum convivium, in quo Rex distribuit panem dicens: Accipite, comedite & annunciate mortem Domini. Regina verò, Joh. Matthæi olim vidua poculum porrigens dixit: Bibite & annunciate mortem Domini. Sed cum in obsidione arctiori magis magisque cives fame premerentur, quædam ex aliis Reginis dixerat Regi: Non se putare Deum hoc velle, ut populus adeo inedia conficeretur. Rex ergo hoc audito in forum illam produxit, in genua procumbere jussit & capite plectit; Inde choream duxit, & multitudinem quæ tamen præter panem & salem nihil habebat reliqui, ad lætitiam cohortatus est. Cum verò plures jam quotidie fame interirent; neutiquam Rex tamen, quoad superesset, unde ipse cum paucis adhuc vivere posset, deditionem facere voluit; duo ergo ex illa profugiunt & qua parte urbs capi posset, obsidentibus eam Ducibus aperiunt. Hoc illi consilium secuti, occisis excubitoribus in oppidum penetrant, fit primum atrox pugna, usque dum porta effracta reliquo exercitui aditus præberetur. Rottmannus abjecta salutis spe, medios in hostes procurrit, & confoditur. Rex & Cnipperdollingius nec non Crechtingius capti huc illuc ad Principes spectaculi & ludibrii causa missi; Reducti verò Monasterium, in locum editiorem Rex productus & palo alligatus, ut forcipibus ignitis discerperetur. Ille quidem ad tres primos morsus conticuit, deinde verò misericordiam Dei implorans, cum horam & amplius ad hunc modum laceratus esset, transacto demum per pectus mucrone decessit. Idem ejus supplicium Cnipperdollingium & Crechtingium socios perculit: Extincti verò illi quoque, caveis ferreis illigati singuli, ad summam urbis turrim expositi sunt Rex autem medius, & quanta erat hominis statura sublimius cæteris. Monasteriensium causam postea defendendam suscepit Joh. Battenburg, Consul Steenwicensis, cujus parens Theodoricus e nobili Battenburgiorum prosapia, filius hic verò nothus. Hic Bocholdiæ Synodum instituit, ut quæ inter eos hactenus obortæ erant dissensiones, componerentur, deque propagandis eorum dogmatibus ageretur; Verum & illi ad supplicium rapti, pariterque deleti sunt.

Ex hac Monasteriensium Schola prodiisse quoque Mennonem Simonis haudquaquam negari potest. Nam à Johanne Matthæo quem diximus, missi erant Johannes Scherder & Ubbo Philippi, hujus verò di-

discipulus Menno Simon, sicut patet ex Ubbonis Confessione, qua errorem suum professus inter alia sic scribit in edit. ex autographo ejus excusa A. 1584. Amstelodami, & recusa ibid. A. 1603. pag. 13. & seq. *Dolere se ex animo, quod aliquem ad istud munus promovisset, in quo tam misere deceptus ipse sit, & quod non ante destiterit, sed eo etiam adactus fuerit, ut ad postulatum fratrum Theodoro Philippi fratri suo & Davidi Georgio, nec non Mennoni Simonis idem munus imposuerit. Illud vero me valde pœnitet* (inquit pag. 13.) *& coram Deo & fratribus meis deplorabo, quoad vixero, istiusque semper reminiscar. Et cum illis valedicerem Mennonem ac Theodorum monui, missionem meam iniquam, meque in eo circumventum fuisse, ac optare, ut nunquam hoc munus accepissent. Saltem coram illis exonerare conscientiam visum culpam & seductionem agnoscendo, de cætero videant quid agant.* Ipse etiam Menno Monasterienses fratres appellat in libro Fundamenti edito A. 1539. 1540. & recuso A. 1616. fol. 125. & seq. *Ego nullus dubito, quin dilecti fratres, qui aliquantulum nuper deliquerunt contra Dominum, quod armis fidem suam voluerint tueri, Deum habeant propitium &c.* Natus autem Menno Simon A. 1596. in quodam Frisiæ occiduæ pago Witmarsum, prope oppidum Bolswert. Is cum plurimos annos literarum studiis impendisset A. 1528. ad munus Ecclesiasticum in Vico Pinningen obeundum vocatus est; indeque ad idem munus promotus est in patria Witmarsum. In historia vitæ suæ pag. 4. ait, Anno 1536. (eodem fere tempore, quo Monasterium expugnabatur) se exisse Babylone, & publice baptizatum cœtui Anabaptistarum se adjunxisse. Ex illo vero tempore Disputationibus passim habitis & scriptis editis omnem lapidem movit, ut multos passim ad cœtum istum suum vocaret, venit quoque Wismariam, ibique cum Micronio colloquium A. 1554. publice coram Senatu habuit. Sexagenario tandem major in oppido Oldeslo Hamburgum inter & Lubecam sito A. 1559. vel ut alii scribunt 61. diem obiit. Scripta ejus pleraque hæc sunt: Liber Fundamenti, in quo plurimæ Paræneses continentur, Liber de Cruce Christi, Meditatio in Psalm. XXV. de Spirituali resurrectione, de Excommunicatione & Disciplina Oeconomica. Loca quæ peragravit spargendæ hæreseos gratia sunt Frisia Leovardiensis, Groningensis & Embdana, Brabantia, Hollandia Geldria, Westphalia, totusque maris Balthici tractus à Caleto ad Pilapios usque, quos hodie Livones vocant. Emisit quoque passim in Germaniam discipulos, Adamum sc. qui alio nomine vocari solet Rudol-

